AUGUSTINIANA ECCLESIÆ ROMANÆ DOCTRINA A CARDINALIS...



Digitized by Google



Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

44. 3. 23.

44 44
E D
24 12

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

AUGUSTINIANA ECCLESIÆ ROMANÆ DOCTRINA A CARDINALIS SFONDRATI *NODO EXTRICATA*,

Per varios S. Auguſtini Diſcipulos,

ILLUSTRISSIMIS ET REVERENDISSIMIS ECCLESIÆ PRINCIPIBUS ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS

Cæteriſque totius Cætus Eccleſiaſtici Ordinibus Cleri Gallicani in Comitiis generalibus in Palatio Regio ad Fanum S. Germani proximè congregandis Nuncupata.

Bibl. Secr. Coll. Rom.



Soc. Jesu



COLONIÆ

TYPIS HÆREDUM CORNELII AB EGMOND,
CUM APPROBATIONIBUS:
MDCC. 2

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS & REVERENDISSIMIS ECCLESIÆ PRINCIPIBUS ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, CÆTERISQUE TOTIUS CÆTUS ECCLESIASTICI ORDINIBUS CLERI GALLICANI IN COMITIIS GENERALIBUS IN PALATIO REGIO AD FANUM S. GERMANI PROXIME CONGREGANDIS.

Illustrissimi ac Reverendissimi Principes,

PEr Classicum quinque Illustrissimorum ex Vobis Præsulum, quod contra NODUM PRÆDESTINATIONIS DISSOLUTUM in Urbe & Orbe sonuit, excitati pugiles, scriptores Collectionis hujus, militare gestiunt sub signis vestris, quibus, si alia subirent, injuriam facerent. Stant enim in capite hujus aciei Archiepiscopi ac Duces Rhemensis & Parisiensis cum tribus aliis Ecclesiæ Gallicanæ Principibus; quorum primus per Dei gratiam stabit in capite Comi-

tiorum vestrorum. Præterea depugnat hæc acies tum pro *causa duorum hominum, quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccatis*; in qua *propriè fides Christiana consistit*: tum pro morali Christiana. Digna sanè utraque arena lacertis, zelo, & avitâ indole Illustrissimi Religiosissimique Cleri Gallicani. Si enim materia Gratiæ & peccati originalis spectatur, inter primos, qui Pelagium Diospolitanæ Synodo sapientius denuntiarunt, quam judicaverunt Judices, fuêre, uti nostis, Heros & Lazarus Galli Episcopi, hic Aquensis, Arelatensis ille. Pluribus post annis cum virus Pelagii, unde primùm emerserat, renatasset in Angliam & Hyberniam, e Gallia *Papa Cælestinus*, teste Prospero, *Germanum Antisiodorensem Episcopum vice sua mittit, ut deturbatis Hæreticis Britannos ad Catholicam fidem dirigat.* Deinde rursus missâ ex Brittanniis legatione, certiores facti Episcopi Gallicani pestem Pelag. ibi latius serpere, coactâ

numerosâ

numerosâ Synodo, delectus est Germanus Antisiodorensis Episcopus ut eam deleret, atque semel iterumque tum cum Lupo Trecensi, tum cum Severo Treverensi trajecit hydramque confecit. *Licet dæmonibus*, ait Bradwardinus, *tempestatem in mari concitantibus, Oceanum transfretarunt, ipsamque argumentationibus nedum vocalibus, verum etiam realibus, miraculis scilicet patulis, strenuè convulserunt.* Quos umquam discipulos Augustinus habuit aut fideliores aut generosiores Gallis Prospero & Hilario? Quibus etiam debet Ecclesia præclaros illos Augustini de Prædestinatione & de Dono Perseverantiæ libros, quos sanctissimi Doctoris testamentum, totiusque ejus de Gratia doctrinæ velut consignatorium sigillum dixerim. Quid exinde Avitum Viennensem Episcopum, Fortunatum Pictaviensem, Cæsarium Arelatensem, Cyprianum Tulonensem aliosque benè multos commemorem Augustinianæ doctrinæ sequaces & defensores acerrimos. At silentio premere nec possum nec debeo

quam fortiter & gloriosè in secundis Arausicanis comitiis Gratia victrix sub Cæsario triumpharit de reliquiis Pelagii tunc grassantibus & postea grassaturis in Molina, Molinæque gregalibus. Prolixum nimis & superfluum foret commemorare innumera exempla, prælia, & palmas quibus Inclytus Clerus Gallicanus pro Evangelio Gratiæ Dei adversus Pelagii ac Semipelagianorum socios probavit invictum suum animum, zelum, sapientiam. Quantis animis, quantâ eruditione Illustrissimi Prædecessores vestri pro Augustiniana Ecclesiæ Catholicæ doctrina nono sæculo decertarint, testantur clarissimè Ecclesiæ vestræ annales; testantur præclara Scripta sanctorum Amolonis & Remigii Lugdunensium Archiepiscoporum, ac sancti Prudentii Trecensis Episcopi; testantur Concilia Gallicana Valentinum, Lingonense, Tullense, Parisiense, Tuziacense, quorum zelo ac laboribus strenuè suffragati sunt inferioris ordinis pugiles S. Paschasius Radbertus,

Radbertus, B. Lupus Ferrarienſis, Ratramnus Corbienſis, celebris ille Florus Lugdunenſis Eccleſiæ Theologus, ac demùm undecimo ſæculo S. Bernardus Galliarum Auguſtinus. Horum denique omnium animos ac doctrinam duo jam laudata Eccleſiæ veſtræ lumina, Rhemenſis & Pariſienſis Archiepiſcopi in ſuis nuper Decretis, Collegis annuentibus, plaudente Galliâ, contraxerunt, ſanxeruntque.

Nec minùs generoſè ſtetit ſemper pro Morali Chriſtiana adverſus luxuriantium ingeniorum laxitates Inclytus Galliæ Clerus; ſicut prætèr innumeras mollioris Ethicæ Denuntiationes, Cenſuras, Damnationes per Epiſcopos & Academias Galliæ, ſatis demonſtrat unicum ſpecimen, quod anno 1656. ad Eccleſiæ ſuæ gloriam immortalem & poſterorum exemplum ediderunt Comitia Generalia Cleri Gallicani, dum in epiſtola ſua encyclica ad univerſos Regni Franciæ Epiſcopos, de morali laxiori ita

censuerunt: (a) *Quædam opiniones modernæ, quæ Moralem Christianam & Evangelii principia tantum immutarunt, ut profunda ignorantia longè sit anteponenda tali scientiæ, quæ problematicè sustinere quidlibet docet, ac artes quærere non ad pravos hominum mores exterminandum, sed excusandum, viasque aperiendum quibus iis satisfiat non offensâ conscientiâ.*

Zelum Illustrissimorum Galliæ Præsulum Cardinalis Aguirius tom 2. Conciliorum Hispaniæ in monito ad Illustrissimos D. D. Archiepiscopos & Episcopos Hispaniæ ac novi Orbis, ut Concilia frequenter celebrent, multùm extollit, testaturque potitum fuisse MAGNO PLAUSU AC FRUCTU APUD SEDEM APOSTOLICAM. Ignoscite, VERI-

(a) *Certaines opinions modernes, qui ont tellement altéré la Morale Chretienne, & les maximes de l'Evangile, qu'une profonde ignorance seroit beaucoup plus souhaittable qu'une telle science qui apprend à tenir toutes choses problematiques, & à chercher des moyens non pas pour exterminer les mauvaises habitudes des hommes, mais pour les justifier, & pour leur donner l'invention de les satisfaire en conscience.*

VERITATIS VINDICES quod verba ejus etsi prolixiora non possim omittere: *Huc spectat*, inquit, *quod plurimi eorumdem Antistitum in Conciliis Provincialibus & aliis Comitiis, præsertim apud Galliam, simul cum aliis doctissimis viris, studiosè curaverint reformationem morum, & puritatem ac soliditatem Ethices Christianæ adversus laxitates multorum Casuistarum, quorum tot theses perniciosas & scandalosas ut minimùm, damnavit Sedes Apostolica sub Pontificibus Alexandro VII. Innocentio XI. & Alexandro VIII. Laudandi quidem sunt illi Præsules, qui in eum finem plurimum laborarunt, & tot synaxes insignium Theologorum coegerunt zelo reformandæ disciplinæ moralis: & præsertim inter illos quatuor Galliarum Archiepiscopi, ac duodecim Episcopi qui tempore Urbani VIII. die* 5. *Aprilis anno* 1644. *in unum congregati scripserunt ad eundem Pontificem celeberrimam illam epistolam & ubique*

ſparſam adverſus licentiam quorumdam Caſuiſtarum in opinando, aientes inter plura alia de iis: Divinorum Sacramentorum uſus, qui ſacer omnino ac ſalutaris eſſe debet, in perniciosum ac piis omnibus deplorandum abuſum convertitur ſæpiſſimè. Depravatis denique ac corruptis moribus blandimenta potius atque operimenta quam ſalutaria remedia comparantur. UT E SENTENTIIS EX LIBRIS ILLORUM FIDELITER EXCERPTIS nemini non apertum atque exploratum eſſe poteſt. *Deinde ſuum vehemens deſiderium ſignificant ad corruptelas morum expurgandas, effrænatamque illam quorumlibet flagitiorum (quæ numquam tanta fuit) licentiam,* AUGENTIBUS EAM INDIES NOVITIIS QUIBUSDAM CASUUM CONSCIENTIÆ ARCHITECTIS. *Hæc illi graviter, & cum magno plauſu apud Sedem Apoſtolicam. Inſuper Octavius Archiepiſcopus Senonenſis in literis eodem anno ac die datis*

ad

ad gravissimum Cardinalem Franciscum Barberinum (postea Decanum Sacri Collegi) scripsit: Eo mollities animorum, ac disciplinæ elanguescentis dissolutio processit, ut jam de vera pænitentia ac sincero amore Dei loqui pæne sit nefas. Hoc videlicet artificium humani generis hostis excogitavit, quo fatiscentis Religionis degenerem illam laxitatem pro ipsa Religione obtruderet, quasi a diverticulis ad viam regredi, a via aberrare sit... Ita alitur quorumlibet licentia flagitiorum; ita Crux Christi evacuatur: jam enim crimen ludus est, & pænitentia crimini datur. *Hæc ille; & plura similia iidem Episcopi in epistola alia ad Innocentium X. data anno sequenti 1645. die 21. Julii.*

ILLUSTRISSIMI AC RELIGIOSISSIMI PRINCIPES in Nodo Prædestinationis dissoluto sibilare virus Pelagii & pejus aliquid, scripta hujus Collectionis ostendunt; ac insuper ab eodem tradi præter plures alias opiniones laxiores, illam ipsam de requisita ad peccandum

advertentia malitiæ, quam Comitiis vestris anno 1656. studiosissimè denuntiarunt Parochi Parisienses, quæ damnati Philosophismi genuina mater est, & totius moralis Christianæ pernicies.

Inclyti Prædecessores vestri in præfatis Comitiis professi fuêre per epistotolam encyclicam, *Plurimi Parisiensis aliarumque præcipuarum Regni hujus Civitatum Parochi, tum querimoniis quas suorum Præsulum permissu de grassantibus malis detulêre Nobis; tum obtestationibus pro adhibendo iis remedio zelum Nostrum auxerunt, doloremque duplicarunt. Quod si Conventum Nostrum citius accessissent, quaslibet novas Casuistarum ex quibus extracta obtulerunt, propositiones examinassemus diligentissimè, sententiamque solemnem tulissemus quæ hujus conscientiarum pestis grassationem stitisset. At deficiente tempore quod examini huic peragendo per accuratissimam diligentiam, sic exigente rei momento, necessarium erat, existimavimus non posse nos melius,*

quan-

quantum præsens fert occasio, tam deplorando malo adferre remedium, quam expensis Cleri imprimi jubendo instructiones factas a sancto Carolo Boromæo.

Similiter Episcopus Venciensis de iisdem Comitiis, quorum pars magna fuerat, testatur in Censura Apologiæ pro Casuistis: *In postremo Cleri Gallicani Conventu Parisiis habito anno 1656. Rhotomagenses Parochi ad illum remissi, itemque Parisienses collectas ex recentioribus Casuistis complures propositiones Nobis excutiendas obtulêre: harum omnes lectio horrore perculit, & prope abfuit quin Nobis aures obturaremus, ut Niceni Patres ne Arrii blasphemias audirent fecisse memorantur. Magnus omnes zelus & ardor incessit cöercendæ perditorum illorum scriptorum audaciæ qui tam nefarie sanctissima quæque Evangelii dogmata pervertunt, eamque morum disciplinam in Ecclesiam invehunt, quæ non profligatis Ethnicis pudori, ac Turcis non planè improbis offensioni foret.* Addit opiniones obla-

tas

tas per deficientis injuriam temporis damnationi fuisse subductas.

Idem Parochis Parisiensibus Abbas Cironius Universitatis Tholosanæ Cancellarius, qui in Comitiis illis non exiguam partem habuerat, scripsit verbis sequentibus: *Ego Episcopos ad diabolica illa dogmata, quæ vestris continebantur excerptis, proscribenda semper vidi paratissimos; tantumque omnes adversus illa horroris præ se ferebant, ut solis demum temporis angustiis & concludendi diuturnioris Conventus necessitate a conficienda Censura præpediri liqueret. Mihi quidem ita persuasum est ad ejusmodi morum doctrinam ex animo detestandam non aliud requiri quam ut quis Deum esse credat, nec primis Christianæ Religionis elementis renuntiarit. Utinam illam vel universo meo sanguine fundendo abolere liceret.*

In tempore igitur offertur hæc scriptorum Collectio, ut pro religione vestra dignemini prosequi factam Nodi dissoluti denuntiationem, & quamvis

arden-

ardentem pro veritate zelum veſtrum; qui non eget oleo noſtro, nequaquam præſumimus augere, tamen date veniam quod Parochorum Pariſienſium ad Comitia anni 1656. verba repetantur quæ Prædeceſſoribus veſtris tam accepta fuêre, ut zelum iis ſuum auctum fuiſſe libenter agnoverint: (b) *Eccleſia univerſa*, Illustrissimi Principes, *Vos obteſtatur: nimium honoris ejus intereſt. Non poteſt tolerare diutius ſive improperia Hæreticorum ſuorum hoſtium, qui ex imputatis illi hiſce pernicioſis dogmatibus diffamare eam ſtudent; ſive conſpi-*

(b) *Toute l'Egliſe*, Messeigneurs, *Vous en coniure: ſon honneur y eſt trop intereſſé: elle ne peut plus ſouffrir ni les reproches des Heretiques ſes ennemis, qui tachent de la decrier en lui attribuant ſes maximes pernicieuſes; ni la temerité de quelqu'uns de ſes Enfans qui conſpirent avec eux pour lui faire la même injure. Car n'eſt ce pas le plus grand ſcandal qui ſoit jamais arrivé dans l'Egliſe de Jeſus Chriſt, que les Heretiques ayant eû la hardieſſe d'imputer a tout le Corps des Catholiques les relachemens de quelques particuliers, il ſe trouve en ce tems des compagnies tout entiers qu' les en avoüent, qui juſtifient leur accuſation.*

ſpirantium cum illis ad inferendam hanc injuriam, quorundam Filiorum ſuorum temeritatem. Numquid enim ſcandalorum maximum, quod umquam Eccleſiæ Jeſu accidit, illud eſt, quod audentibus Hæreticis univerſo Catholicorum Corpori imputare quorumdam Novatorum laxitates, reperiantur hoc tempore Societates integræ, qui eas admittant & illorum conentur juſtam reddere accuſationem.

Has ergo, ECCLESIÆ PATRES, benignè accipite Lucubrationes; & ſuam ignoſcite importunitatem Offerenti, qui pro ſalute Illuſtriſſimi Cleri Gallicani & commiſſi Gregis, ac pro felici Comitiorum veſtrorum ſucceſſu Deum Optimum Maximum ſine intermiſſione orabit

ILLUSTRISSIMARUM
G. G. V. V.

DEVOTISSIMUS ET HUMILLIMUS
FAMULUS N: N:

PRÆFATIO.

A*Liquot jam anni ſunt, cum Gallicanæ Eccleſiæ nonnulli, iique magni nominis, eximiæ doctrinæ, præcipuæque autoritatis Antiſtites*, Nodum Prædeſtinationis Diſſolutum *Apoſtolicæ Sedi, ſummoque Pontifici, ut gravibus ſcatentem erroribus denuntiarunt. Exinde non pauci cum iiſdem Illuſtriſſimis Præſulibus deplorant ingens ſcandalum ac detrimentum, quod ex Libro illo patiuntur Fides Catholica, Eccleſia, & ſalus animarum. Eò plus dolent, quod per iteratas editiones operis, quod utilius luce caruiſſet, vident malum latius ſerpere, & dum nihil adhibetur remedii, graſſari ſecurius. Interea dum multorum animos hæc ſolicitat cogitatio: nemo erit quem tangat cauſa & Catholicæ veritatis, & Gratiæ Chriſtianæ & ſalutis animarum? Nemo, qui tantis malis mederi ſtudeat? Opportunè inciderunt per divinam Providentiam in manus noſtras ſcripta variorum, quos adverſus* Nodum diſſolutum *Dei Gratia & Fides Catholica in ſui patrocinium excitarunt. Theologicum hoc, tamque neceſſarium communi ac publico malo remedium quod Pontificio præcurrit, religioni duxi non commune ac publicum facere, territus commina-*

tione

tione Sapientis: Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis.

Plurima enim in Nodo diſſoluto *concurrunt quæ ſcandalum augent, nimirum & errorum enormitas, & ſpecioſus putridarum mercium fucus & prætenſi Authoris eminentia, & approbationum magnifica & ſesquipedalia verba, & Moliniſtarum, amatorumque moralis laxioris applauſus, & malæ cauſæ pejor defenſio.*

Lib. 2. de pecc. orig. cap. 24. *Quod ad errores attinet, veriſſimè dixit Auguſtinus:* In cauſa duorum hominum quorum per unum venumdati ſumus ſub peccato, per alterum redimimur a peccatis: per unum præcipitati ſumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam ..... In horum ergo duorum hominum cauſa propriè fides Chriſtiana conſiſtit. *Et Sermone* 30. *editionis* PP. *Benedictinorum:* Hoc eſt Chriſtianæ Fidei fundamentum, unus & unus. Unus homo per quem ruina, alius homo per quem ſtructura, *id eſt, doctrina de peccato originali & Gratia Chriſti, Fidei Chriſtianæ fundamenta ſunt. Ergo plena ſcandali & diſcriminis doctrina eſt, quæ hæc Fidei fundamenta diruit, ſicut manifeſtum eſt ea dirui per ſequentia* Nodi Diſſoluti *dogmata.*

p. 118. Deus parvulos Cælo excluſit ob peccatum non proprium, ſed paternum.

p. 114: Parvuli qui ſine baptiſmo decedunt, beati quidem non ſunt, nec tamen pereunt. *Addit*

dit alibi Non damnantur. *Insuper* In hac, *inquit*, parvulorum causa considerandum est, licet Deus ad cælestem gloriam non eos admiserit, alio tamen multoque majori beneficio affecisse. *Tam procul in negatione peccati originalis nullus umquam Pelagianus abiit.* p.164. p.120.

Quod aliud dogma Gratiæ Christi esse potest illo infestius Fixum ergo ratumque sit nihil aliud ex sententia S. Augustini Gratiam effectricem esse quam cognitionem congruam. Planè ipsa divinę bonitatis ratio exigit, ut in dandis majoribus aut minoribus gratiis major minorve necessitas & infirmitas peccatoris attenderetur, ideò enim plura remedia Judæ reprobo adhibita, quam Petro electo, p.217. p.107.

Quid moralis Christianæ fundamenta æquè ac istud evertit : (*h*) Sicut nullum peccatum est non contra rationem, ita nullum non contra conscientiam. *Quid periculosius illo.* Demus ita ignorasse (*Deum invincibiliter Brasiliæ incolas*) id quoque magna beneficii & Gratiæ pars fuit, cum enim peccatum sit essentialiter offensio & injuria Dei, sublatâ Dei cognitione, necessariò sequitur nec injuriam nec peccatum nec æternam pœnam esse. Ergo cum hac ignorantiâ impeccabiles redderentur, alioquin certissimò peccaturi si agnoscerent, sequitur hoc ipsum benefi- p.161. p.152.

cium

lium esse.... Ergo sive Barbari agnoscant, sicque invocare illum & salutem consequi possunt, sive penitus ignorent, & ideò nec possint peccare, semper verum erit ne illis quidem misericordiam deesse. *Hæc sunt (si Superis placet) principia de propaganda Fide.*

Scandalosa illa quidem a quocumque doceantur, sed quanto cum majori periculo traduntur ab ejusmodi Libro, cujus fronti splendor ex Purpura, & culmen authoritatis accersitur sive ex genuino sive ex imposito (sicut equiden mallem, si fieri potest, credere) Authore CÆLESTINO S. R. E. PRESBYTERO CARDINALE SFONDRATO? *Quis sine suspicione mali venenum non bibet, quod tam specioso calice propinatur? Quis non induet se in casses, quos velat & ornat Purpura? Quanta hinc saluti animarum pericula! cum verissimè dixerit Cardinalis Bellarminus*: Nomen Cardinalis idem fere sonare videtur quod principalis, sive is a quo alii pendent, ut a cardine ostia dependere solent. Cum enim Cardinales, *inquit Eminentissimus D. Aguirius in præfat. ad Concilia Hispaniæ*, ex vi muneris sui sint intimi consiliarii & coadjutores Romani Pontificis, non in ordine ad bonum regimen aut reformationem unius Provinciæ aut Regni tantùm, sed totius Orbis Christiani, debent pro virili laborare opere,

De clericis lib. 1. cap. 16.

verbo,

verbo ac ſcriptis in eundem ſcopum ; ac ſtudium & curam ſuam doctrinamque ſalutarem, tutiorem, imitationi Chriſti aptiorem, ſacris Canonibus conformiorem ; ac proinde ſeveriorem, porrigere. *Ab hac verò quàm procul deviaverit* Nodus Diſſolutus, *probant porrecta ſuperius ſpecimina.*

Diſcrimen augent ſpecioſæ approbationes, ac præcipuè F. Joannis Damaſceni Ordinis Min. qui ſuam pro imperio & palma videtur compoſuiſſe, nequaquam ſolicitus ut de Nodo diſſoluto *æquius ſentiret, ſed ut magis magnificâ adulatione eum extolleret. Hanc ergo palmam quam ambiit, cæteris omnibus præripuit; gloriaturque inſuper ſe curaſſe tam præclari Operis editionem :* Non alio itaque Lemmate, ait, inſcriberem Librum, quam quo ſuum de Oratione Gregorius Nyſſenus *τὸ ἱερὸν καὶ Θεῖον ἔργον* ſacrum & divinum opus. *Addit prudentiam eminere*, tam religioſè, ut ita dicam, in hoc Opere, imò in quavis Operis linea, & in quovis pene apice, ut (ſicut in omni ejus actione) nullibi deſideretur. *Nec hoc ſatis :* Sanè, *inquit*, nîl cautius Authore noſtro, nam ubicumque aliquid probandum ſuſcipit vel ſacrorum Codicum authoritati innititur, vel exquiſitis Theologiæ principiis adhæret, vel SS. Patrum & Auguſtini imprimis ſententiâ fulcitur. *Addit pro coronide ſubtiliſſimum laudis argumentum :*

Ut

Sfondrati de gratia & Prædeſtinatione tractantem, permiſit edi prudenti diſpenſatione; injurioſa eſt Cardinali Albano Apoſtolicorum Brevium Secretario, cujus curis Opera Sfondrati commendavit ſummus Pontifex; injurioſa eſt Coſmo tertio magno Hetruriæ Duci & Cardinali Leandro Colloredo, quorum ſtudio Liber in lucem prodiit; injurioſa eſt Cardinali Bernardino qui ut ſacri Palatii Magiſter, Nodum a Doctoribus approbatum imprimendi facultatem conceſſit &c.

Hæc tam pulchra & pro commendatione Nodi diſſoluti *urgentia exiſtimavit, ut pag.* 11. *gratulando Bibliopolæ Colonienſi repetat*; Feliciter edidiſti Cœleſtini Cardinalis Sfondrati Nodum Prædeſtinationis, quem ſummus Pontifex commendavit Cardinali Albano; cujus editionem procurarunt magnus Hetruriæ Dux & Cardinalis Coloredo; cum quo diſpenſavit propter argumenti genus Cardinalium Congregatio; quam approbarunt Doctores & Magiſter ſacri Palatii. Tantorum nominum contemptor Secretarius Rhemenſis Nodum illum accuſavit tamquam hæreticum. Regum Maximi Concionator, cujus lingua calamus ſcribæ, Nodi defenſionem, ubi limborum pueri vindicantur, ſuſcepit, commotus hoc Dei mandato: *In judicando puſillis eſto miſeri-*

cors

cors & pater : & observantiâ nominum sub quorum umbra Nodus Sfondratianus protegitur. *Si hæc impune dicantur & palàm , imo dedicentur sacro Collegio Cardinalium , quam luctuosa a* Nodo *ejusque defensione timenda sunt detrimenta fidei, salutique animarum.*

Sanè verisimile est Defensorem hunc esse athletam aliquem & quidem antesignanum ex agmine illo, quod Generalis quidam præpositus promisit se in arenam missurum pro Nodo Dissoluto, *si hunc quispiam auderet lacessere. Sed infelix causa, quæ tali defensione non purgatur , sed lutatur amplius, sicut manifestum reddunt specimina sequentia !*

Nam pag. 25. *nomine infantium non baptizatorum dicere non veretur :* Si pænis corporeis patrum essemus obnoxii, non cessaret proverbium (*apud Jeremiam cap.* 21.) ET POSSEMUS DEUM ARGUERE PERJURII.

Pag. 70. *inducitur Christus post mortem suam prædicans in lymbo non baptizatis pueris :* Possidebitis beatitudinem naturalem . . . . nihil vobis deerit ad felicitatem præter visionem beatificam , sed defectum istum compensabo abstrahendo cogitationem vestram ab isto objecto. Vivite in expectatione beatitudinis istius naturalis ; ego interim revertor prope Calvariam resumpturus meum corpus.

Pag. 40. *infantium non bapzitatorum nomine ait ;* Non obstabit quo minus tamquam

Danielis alumni benedicamus Domino; qui nos Barbaris ex parentibus natos, non permisit diutius vivere nec labi in idololatriam, aliaque Barbarorum adultorum crimina. Ne putate nos hic (*sic inducuntur pag.* 43. *in limbo loqui*) tamquam statuas silere; incredibile est quam jucundè exegerimus tempus, quod intercessit usque ad adventum Christi. Quid de paradiso terrestri non narravit Adam? ab eo didicimus primum idioma mundi.

Præterea pag. 45. Beatitudinem naturalem hanc adipiscemur, postquam bonus Pastor segregaverit oves ab hædis . . . . . in terra dæmonibus exemptâ feliciores erimus quam protoplasti: nam nec nobis a serpente tentatore erit formidandum . . . . tantùm abest ut aliquis Cherubim nos excludat his tempe, quin potius, ut docet Catharinus, non carebimus angelicis revelationibus & visitationibus, etiam eorum qui erunt in Cælis, qui hic recreabunt nos & solabuntur, ut præter divinam visionem majestatis nihil nobis deesse intelligamus: nam revelavit Deus Isaiæ & Joanni Evangelistæ fore, ut creet terram novam, longè priori amæniorem: in ea regnabimus non amplius infantes (nam staturam habebimus tunc quam anno ætatis 33. eramus habituri) sine ulla invidia, sine ulla anxietate. Quid demum de nobis postea futurum sit, non investigemus. Certè non de-

sunt

ſunt qui putent imponendum nobis a Deo aliquid præceptum ut Adamo, noſque eo ſapientiores fore, & in mercedem accepturos gloriam æternam, ut fiat unum ovile & unus Paſtor.

Sic generoſus Athleta NodumDiſſolutum *tuetur armis & doctrina Pelagii, quibus pejora addit, quod tamquam Danielis alumni benedicent Deo; quod Angelicis revelationibus & viſitationibus recreandi; quod Adamo feliciores, cum ſpe, juxta nonnullos, mercedis & gloriæ æternæ cum Sanctis omnibus: cum tamen de ſententiâ, ſolam beatitudinem naturalem parvulis non baptizatis pollicita, quam lib. 6. de amiſſione gratiæ cap. 6. numeraverat 2. loco Bellarminus, ſubjungat cap. 2.* Ex enumeratis ſententiis prima & ſecunda non ſolum falſæ, ſed etiam hæreticæ exiſtimandæ ſunt; & contrà fide catholicâ tenendum, eſt parvulos ſine baptiſmo decedentes, abſolutè eſſe damnatos; & non ſolâ cœleſti, ſed etiam naturali beatitudine perpetuò cárituros.

Nec ſufficiebat tam malè cataphracto militi tam præclara defenſio, niſi etiam adverſarios ſuos quinque digniſſimos Galliæ Præſules calumniis proſcinderet: Studium eorum, quo Sedi Apoſtolicæ NodumDiſſolutum, *uti ſcatentem erroribus, denuntiarunt, dignum Epiſcopo zelum hic audet Janſeniſmi inſimulare, quem laudavit Innocentius* XII. *Brevi ſuo ad præfatos Galliæ Præſules:*

 Litte-

Litteras vestras, *inquit*, VII. Kal. Martii proximè prçteriti ad nos datas, grato animo accepimus: ex iis enim vigilem ac sacerdotalem zelum, quo sacros Antistites in partem sollicitudinis nostræ vocatos, flagrare maximè decet, in Vobis vigere.... depehendimus. *Sed contra Innocentii testimonium Advocatus* Nodi Dissoluti *in epistola dedicatoria ad Sacrum Cardinalium Collegium altè reclamat:* Utinam Jansenisticum fermentum in Secretarii solius (*sed nemo non videt feriri quinque Præsules Gallicanos*) pectore latens, non sit palmaris rota, quæ equuleum istum in Sfondtati doctrinam circumagit? Multi putant his animabus globum Sfondrato infestum irritari, nempe quod Sfondratus contra Regalistas & Jansenistas scripserit. Nomen Janseniii, *ait ibid.* ulcus est, ad minimum contactum infremuit Secretarius & ita exarsit: *Quo sanè prætextu ad nova & inaudita prosiliunt.* Aliterne loquuntur Jansenistæ? *Quam quinque scilicet Galliæ Præsules? Postremò concludit epistolâ* 26. Nolite quæso vos, o Franci, nolite hæreses Calvinianas & Jansenianos tanto molimine, tanta felicitate a Salomone pacifico exactas, per cuniculos in Regni viscera revocare.

Et hæc dedicantur & dicuntur sacro Cardinalium Collegio de quinque Ecclesiæ Gallicanæ Principibus, quorum Epistolæ non difficilè subscri-

scriberent plerique omnes Galliæ Episcopi. Ergo Jansenistico fermento & ulcere jam laborant Archiepiscopi Rhemensis & Parisiensis ; & Episcopi Meldensis , Atrebatensis , Ambianensis ? Ergo jam Jansenista est , quisquis Nodi Dissoluti *erroribus adversatur ? Ergo jam tandem Ecclesiæ & Regnorum principes ex hoc clarissimo argumento agnoscant phantasma Jansenismi quæsitum ubique , sed nusquam repertum præterquam in laboranti quorumdam phantasia , quæ ad hoc solùm id fabricavit , ut defendantur errores & vexetur veritas ejusque amici , uti liquet ex hoc specimine.*

Non possunt probi omnes , honorisque Romanæ Ecclesiæ studiosi non sperare à Sede Apostolica , sacraque Congregatione tam enormi scandalo medelam opportunam quam primum exhibitum iri , ne hæretici & minus instructi Catholici verissimum putent , quod nuper prædicavit Pseudopropheta Jurieu : (*a*) Frendentibus Jansenistis Ecclesia Romana se declaravit Pelagianam. *Et Leydeckerus in sua Jansenismi Historia :* Ostensa palam Romanæ Ecclesię lethalis corruptio , ac Pelagianismus nutritus & toleratus est in ejus sinu.

Cum sacra Congregatio prohibuerit tractatus edere de prædestinatione , & divinis auxiliis , concedit interim veniam , quæ fronti voluminis im-

 pressa

(*a*) Malgré les Jansenistes l'Eglise Rmaine s'est declarée Pelagienne.

pressa est, ut edatur Nodus Prædestinationis Dissolutus, *docens apertè parvulos sine baptismo morientes non perire, non damnari, non miseros esse, sed Regno Cœlorum majus a Deo beneficium accipere: nihil aliud ex sententia S. August. gratiam effectricem esse quam* COGNITIONEM CONGRUAM: *nullum esse peccatum quod non sit contra conscientiam, & ejusdem farinæ plurima.*

Romæ liber imprimitur, proditque splendens titulo & purpurâ Cœlestini S. R. E. Presbiteri Cardinalis Sfondrati; prodit magnificè laudatus per Romanæ & universalis Inquisitionis Qualificatorum & S. Congregationis Indicis Consultorum approbationes, munitus insuper censurâ Magistri sacri Apostolici Palatii Ordinis Prædicatorum.

Clamat altè innumeris linguis Societas per Orbem universum, summo Pontifici Innocentio XII. & Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus charum esse Nodum Dissolutum: *numquam satis laudatum Opus, continere genuinam Romanæ Ecclesiæ doctrinam: per hanc enim putant sua Molinæ dogmata tantum non, ut ajunt, canonizata. Itaque ad exemplar editionis Romanæ, alia duplex adornata est, altera Coloniæ, altera Antverpiæ. Sic magnis viribus certatur ad augendam præclari Operis æstimationem, propagationemque.*

Ne verò imaginarias solùm laudes commemorare videar, ecce eas, quas Appendix ad Nodum Sfondratianum Sacro Cardinalium

Colle-

Collegio offert in Epistola proœmiali : Da mihi, vovebat Salomon, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit & mecum laboret. Salomonici plusquam factus est compos voti Sfondratus : siquidem in approbatione & editione sui Nodi non tantum coadjutricem habuit Apostolicæ Sedis Sapientiam assistricem Cardinales, sed & ipsam Sanctam Sedem, Innocentium inquam XII. *Deinde, sicut supra exhibitum est, gratulatur Bibliopolæ Servatio Noethem :* Feliciter edidisti Cœlestini Cardinalis Sfondrati Nodum Prædestinationis, quem Summus Pontifex commendavit Cardinali Albano ; cujus editionem procurarunt Magnus Hetruriæ Dux & Cardinalis Coloredo : cùm quo dispensavit propter argumenti genus Cardinalium Congregatio ; quem approbarunt Doctores & Magister Sacri Palatii : Tantorum nominum contemptor Secretarius Remensis *(quinque Galliæ Præsules designat)* Nodum illum accusavit tanquam hæreticum.

Sic apud S. Cardinalium Collegium Nodus *extollitur ; Sic, qui eum denuntiarunt, Galliæ Præsules sugillantur, tamquam maximorum nominum contemptores, velut gerentes in pectore fermentum Jansenisticum, quod tamquam palmaris rota equuleum istum in Sfondrati doctrinam circumagat : velut laborantes ex Jansenismi ulcere, ad cujus minimum contactum fremunt,*

& sic in sua denuntiatione loquuntur, ut aliter non loquantur Jansenistæ. *Denique tanquam Patriæ & Religionis proditores, qui velint hæreses Calvinianas & Jansenianas magno molimine in Ecclesiæ & Imperii viscera revocare.*

Quam porrò ex his omnibus, nisi remedium adferat Sedes Apostolica, discipuli præceptoris Jurieu & Leydeckeri inferent conclusionem, præter hanc falsam quidem, sed uti ipsi putant, plausibilibus nixam argumentis: Frendentibus Jansenistis Ecclesia Romana declaravit se Pelagianam.

Et quamvis paulò minus ferocire videatur Minister Banagius in Historiâ Ecclesiasticâ recenter editâ, quippe qui Ecclesiam solùm describit tanquam in Semipelagianismum propensiorem; quis interim audire sustineat eundem occasione Nodi *Ecclesiæ, Pontifici, Episcopis his verbis insultantem.* (b) Moritur Cardinalis Sfondratus parturiens librum, ubi, cum se Augustinianę Doctrinæ inhærere profiteatur, in as-

Histoire de l'Eglise l. 27. c. 8.

(b) Le Cardinal Sfondrata meurt en enfantant un livre, ou sous pretexte de suivre S. Augustin, il enseigne le Semipelagianisme le plus outré qu'on ait jamis vu. Ce seroit au Pape a y remedier: l'Ouvrage est né dans son sein; il part d'une main qu'il a fort honoreé. La dignité de Cardinal peut contribuer a l'etablissement de l'erreur chez

afferendo Semipelagianiſmo inſolentius quam nullus hactenus ſe geſſit. Papæ incumberet remedium adferre. In ſinu ejus natum eſt Opus, profectumque a manu, quam ſingulari in honore habuit: Dignitas Cardinalitia in errore facilè pleroſque confirmabit, de rebus ex prejudiciis paſſim Judicantes. Tacetur nihilominus Romæ. Neceſſum eſt quinque Epiſcopos ex ipſa Gallia accuſationes ſuas contra Librum Romam ad Papam mittere, atque condemnationem ejus efflagitare.

Remedium illud omnes qui & Eccleſiam Romanam & Fidei integritatem, & fidelium ſalutem amant, tamdiu differri dolent poſt tam urgentia pericula, quæ feſtinum remedium exigunt: poſt tam ſolemnem denuntiationem factam menſe Februario Anni 1697. *per quinque, ex primariis Gallicanæ Eccleſiæ, Antiſtites, ſignificantes inſuper:* Plures Epiſcopi ſubſcripſiſſent, niſi pauci ſufficerent, ut ne ambitioſius quam modeſtius agere videremur. *Poſt Sedis Apoſto-*

chez la plus part de hommes, qui jugent de choſes par les prejugez. Cependant on ſe tait a Rome; il faut que cincq Evêques envoyent de France leurs requêtes contre ce livre au Pape, & que de ſi loin ils en demandent la condamnation.

licæ responsum ad Episcopos Galliæ: Officii itaque nostri esse duximus, Librum ipsum, resque in eo a Vobis adnotatas, insignium Theologorum discussioni committere, ut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, quod justum fuerit subinde decernere valeamus. *Nec porrò dubitare nobis licet, quin idem Spiritus Sanctus, qui aliarum sæpe apud Sedem Apostolicam causarum accelerationem ursit, etiam urgeat* Nodi Dissoluti *decisionem.*

Profectò nisi latius grassanti malo diu desideratum remedium apponatur, prorsus expectandum est fore ut densum agmen, quod contra Nodi Dissoluti *oppugnatores se producturum promisit Generalis quidam Præpositus, pergat sicut incepit in* Appendice ad Nodum Sfondratianum, *patrocinium* Nodi Dissoluti *adscribere summo Pontifici Innocentio XII. & Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, cum ingenti sanæ Doctrinæ & Sedis Apostolicæ injuria, magnoque tam Catholicorum quam Hæreticorum scandalo.*

Timendum quoque, ne agmen illud, quod nihil sibi perire sinit, contendat Nodum Dissolutum *saltem negativè a S. Sede esse approbatum, si nihil contra eum decidat; postquam eumdem Theologorum discussioni commisit ut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, quod justum fuerit subinde decerneretur.*

Huic

Huic ergo tam sanctæ summi Pontificis intentioni me serviturum existimavi, si sequentia variorum scripta, quæ ad imperatam Nodi Dissoluti *discussionem oportunè conducunt, publica facerem; ad quod insuper stimulavit justa defensio Præsulum Gallicanorum, qui a* Nodi Dissoluti *mangonibus convitia Jansenismi, multasque injurias pro denuntiatione sua patiuntur, pro qua a Summo Pontifice laudes & gratias, quas apud omnes merentur, acceperunt.*

Itaque primum Scriptum hujus Collectionis est Præsulum quinque Gallicanorum ad Innocentium P. P. XII. Epistola.

II. Archiepiscopi Remensis de Nodo sententia.

III. Propositiones Quadraginta è Nodo *excerptæ.*

IV. Animadversiones in locos in Nodo *citatos.*

V. Responsio pro S. Augustino ad Nodum Dissolutum.

VI. Observationes in excerpta Nodi Dissoluti.

VII. Excerptum ex Historia Congregationum de Auxiliis recens edita, adversus quatuor nova Enodatoris Paradoxa de Naturali Beatitudine Parvulorum sine Baptismo decedentium. Sive Caput XVII. Libri IV. hujus Historiæ, Præclarissimi illius Operis, quod Deus excitavit tùm ad

bene

benè resarciendum malè illata suæ gratiæ damna, tum ad confundendam linguam eorum, qui suo latere & bitumine turrim moliebantur, cujus culmen Cœlos invaderet.

Circa scriptum sextum cui titulus, Observationes in excerpta *&c. hoc præmonendum duxi, continere illud placita quædam, quæ cum Augustini & verioris Doctrinæ principiis judicantur a viris eruditis non satis conciliari posse, qualia sunt.*

1. *Gratiam habitualem jus tribuere ad gratiam actualem, neque hanc posse justis justè denegari, sicut nec gratiam orandi.*

2. *Prædestinatianos agnoscit hæreticos.*

3. *Gratias exteriores interioresque communes omnibus commendat, commendarique vult.*

4. *Gratiam Angelorum & Adami ante lapsum majorem censet eâ, quæ nunc lapsis datur.*

5. *Significat definitum esse a Tridentino, illud* Deus non deserit *&c. intelligendum esse de gratia actuali.*

6. *Censet errorem esse damnabilem, justificatos deseri a Deo ex merito peccati originalis.*

Alia forte nonnulla in Scripto illo reprehendi possent; verum sicut mihi animus non est ea præstare, sic nec libet refellere; quod non ægrè mihi ignoscent Nodi Dissoluti *Tutores, cum ipsi etiam ex plerisque notatis scopulis laborent, & nobis solùm propositum sit scripta, quæ in manus nostras inciderunt, fideliter edere, quantu-*

Gra-

lumcumque servire possint sive discussioni Nodi *a Pontifice maximo imperatæ; sive demonstrandæ æquitati denuntiationis Gallicanorum Præsulum; sive tollendo scandalo ac detrimento quod a* Nodo *patiuntur Fides, Ecclesia, Salus animarum. Igitur exequimur propositum.*



CENSURA.

Liber hic, cui Titulus, *Augustiniana Ecclesiæ Romanæ Doctrina* clarè ostendit, quam misera sint humanæ rationis, cui nec Scriptura, neque Traditio prælucet, ratiocinia; præsertim in materia Prædestinationis & gratiæ, in qua toties exclamat Doctor Gratiæ S. Augustinus: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Meritò igitur lucem videbit & cum attentione legetur; & si qui fortè ex lectione Libri, quem impugnat, in vera Doctrina, quam de Prædestinatione & gratia, duce Augustino sequitur Ecclesia, titubare cœperint, erigantur & confirmentur, ac nemo imposterum doctrinis novis, variis ac peregrinis facilè abducatur.

Actum Antverpiæ hâc
11. Martii 1700.

ARN. EYBEN Cath.
Antv. Can. Theol.
Librorum Censor.

CAUSA DIVINÆ GRATIÆ

Sive

COLLECTIO SCRIPTORUM &c.

I.

EPISTOLA

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS.

ECCLESIÆ PRINCIPUM

C. MAUR. LE TELLIER Arch. Duc. Remens.,
LUD. ANT. DE NOAILLES Archiep. Parisiensis,
JAC. BENIGNI BOSSUET Episcopi Meldensis,
GUIDONIS DE SEVE Episcopi Attrebatensis,
& HEN. FEYDEAU DE BROU Ep. Ambianensis,

AD SANCTISSIMUM

D. D. INNOCENTIUM PP. XII.

Contra librum cui titulus: *Nodus prædestinationis dissolutus, auctore Cœlestino S. R. E. Presbytero Cardinali* SFONDRATO, typis mandatum Romæ anno M. DC. XCVI.

BEATISSIME PATER,

EPISCOPORUM est sine personarum acceptione detegere errores, qui quo altiore

loco se attollunt, eo graviore ictu conterendi. Itaque ad Apostolatum vestrum deferre cogimur propositiones istas: primam, *quantum ex parte Dei est, omnes dilecti: omnes ad vitam æternam, aut aliquid quod vitâ æternâ melius sit, (ut de infantibus baptismo non tinctis postea dicemus:) destinati.* Hæc scripta reperimus in libro, cui titulus: *Nodus prædestinationis dissolutus.* Neque enim metuimus, B. P. ne, quia eminentissimum Cœlestinum Sfondratum, tot egregiis dotibus commendatum, ut serviret Ecclesiæ, ad tantam dignitatem provexistis, idcircò illius quoque ignoscatis erratis quæ ad Ecclesiæ fidem labefactandam pertinerent: imò verò scimus, Vestram Sanctitatem, ut veritati & Ecclesiæ serviat, nullius nomini parcituram, ac nos magis peccaturos, si necessaria taceamus.

P. 1. §. 1. n. 2. p. 14.

Sanè faveamus licet optimi viri memoriæ, ingenio & elegantiæ, tamen obstupuimus ad inauditas voces. Sed cùm Auctor ad alios nos remittat locos, ubi de infantibus sermo sit, ad eam tandem partem legendo devenimus, in quâ hæc sunt posita: *parvulos quod attinet, qui sine baptismo decedunt, cœlesti quidem regno, quasi paternæ culpæ reos, nec expiatos exclusit. Non exclusit tamen naturalibus bonis:* beatitudine scilicet naturali: quod primum annotamus: *& à peccato præservavit; æternoque supplicio, quo si adolescerent, puniendi essent: cùm sola*, inquit, *præ-*

Ibib. n. 13. p. 48.

præservatio à peccato, quam semper supponit in parvulis, originali licet vero magnoque peccato inquinatis, *pluris valeat, majorisque pretii sit, quàm regnum ipsum cœlete:* quasi major res sit, tantum carere malis, quàm æternâ vitâ Deoque ipso perfrui: quæ tam absurda, tam vana sunt, ut christianæ aures ferre non possint.

Quo magis legendo processimus, B. P. eo pejora occurrebant: qualia profectò hæc sunt: *In hac parvulorum causâ considerandum est, licet Deus ad cœlestem gloriam eos non admiserit, alio tamen multoque majori beneficio affecisse, quod illi ipsi longè cœlo prætulissent; & nos quoque, si electio daretur, multò majoris pretii quàm cœlum duceremus.* Et paulo post: *quid ergo conqueri de Deo possunt; aut quid illis mali fecit, si non quidem cœlo, at alio beneficio donavit, quod multò præstantius cœlo est, quodque & ipsi & omnes sapientes cœlo præferrent?* Unde concludit: *Ergo nulla dolendi, nulla conquerendi, sed magis gaudendi, gratesque agendi, causa est*; ut profectò parentibus christianis parvulos suos amittentibus sine baptismi gratiâ, non luctus, ut fit, sed gratulatio indicenda sit: ipsi verò parvuli, tanti licet sacramenti exsortes, lætis magis vocibus quàm lacrymis prosequendi videantur.

Ibid. n. 23. p. 120.

Hæc quidem sufficerent ad condemnationem tam inauditæ novitatis; sin autem responderi volunt auctoris ratiociniis ex parvulorum

innocentiâ, ut vocat, perſonali repetitis, de his quidem mox viderimus, ſi V. S. permiſerit: rogamus interim, te teſte, te judice, B. P. ecquid in fidei quæſtionibus ratiocinia ſine Scripturis ac traditione valeant? cùm Prophe-
Iſ. viij. 20. ta clamet, *Ad legem magis & ad teſtimonium*, ad Traditionem, ad Patres: ne, ſi, tu Theologe quiſquis es, aliquid evangelicæ prædicationi addideris, quâcumque dignitate fulgens, quocumque hominum præſidio fretus, ſis licet Apoſtolus, ſis licet Angelus, ab altâ Petri ſede tamquam è cœlo feriaris, ac ſermones tui anathema fiant.

Et tamen illa ſubtilium argumentorum inventa videamus, ipſumque erroris recluda-
Ibid. mus fontem. *Nempe*, inquit, actualibus *cùm venialibus tùm etiam mortalibus peccatis ſubduci*, regno eſt potius: atque ut verbis clarioribus auctoris utamur, *innocentiæ perſonalis donum & immunitatis a peccato tantum eſt, ut ipſi parvuli millies cœlo carere malint, quàm vel uno peccato involvi, nulluſque Chriſtianorum eſt, cujus non idem votum eſſe debeat:* quod eſt vaniſſimum.
Rom. iij. 8. Neque enim ſi vetuit Apoſtolus, ne *faciamus mala, ut veniant bona;* ideò prohibere poſſumus Deum, quominus ex permiſſis peccatis pro ſuâ excellentiſſimâ poteſtate majora bona eliciat, quàm ea quæ ante peccata futura erant: neque propterea peccatis delectamur: abſit; Ibid. v. 20. ſed eidem Apoſtolo dicenti credimus, *ubi abundavit*

davit delictum, superabundasse & gratiam. Nempe ex peccatis meminimus, tantam gratiæ accessionem factam, ut etiam eorum occasione Christum habeamus. Nec si Petrus è lapsu evasit humilior ac deinde fortior atque felicior; ideò liceat nobis peccatum, innocentiæ; sed uberiorem post peccatum gratiam minori anteferre, Deique omnia mala vertentis in bonum exsuperantissimam prædicare bonitatem.

De his ergo argutiis, beatissime Pater, salvâ reverentiâ Vestræ Apostolicæ Sanctitatis, id meritò dixerimus: *Telas araneæ texuerunt:* *Isa. lix* quibus imbecilles animæ caperentur. Neque *5.* enim quòd peccatum toto animo horreamus, ideò invidere debemus aut Deo liberalitatem suam, aut nobis felicitatem nostram: nec prohibere quis possit, quominus cum Ecclesiâ concinamus lætum illud ac faustum: felix culpa! &, ô verè necessarium Adæ peccatum!

Hæc vera, hæc pia sunt, non ex recentibus novæ pietatis ducta commentis, sed ex veris fontibus christiani apostolicique spiritus. Quod autem toties parvulis *immunitas a peccato*, ipsaque adeò innocentia tribuatur, intolerabile credimus: vanaque erroris excusatio est, quòd illa *innocentia* novo atque ambiguo nomine *personalis* vocatur. Neque enim parvulorum persona innocens est, *ad quam peccatum*

Nod. diss. §. 1. n. 13. & 23. p. 48. & 120.

Conc. Arauſ. II Cap. 2. Conc. Trid. Seſſ. V. Can. 2.

ipſum quod eſt mors animæ tranſit, ut eſt in Arauſicano II. ac poſtea in Tridentino Concilio definitum: non, inquam, perſona innocens eſt, eo quòd careat peccatis porpriâ voluntate contractis: imò verò peccatrix, quæ ſub irâ Dei atque in poteſtate tenebrarum naſcitur: quæ exorciſmis exſufflatur: quę aquâ mundatur: valetque omninò illud quod à S. Auguſtino Synodus Tridentina depromſit; originale peccatum non utique nobis eſſe extraneum: imò ut *origine unum, ita propagatione unicuique eſſe proprium*: nec niſi inhærente & propriâ ſanctitate purgandum.

Seſſ. v. Can. 3.

Ejicite ergo, Beatiſſime Pater, ex Eccleſiâ Dei, cui pari integritate ac poteſtate præſidetis, degeneres molleſque ſententias, quæ pietatis ſpecie vim ipſam pietatis infringunt. Neque enim diſſolvit, ſed implicat nodos, qui humanis affectibus exilibuſque argutiis magis, quàm eccleſiæ traditione ducitur. Nec ſemel dixiſſe contentus eundem errorem ſemper inculcat magnificentioribus verbis: cum dona collata parvulis ſine Chriſti ſacramento decedentibus, *ad Chriſti merita ac redemtionem pertinere* aſſerit: ut hinc quoque vel maximè redemti parvuli cenſeantur, quòd ſacramenti redemtionis expertes nullâ in Redemtoris regno & corpore parte ſint: quo quid abſurdius & in Redemtorem ipſum contumelioſius dici poſſit, nos quidem non videmus.

Ibid. §. 2. n. 16. p. 164.

Quo

Quo loco idem auctor hoc etiam addit: *non damnari* parvulos: quippe qui propter alienum nec personale peccatum damnari non possint: at quis hæc docuit? Non certè Concilium Lugdunense II. sub Gregorio X. non Florentinum sub Eugenio IV. quorum hæc fides est, hæc definitio: *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* En quo: en quibuscum descendant: qui naturâ filii iræ, exosi & invisi, cum cæteris damnatis ad infernum detruduntur: quos tamen auctor noster *non damnari* docet, quasi aliud sit damnari, quàm ad infernum descendere: insuper si Deo placet, patriæ exilium, favori & gratiæ iram, denique *ipsi cœlo* infernum anteponit: usque adeò summis ima permiscet.

§. 1. *n.* 23. *p.* 118. §. 2. *n.* 16. *p.* 164.

t. xi. concil. Labb. part. 1. *p.* 966. *Decret. union. t.XIII. p.* 515.

Quod verò damnari negat, qui a pœnâ sensûs, hoc est ab ignis æterni cruciatu, passim immunes habeantur: quid ad nos, qui eâ de re non contendimus? Consulant qui voluerint doctissimum Dionysium Petavium: consulant imprimis eminentissimum Henricum Norisium, à V.S. insignis doctrinæ merito, christiano orbe applaudente, ad summaquæque provectum: nos quidem hæc prætermittimus, ac theologis disputanda relinquimus. Quàm autem sit immanis error, ab inferno ac damnatione absolvere parvulos sine Christi sacramento defunctos, Cardinalis Bellarmini verbis

1. *t. Theol. dogm. lib.* 9. *n.* 5. *Vind. August. cap.* 3. §. 5. *à pag.* 50. *ad.* 84.

r. 3. *lib. vi. cap.* 2. bis malumus quàm noſtris dicere: qui quidem ex prædictis aliiſque decretis, hanc ſententiam ab Ambroſio licet Catharino aliiſque defenſam, non modò *falſam*, ſed etiam *hæreticam exiſtimandam eſſe* concludit: & contrà, FIDE CATHOLICA *tenendum, parvulos ſine baptiſmo decedentes abſolutè eſſe* DAMNATOS: *nec ſolâ cœleſti, ſed etiam* NATURALI *beatitudine perpetuò carituros, qui nempe ſunt eruntque ſemper averſi habitualiter a Deo: deguntque ac ſemper degent in carcere inferno*: ex Concilii Lugdunenſis Oecumenici decretis, in Concilio Florentino repetitis: Eccleſiâ orientali unà cum Romanâ & occidentali in unam fidem concinente. Ex his igitur aliiſve decretis, teſte Bellarmino, illi parvuli *ſub poteſtate diaboli in carcere inferno* degunt, *loco*, inquit, *horrido ac tenebricoſo*: quod quid eſt aliud, quàm projici cum damnatis in horrendas illas exteriores tenebras, & ibidem eſſe ſub poteſtate tenebrarum, quarum id regnum eſt?

Ibid. cap. 2.

De affectibus verò illis, quos pios vocant, juvat eundem Bellarminum audire hæc ſanctè & graviter diſſerentem: *Nihil prodeſſe parvulis jam defunctis miſericordiam noſtram, & contrà nihil eiſdem obeſſe noſtræ ſententiæ ſeveritatem: multum autem nobis obeſſe, ſi ob inutilem miſericordiam erga defunctos, pertinaciter aliquid contra Scripturas aut Eccleſiam defendamus: idcircò non affectum quendam humanum, quo plerique moveri ſolent*,

Ibid. init. cap.

solent, sed Scripturæ, Conciliorum, & Patrum sententiam consulere, & sequi debemus.

Atque abfuisse quidem à celeberrimo Sfondrato Cardinali hanc pertinaciam facilè confidimus: cæterum tacere non possumus id, quod de sancto Augustino scribit: *Nunquam*, scilicet, *Augustinum hoc modo philosophatum esse, sed in causâ parvulorum* non nisi ad occulta Dei judicia provocasse. Hæc ille de S. Augustino, quem in ipso libri titulo suæ solutionis auctorem prædicabat. Et tamen posteà ejusdem doctrinæ diffisus, ac plus tanto doctore, absit verbo injuria, sibi sapere visus, hæc subdit: *Nec id ad Augustini institutum pertinebat, nec voluit ipse aliis adimere libertatem ea omnia dicendi, quæ deinceps opportuna viderentur: præsertim*, inquit, *adversus Calvinum atque Jansenium:* quo sanè prætextu ad nova & inaudita quæque prosiliunt. An enim si novi auctores confutandi veniunt, ideò nova quoque dogmata invehi necesse est in Ecclesiam? nempe hæc, quòd parvuli tam luctuoso puniantur exilio, non ad illa tremenda judicia, sed ad Dei gratiam potiorem referri oportere? quæ profectò si ad nodum reprobationis parvulorum dissolvendum pertinerent, quo in loco explicando Augustinus totus est, non ab ejus instituto abhorrerent. Sed ille huic nodo non aliam solutionem affert, quàm illud Apostoli: *Tu quis es?* & illud, in causâ parvulorum toties

Ibid. §. 2. n. 16. p. 164.

Rom. ix. 20. 21.

repetitum: *an non habet poteſtatem figulus luti, ex eâdem maſſâ* originis vititatæ atque damnatæ, *facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Neque quidquam aliud in parvulorum, ac in totâ prædeſtinationis cauſâ, B. Auguſtinus aut quæſivit, aut promiſit: imò aliud quærentibus id apertè ſignificat, cu non iſta ſufficiant, ut quærat doctiores ſed caveat ne inveniat præſumtores.

Lib. de ſp. & lit. cap. 33.

Neque minus alienum eſt à beati doctoris ſenſu, quod illud Sapientiæ: *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*: transfertur ad parvulos. Illud enim de juſtis, *ne à ſuâ juſtitiâ recederent*, eſſe prolatum; & locus ipſe clamat, & B. Auguſtinus aliique orthodoxi omnes uno ore conſentiunt. Ad gratiam autem pertinere, quòd ſine baptiſmo rapiantur infantes in infernum carcerem devolvendi, tanquam eis ſubtracto baptiſmo potior obventura ſit felicitas & gratia; non ipſe Catharinus, non ipſiPelagiani auſi ſunt aſſerere: qui, cùm iiſdem parvulis aut vitam æternam aut naturalem aſſignent beatitudinem, non tamen eam qualemcumque, aut vitam æternam aut felicitatem regno præferendam putant.

Nod. diſſ. p. 1. §. 1. *n.* 23. *p.* 120. *Sap. iv.* 11: *Lib. de præ. SS. cap.* 14.

Nod. diſſol. 1. *p.* §. 1. *n.* 23. *p.* 118.

Cauſa autem errandi hæc fuit, quòd tanti nodi diſſolutor nequidem naturam ac vim peccati originalis agnovit, atque etiam ex S. Auguſtino probare nititur, parvulis in præſente vitâ cruciatis eſſe aliquid *bonæ compenſationis*,

Aug. lib. III. de lib. arb. cap. 23. *n.* 68.

tionis, quod in æternâ vitâ reservet Deus, quoniam quanquam nihil boni fecerint, tamen nec peccaverint aliquid. Quam quidem sententiam idem Cardinalis à B. Augustino in Epistolâ ad Hieronymum retractatam fatetur, *Non tamen ut erroneam & falsam, sed tantum ut minus firmam validamque.* Hæc quidem Sfondratus Cardinalis asseruit: nec legere voluit in eâdem Epistolâ, nullam iisdem parvulis *compensationem cogitandam, quibus insuper damnatio præparata est:* eamque esse *robustissimam ac fundatissimam Ecclesiæ fidem.* De fide ergo est illa damnatio parvulorum, quam illi compensationi Augustinus opponit: de fide inquam, est illa damnatio, quæ licet, Augustino teste, omnium mitissima, non tamen proinde sanctitati ac æternæ felicitati anteferenda sit: neque ullum præsidium in illâ est Epistolâ ad Hieronymum, quam auctor dissoluti nodi tantâ confidentiâ proferebat.

Nod. dissol. ibid. p. 118.
Aug. Ep. olim 28. in novâ edit. 166. cap. 7. n. 18. & seq.
Ibid. cap. 7. n. 20.

Idem alibi scripsit: *fatendum, quia nunquam parvulis ante baptismum sublatis Deus vitam æternam voluit, istos ad alium finem classemque providentiæ pertinere:* quo loco perspicuum est, eundem auctorem totius humani generis primævæ institutionis oblitum. Quis enim christianus negat, universam Adæ sobolem in eo ad æternam vitam fuisse ordinatam? Non ergo parvuli *ad alium finem aut ad aliam classem providentiæ* revocandi sunt: sed planè ad com-

Nodi diss. 1. part. §. 1. n. 13. p. 48.

munem creaturæ rationalis ordinem redigendi: ut nec ſine ſacramento Redemtoris, vitam æternam ad quam inſtituti erant recuperare poſſint, nec ejus jacturâ ſine certâ & juſtâ damnatione mulctari.

Hæc quidem ſunt, quæ attinent ad parvulorum ſtatum: pluribus ſuperſedemus, quibus quippe animus eſt ea promere, quæ magis ad exponendum, quàm ad refellendum errorem neceſſaria videantur. Nunc ad alterum caput pergimus; nec veremur, ne parenti optimo atque ſanctiſſimo tædio ſimus, cui res maximas ejus apoſtolico judicio decidendas, ſummâ cum animi demiſſione ſubjicimus.

Nodi diſſ. p. 1. §. 2. *n. xi. p.* 152. Altera ergo propoſitio ſic habet: *ut demus:* (Braſilienſes alioſque) *ita ignoraſſe* (Deum, hoc eſt invincibiliter) *id quoque magna beneficii & gratiæ pars eſt.* Quæ quidem, Beatiſſime Pater; liceat enim nobis in optimi parentis ſinum intimos animi noſtri ſenſus deponere: non ſine maximo dolore referimus. Sed ſunt quę magis doleant, nempe ſequentia, quibus iſta muniantur: *Cùm enim*, inquit, *peccatum ſit eſſentialiter offenſio & injuria Dei*; *ſublatâ Dei cognitione neceſſariò ſequitur, nec injuriam, nec peccatum, nec æternam pœnam eſſe:* reddique *impeccabiles*, atque ab ęternâ pœnâ prorſus impunes, etiam parricidas, hoſpitum necatores, ac portenta libidinum conſectantes; quos Deus tantâ gratiâ, hoc eſt cęcitate mentis, ſummâ-

que

que sui ignoratione donaverit. Quod quid est aliud, quàm peccatum ipsum philosophicum ab Alexandro VIII. felicis recordationis antecessore vestro tantâ perspicuitate damnatum? hæc nempe ad Sinenses solatia deferebant, quibus excęcatæ gentis, ac de parentum suorum sapientiâ immensùm gloriantis, superbiam demulcerent. Horum ergo gratiâ quęrebatur: *An infideles præcepta naturalia transgredientes pœnas æternas mereantur: & negabant aliqui, quia ignorantiâ Dei & legislatoris à tam gravi pœnâ excusantur.* Sic enim blandiebantur Sinensibus: at sacrę congregationis auctoritate Consultores rescribebant; procul dubiò *damnari* eos, idque pœnis ęternis, de quibus quæstio instituta erat, nec illam turpissimam ignorationis Dei excusationem admittebant.

Consult. & resp. anni 1674. q. 24. in lib. Fr. Dominici Ferdinandi Nauarette Dominicani: tract. 7. pag. 503.

Alexander verò VIII. recentissimo edicto die 24. Augusti, anno 1690. decernebat hoc *temerarium, piarum aurium offensivum atque erroneum*, si dicatur, *peccatum philosophicum quantumvis grave, in eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, esse grave peccatum, sed non esse offensam Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ pœnâ dignum.* Quo decreto nihil sublevati sumus, si ab ipsâ urbe, à tantæ dignitatis viro, portentosa doctrina non tantum ad Sinenses, sed etiam ad omnes reipublicæ christianæ provincias diffundatur. Sic enim duo invalescerent; primum,

ut essent omninò impeccabiles, qui summè & invictè, si quidem id fieri posset, ignorarent Deum: alterum, ut ea ignorantia ad gratiam, non autem ad peccati gravissimam pœnam pertineret. Quæ duo ab errore defendi non possunt. Neque enim fieri potest, ut innocens Deo sit, qui extinctâ licet cognitione Dei, rectæ rationis & conscientiæ lucem à Deo exorientem spernit. Neque item fieri potest, ut non sit contumeliosus in Deum, qui rectæ rationi, cujus Deus auctor & vindex est, infert injuriam. De pœnarum verò per hanc ignorantiam sublatâ æternitate quod sentiunt, non advertunt, pœnarum æternitas à quâ radice profluat. Nempe, ut ait S. Gregorius magnus antecessor vester: vellent mali sine fine vivere, ut possent sine fine peccare: quippe qui felicitatem ac finem ultimum in pravâ delectatione defigunt. Neque vero quisquam est, qui non æternum esse velit id, quo se beatum putat. Inest ergo cuicunque mortali peccato quædam concupiscentiæ æternitas, atque ut ita dicam immensitas, cui profectò Deum totâ suâ infinitate atque æternitate ac sanctitate adversari necesse sit. Ergo mortale quodcunque peccatum, contra legem etiam naturalem, habet aliquid quod æternam iram provocet: unde quocunque peccato rectam rationem læseris, exurgit ille ultricis conscientiæ stimulus; ille *vermis* interior

Lib. 34. Moral. cap. 16.

rior, qui teste Christo *non moritur*: cujus adeò immortale virus, morsus indefessus: quod supplicii genus qui extinguendum putat, evangelio contradicit. Vermem autem illum profectò comitatur sempiternus ignis, à quo si impios illos exemeris, erit non modò parvulis, verùm etiam adultis Deum nescientibus, à sempiterno igne seclusus assignandus locus: nec in sinistrâ erunt perditi ac scelerati, qui Deum nesciunt, ejusque ignoratione mulctati, nec à præteritis peccatis expedire se possunt, & in nova proruunt. Non ergo impeccabiles, qui legem naturalem quam sciunt non impunè contemnunt: nec, si vel maximè sint impeccabiles, id beneficii loco consequentur. Etsi enim gratia est, peccare non posse in bonâ voluntate firmatos: non proinde gratia, sed peccati esset pœna gravissima, peccare non posse eo quòd ignorarent Deum; quo nihil est miserius & æternæ damnationi propius.

Marc. ix. 43. & seqq.

Has autem supplicamus, beatissime Pater, ut perpendatis voces: *Ergo cum hac ignorantiâ impeccabiles redderentur, alioquin certissimè peccaturi si agnoscerent, sequitur hoc ipsum beneficium esse, juxta illud Apostoli:* melius enim erat illis non agnoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsùm converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato, 2 Pet. 2. hoc nempe supererat ad erroris cumulum, ut quia lege Dei & gratiâ perversi & ingrati abutimur,

Nod. diff. ibid. p. 152.

sub-

ſubtractio legis & gratiæ, non pœnæ, quod ſemper Eccleſiæ viſum eſt, ſed gratiæ & beneficio imputetur.

Quæ mala inde proveniunt, Beatiſſime Pater, quòd Scripturas divinas velut verſatiles ad arbitrium flectant; quòd cæcis affectibus & inanibus ratiunculis delectati, Patribus non auſcultent, malintque comminiſci falſa, quàm tantis viris docendos ſe tradere. Quæ niſi claro, certoque judicio ab eccleſia Dei propulſetis, omnia collabaſcant: Romam, quod Deus avertat, ſuis favere, non modò adverſarii, verùm etiam pii ſaltem infirmi conclament: ac laſcivia ingeniorum magis incitata, quàm compreſſa eſſe videatur.

Sed hoc à veſtris temporibus procul abeſſe, & veſtri pontificatus claritudo, & ab ore veſtro per totam eccleſiam pervulgatæ voces docent. Itaque ſupplicamus, ut poſt illas præcipuas propoſitiones, hanc quoque Sanctitas

Nod. diſſ. §. 2. p. 169. n. 19. Veſtra diſpiciat: *poſt promulgatum evangelium, an fides explicita in Chriſtum omninò neceſſaria ſit, diſputant theologi: ſi tamen admittamus neceſſariam eſſe, dicendum eſt, &c.* Quæ à chriſtianorum ſcholis longè abigenda ſunt, ne ſub dubio relinquatur, an ſine Chriſti nomine credito & invocato ſalvus eſſe quis poſſit; dicente

Joan. iii. 18. Domino: *qui credit in illum non judicatur*, medio juſtificationis invento; *qui autem non credit, jam judicatus eſt:* relictus ipſe ſibi, nulloque

que novo judicio, propriâ & præcedente iniquitate mersus.

Postremò, Pater Sanctissime, quod ad universi libri pertineat scopum, illud vel maximè Apostolicæ Sedi, quam beatus illustras, insinuandum putamus, ne Vestra sinat Sanctitas definitionem prædestinationis infringi eam, quam vester Augustinus tradidit, ut nempe sit *præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur:* hanc enim *definitionem prædestinationis* omnibus gentibus prædicandam, idem Augustinus iterum iterumque commendat: *hac prædestinatione beneficiorum Dei* fieri confitetur, ut omnes prædestinati singulari & gratuitâ dilectione serventur, qui fons christianæ humilitatis ac pietatis est: hujus prædestinationis veritatem *semper fuisse in ecclesiæ fide*, ac de eâ *neminem unquam nisi errando disputare potuisse*, & idem Augustinus affirmat, & sanctis Pontificibus Cœlestino & Hormisdâ pronuntiantibus, Ecclesia Romana suscepit: & nostro quoque sæculo Cardinalis Bellarminus, *non ad opinionem, sed ad ecclesiæ catholicæ fidem pertinere* asserit. Quam tamen catholicam veritatem nodi dissolutor tacet, atque hujus prædestinationis definitionem immutat: supponit aliam S. Augustino ignotam, quæ vim singularis atque gratuitæ dilectionis ac beneficiorum præparationis obscuret. Quanquam enim

Lib. de don. persev. cap. 14. 17. 20. 21. 23.

Ibid. 8.

De gr. & lib. arb. lib. 2. *cap.* 11. *t.* 3. *p.* 460. *&c.*

1. *p.* §. 1. *n.* 13. *p.* 48.

enim eam non semel agnoscit, sic tamen rem involvit dictis, ut nihil magis vereri videatur, quàm ne electos majori quàm reprobos beneficio affectos esse constet: quod nec Molinæ sectatotes inficiati sunt. Sic Ecclesiæ Romanæ de singulari & gratuitâ dilectione electorum, aut omninò quatitur, aut saltem vacillat fides: quæ si auctoris verbis affirmare nitimur, huc nempe totus liber transferendus fuit.

Ibid. 67. 106. 107. 108. 109. &c.

Neque plura memoramus, cùm ea à vobis perpensa & annotata, vestra egregia ad vicinos Belgas decreta demonstrent: nobis certè sufficit, ad vestrum Apostolatum detulisse ea quæ veritatem læderent, ac Patrum laudare sententias, quas majore gratiâ de Petri Cathedrâ prædicatis.

Plures Episcopi subscripsissent nisi pauci sufficerent, ut ne ambitiosiùs quàm modestiùs agere videremur. Cæterùm meminimus à S. Innocentio I. non modo synodicas, sed etiam quinque Episcoporum literas, paterno animo esse susceptas; atque ab Innocentio XII. paria expectari oportere, tanti Pontificis æquitas ac paterna benignitas facilè persuadet. Subscripsimus,

Epist. 26. *t.* 11. *Concil.* *p.*1290

BEATISSIME PATER,

SANCTITATIS VESTRÆ

Ob-

Obſequentiſſimi ac devotiſſimi ſervi ac filii,

✠ CAROLUS MAURITIUS Arch. Dux Remenſis.

✠ LUDOVICUS ANT. Arch. Pariſienſis.

✠ J. BENIGNUS Epiſc. Meldenſis.

✠ GUIDO Epiſc. Attrebatenſis.

✠ HENRICUS Epiſc. Ambianenſis.

Pariſiis, vij. Kalendas
Martii, an. 1697.

Et hæc erat inſcriptio: Sanctiſſimo Domino Domino noſtro INNOCENTIO Papæ XII.

INNO-

INNOCENTIUS PAPA XII.

VENERABILES FRATRES, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Literas veſtras vij. Kalend. Martii proximè præteriti ad nos datas, grato animo accepimus. Ex iis enim vigilem ac ſacerdotalem zelum, quo ſacros Antiſtites in partem ſollicitudinis noſtræ vocatos flagrare maximè decet, in vobis vigere, voſque priſcam erga hanc ſanctam Sedem, cui nos, licet immeriti, præſidemus, debiti obſequii gloriam conſtanter retinere deprehendimus: dum antiquæ traditionis exempla ſervantes eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, ad locum quem elegit Dominus aſcendiſtis, ac ea quæ in libro poſthumo bo. mem. Cœleſtini S. R. E. Cardinalis Sfondrati de divinâ prædeſtinatione nuper edito, reprehenſione digna vobis viſa ſunt, ad noſtrum Apoſtolatum, eo fermè tempore quo variæ doctorum hominum de eodem libro ſententiæ etiam per urbem ferebantur, detuliſtis, noſtrum hac in re judicium eâ quâ par eſt reverentiâ depoſcentes. Officii itaque noſtri eſſe duximus, librum ipſum, reſque à vobis in eo adnotatas, inſignium theologorum diſcuſſioni committere, ut omnibus maturæ conſiderationis trutinâ perpenſis, quod juſtum fuerit, ſubinde decernere valeamus; non aliâ profectò,

quàm

quàm crediti nobis divinitùs ministerii partes, sicut oportet, implendi, habitâ ratione; quod ut etiam in aliis omnibus, quæ ad onerosam Apostolici muneris nostri curam pertinent, salubriter exequi possimus, jugibus Fraternitatum vestrarum apud Patrem luminum precationibus, infirmitatem nostram juvari vehementer optamus, vobisque Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem, sub annulo piscatoris, die 6. Maii, Ponticatus nostri anno sexto.

Signatum : MARIUS SPINULA.

Et hæc erat inscriptio : Venerabilibus Fratribus CAROLO MAURITIO Remensi, & LUDOVICO ANTONIO Parisiensi Archiepiscopis; nec non JACOBO BENIGNO Meldensi, GUIDONI Attrebatensi, & HENRICO Ambianensi Episcopis.

SEM-

II.

SENTENTIA

Illuſtmi. ac Rmi. Domini

C. M. LE TELLIER,

Archiepſcopi Rhemenſis,

De Libro Emmi. Cardinalis Sfondrati cui titulus :

NODUS PRÆDESTINATIONIS &c.

Quæ habetur in Epiſtola ejuſdem Præſulis data die 14. Januarii 1697.

E Gallico in Latinum tranſlata.

CUm ab integro & amplius Sæculo de gratia & Prædeſtinatione diſputent Theologi, ac pro variarum partium Studio viciſſim alius alii ad extrema declinare videatur; haud ſcio an hucuſque ſcriptum hac de materia prodierit magis immoderatum, quam illud quod hodie Cardinalis Sfrondrati nomen præfert. Auctori hujus ſcripti propoſitum eſt myſterium divinæ prædeſtinationis enucleare, vel, ut ipſemet loquitur, ſacri hujus ænigmatis nodum, quantum homini licet, diſſolvere.

Duæ

Duæ ſunt hujus operis partes. In priori Auctor tribus aut quatuor potiſſimùm propoſitionibus ſuùm de Prędeſtinatione Syſtema explicat, quod hoc veluti principio nititur, *Deum habere impenſam & efficaciſſimam voluntatem ſalvandi omnes.* Hic ſcopus & finis totius diſputationis. Ad probandam autem hanc novam & inauditam propoſitionem, multa deinde affert non minus nova atque inaudita. *Scopus Operis, à pag. 20.*

Primò contendit Deum non modo omnibus conferre gratias ad conſequendam vitam ęternam neceſſarias, verum etiam abundantiſſimas & efficaciſſimas, quibus ſinguli facile ſalutem adipiſci poſſint. *1. Propoſitio.*

Secundò nequidem perditiſſimos atque obſtinatiſſimos peccatores ejuſmodi copioſiſſimis & efficaciſſimis auxiliis deſtitui: idque ut probet, longum iſtiuſmodi peccatorum catalogum texit, incipiens a creatione mundi uſque ad tempora Juliani Apoſtatę. *2. Propoſitio.*

Tertiò peccatorum orationem, in iis quę ad gratiam vitamque æternam ſpectant, a Deo ſemper exaudiri aſſerit, adeoque in eorum eſſe poteſtate ejuſmodi gratiam *efficaciſſimam & triumphatricem*, obtinere.

His adjunguntur certi quidam Aphoriſmi, quos fidelibus ad Prędeſtinationis meditationem proponit, & ad tres revocat: Primus eſt, *De iis cogitandis & faciendis ſollicitum eſſe*, *Aphoriſmi practici circa prædeſtinationem.*

esse, quæ Deus præcepit, & quibus observatis nemo unquam periit; non vero de iis anxium esse, quæ Deus non præcepit, nec sciri à nobis voluit, quale est mysterium Prædestinationis.

2. *Aphorismus.* Secundus, *ita in negotio salutis conatum & industriam propriam adhibere, ac si nihil à gratia expectares: ita vero in solam Dei gratiam sperare, ac si nihil conatus & industria tua possent.*

3. *Aphorismus.* Tertius Aphorismus est, *Totam spem suam in Deum reponere, nec minori fiducia vitam æternam ab illo expectare, quam si unicè a voluntate arbitrioque tuo penderet.*

à 21. pag. Brevissima est secunda pars operis. Tribus tantum propositionibus constat, his videlicet, Primò clarum esse ex Sacris Scripturis Sanctisque Patribus noluisse Deum mysterium Prędestinationis ab hominibus explorari. Secundò, *cum multa sint in rerum natura quæ licet vera, occultas tamen & impenetrabiles habent causas, nec ideò falsi accusari possunt; multò magis idem dicendum esse de alea Prædestinationis.* Tertiò denique, *causam divinorum judiciorum quærentibus hanc dari optimam omnique demonstratione potentiorem, Deum videlicet, qui est ipsamet justitia, ac sapientia, nihil nisi justum & bonum facere potuisse:* idque nobis ex iis quę vel fide certissima sunt, vel in ipsâ naturâ solo lumine rationis perspectissima habemus, ratum fixumque esse debere.

2. Pars operis tribus propositionibus constat.

Si

Si quis utramque hanc Operis partem inter se comparet, statim animadvertet Auctorem sibi ipsi non constare. In priori siquidem parte mysterium Prędestinationis enucleare conatur: in posteriori verò ex Scripturis & Sanctis Patribus mysterium istud humano intellectui impenetrabile esse ostendit. Pag. 244. Si inverso ordine opus a secunda parte incępisset, prioris componendę labori parcere potuisset.

1. Observatio. Partium operis pars altera, alteri contradicit.

In aliis adhuc secum ipse pugnat. Prędestinationem omninò gratuitam & cuicumque merito antecedentem admittit, tametsi toto opere probare contendat Deum omnibus dare gratias copiosissimas & ad salutem consequendam efficacissimas, dummodo quis eis bene uti velit. Pręterea quęcumque ex Scripturis ad probandam Prędestinationem ante prævisa merita afferuntur solvere conatur. Quin etiam ut Lessii sententiam de Prædestinatione post prævisa merita commendet, longum auctorum huic opinioni faventium indicem texit: atque ita in una eademque pagina 49. dupliciter secum pugnat, tum quod gratię effectum hominis arbitrio planè subjiciens, prędestinationem nihilominùs esse omninò gratuitam confirmet: tum quod ex ipsa, quam ibidem affert, Prędestinationis definitione, eam esse ex prævisione meritorum, liquidò constet. Et

2. Observatio. Aliæ contradictiones.

quidem pagina proximè pręcedente ait nihil aliud esse Prædestinationem, quam antecedentem & efficacem Dei voluntatem hominem ad vitam ęternam promovendi, dandique efficacia ad hunc finem media, quod quidem omnibus tam reprobis quam electis vult esse commune; quibus mediis cum videat aliquos bene usuros, istos elegit & prędestinavit; quos vero iisdem mediis minimè usuros viderit, hos abjecit ac reprobavit. Hęc adeò inter se pugnantia, qua ratione conciliari possint planè non video. En Auctoris verba: *Nihil aliud est prædestinatio, quam antecedens & efficax Dei voluntas hominem ad vitam æternam promovendi & dandi efficacissima media, quibus cum videat aliquos bene usuros, illos consequente voluntate salvare proponit.* Quibus postmodum subjungit: *Absolutissimè dicendum est prædestinationem gratuitam omnino esse & opus solius amoris; sicque eam non esse ex prævisis hominum meritis, sed potius ex prævisis Dei donis & gratiis.*

Passim in eodem opere alia parum cohærentia occurrunt. Sic postquam Auctor gratiam quantumvis efficacem libertati atque arbitrio hominis subjecit, tantam alibi ait esse ejus virtutem, ut nihil ei resistat pag. 217. *Nulla igitur*, inquit, *tam fortis & adversa aut ex vitio aut ex natura inclinatio, nulla vis ino-*

litæ

litæ consuetudinis, quæ victrici huic gratiæ non planè succumbat.

Voluntatis & efficacis gratiæ verba novo & alieno sensu fere semper accipit. Ante illum Theologi, juxta Scripturam & traditionem, gratiæ efficacis nomine intelligebant eam, quæ certò & invinicibiliter effectum suum operatur: & similiter eam Dei voluntatem absolutam & efficacem vocabant, cui etsi homo resistere possit, numquam tamen actu resistit. At Auctor gratiam efficacissimam nominat eam, quâ quotidie peccatores & impii abutuntur; itemque voluntatem absolutam, quæ contrariâ hominum voluntate suo effectu frustratur. Qui sic loquitur victricis gratiæ notionem non tenet; atque his verborum formulis oppugnatur omnipotentia Dei, vel saltem alio prorsus modo, quam in Scripturis sacris, explicatur. Denique hæc notissimis Augustini, Prosperi aliorumque Sanctorum divinæ gratiæ defensorum principiis, planè adversantur. De gratia efficaci sic scribit Augustinus: *Hæc gratia à nullo duro corde respuitur: ideò quippe primitus datur, ut duritia cordis auferatur.* Et Prosper de eadem Carmine de ingratis sic canit:

3. Observatio. Communes & receptas rerum notiones invertit.

Ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi
Semper adest, quæ gesta velit: nec moribus illi
Fit mora, nec causis anceps suspenditur ullis.

4. Observatio. verba Scripturæ in alienos sensus detorquet.

Similia habent alii SS. Patres.

Idem scriptor ad novas & inauditas suas opiniones confirmandas clarissima & expressa Scripturæ verba in alienos ac prorsus novos sensus detorquet. Sic sententiam Christi de necessitate baptismi ad salutem consequendam Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum*, non de quacumque beatitudine, sed de sola supernaturali interpretatur. *Parvuli*, inquit pag. 114. *qui sine baptismo decedunt, beati quidem non sunt, nec tamen pereunt; æternis suppliciis non addicuntur.* Et pag. 120. *Sed nec fecit eos Deus miseros.* Quæ quidem interpretatio fuit Pelagianorum, non uno loco à Sancto Augustino confutata, & in Synodis Patrum Africanorum damnata. Addit eosdem parvulos ob peccatum, quod in eis reprehendi nequit, minimè damnandos: tale autem esse peccatum originale: Eodem loco ait Sanctum Augustinum ardore disputandi contra Pelagianos severius aliquando de parvulis sensisse, sibique ipsi in hoc argumento non constare.

Mira Auctoris sententia, de parvulis sine baptismo decedentibus.

Sed aliud adhuc gravius hujus Auctoris erratum, cujus ne quidem ipsi Pelagiani arguuntur; nempe, quod *licet Deus parvulos sine baptismo decedentes ad cœlestem gloriam non admittat, alio tamen multòque majori beneficio eos afficiat, quod illi ipsi longè cœlo prætulissent*, &

& nos quoque, si electio daretur, multò majoris pretii, quam cœlum, hoc est ipsiusmet Dei possessionem, *duceremus*. Tam stupendi paradoxi hanc rationem affert, quod videlicet fato præmaturo abrepti, innocentiæ suæ personalis securi reddantur, & actualium peccatorum admittendorum periculo subducantur. pag. 120.

Eorum innocentia personalis.

Addit ibidem, hocce innocentiæ personalis & à quocumque actuali peccato immunitatis donum tale esse, ut ipsi parvuli millies cœlo carere malint, quam suscepto baptismo, admittendorum in adulta ætate peccatorum certissimo periculo subjacuisse; nullumque esse Christianorum, cujus non idem votum esse debeat.

At quam horrenda inde consequuntur! Primò quid sibi vult personalis illa innocentia? Nonne omnes pueri peccato Adami rei constituuntur? Nonne peccatum istud in eos nativitate pertransiit, eisque proprium factum est? Nonne Scriptura omnes *naturâ filios iræ*, Dei inimicos, pœnâ dignos appellat? Africana olim Concilia, & plura alia hisce postremis temporibus hanc esse fidem Catholicam sanxerunt. Deinde si carnali generatione prognati nihil aliud præter peccatum & labem in mundum inferimus, ut toties contra Pelagianos & Semipelagianos Ecclesia declaravit; quid in infantibus oc-

currit, quod à Deo præmium non æternæ ſolum beatitudini æquiparandum, ſed, ſi Auctori credamus, anteponendum, mereatur? Præterea ſi talis eſt ſors infantium, nemo eſt Chriſtianorum cui dolere non debeat ſe ſine baptiſmo in ea ætate mortem non obiiſſe. Quin & matribus optandum, vel ſaltem minimè dolendum, proles ſuas, non percepto hoc Sacramento, extingui. Denique iidem illi infantes gaudio exultare debent, nunquam ſe Chriſto conjunctos fuiſſe per baptiſmum, in quo ſpiritualiter regeniti, ex filiis iræ & vindictæ, quales erant carnali generatione, in filios adoptionis & gratiæ tranſire potuiſſent. Quin etiam hac de re Deo gratias agere debent, idque agnoſcere Auctor non erubeſcit. Ipſa ejus verba hanc in rem afferre præſtat. *Deinde* inquit pag. 120. *in hac parvulorum cauſa conſiderandum eſt, licet Deus ad cæleſtem gloriam eos non admiſerit, alio tamen multòque majori beneficio affeciſſe, quod illi ipſi longè cælo prætuliſſent, & nos quoque, ſi electio daretur, multò majoris pretii quam cælum, duceremus: Id verò beneficium fuit, quod fato præmaturo abreptos innocentiæ ſuæ perſonalis ſecuros reddidit, & quamplurimis peccatis infinitiſque peccandi periculis ſubduxit..... Hoc verò innocentiæ perſonalis donum, & immunitatis à peccato tantum eſt, ut ipſi parvuli millies cælo carere*

rere malint, quam vel uno peccato involvi..... Quid ergo..... ipsis mali fecit (Deus) *si non quidem cœlo, sed alio beneficio donavit, quod multò præstantius cœlo est, quodque & ipsi & omnes sapientes, si potestas eligendi daretur, longè cœlo præferrent.... Ergo* (in pueris) *nulla dolendi, nulla conquerendi, sed magna laudandi gratesque agendi causa est.*

Pluribus Epistolæ ad Romanos locis contra sensum Apostoli abutitur; unde mirum non est si Ecclesiæ Doctores passim apud eum etiam malè habeantur.

Quantumvis palam a S. Augustini & S. Thomæ doctrina aberret, omnibus persuasum vellet se cum eis planè sentire. Sed præterquam quod ea dissimulat, quæ in eorum operibus maximè contra eum faciunt, illorum verbis vim affert, novo atque inaudito hactenus sensu ea intelligens.

5. Observatio. Doctrinæ Sti. Augni. & Thomæ adversatur.

Prædestinationem ita explicat, ut fortasse non ineptè ejus nodi solutionem sibi vendicet, juxta hoc dictum: *Nodus triplici ictu solutus.* Siquidem admissis semel ejus principiis, prædestinationis arcanum non est amplius supra intellectus humani captum. Nam si cum illo supponas Deum copiosas & validas gratias promiscuè omnibus, ne quidem exceptis peccatoribus induratis aliisque, quæ suum effectum ex nutu & arbitrio humanæ voluntatis sortiantur, communicare; quis

6. Observatio. Admissa Auctoris Doctrinâ mysterium prædo-

stinationis evacuatur. quis jam non intelligat hominem seipsum discernere, sua ipsius itinera dirigere, propriæ felicitatis esse auctorem & architectum? Itaque quod antea pietas Christiana, post Apostolum, tanquam incomprehensibile habuerat, novâ hac explicatione facillimè ab omnibus intelligitur.

7. *Observatio.* *Veterum Pontificum sententiæ contradicit.* Sanè mirandum Romæ ante oculos Pontificis doctrinam, adeò summorum Pontificum, qui olim gratiæ inimicos damnarunt, spiritui contrariam publicari. Huic certè e diametro opponuntur dicta Innocentii primi, Zozimi, Cœlestini, Sixti, Leonis, Hilarii, Gelazii, Bonifacii, Hormisdæ. Similiter Conciliorum Africanorum, & Arausicanæ synodi de hoc argumento definitiones Cardinalis Sfondrati sententiæ planè adversantur.

8. *Observatio.* *De ejus Aphorismis.* Cum in doctrina gratiæ idem Cardinalis, ut jam Observatum est, a S^to^. Augustino dissentiat, consequens est ut etiam in tradendis regulis ad praxim pertinentibus minimè cum eodem S^to^. Doctore conveniat. Docet Augustinus propriis operibus nequaquam fidendum aut gloriandum; neque sinit nos ad proprios liberi arbitrii conatus respicere, nisi divina eis gratia adjungatur, ad quam vult omne nostrum bonum referri, cum ex nobis ipsis nihil habeamus nisi errorem & mendacium. *Nemo habet de suo,*

ni

inquit celebre Concilium Arausicanum, *nisi peccatum & mendacium.*

Si quis attendat libros Cardinalis Norisii, quos ante multos annos atque etiam nuper in Italia typis edidit, vix dubitet quin eum pro doctrina Sti. Augustini egregiè pugnantem Cardinalis Sfondratus hoc suo opere aggredi voluerit. Longè abfuit a citando doctissimo illo gratiæ Christi & Augustinianæ doctrinæ defensore, pag. 14.

9. Observatio. Propositum ei fuit Cardinalem Norisium consutare.

Videtur idem Auctor penitus tollere prædestinationem, dum nullam in Deo prædilectionem agnoscit: qua in re longè ultra quam Catharinus progreditur. Hic quippe certum quemdam prædestinatorum numerum admittebat, qui singulari Dei prædilectione vitam æternam consequerentur; cum cæteri non prædestinatione Dei, sed bono usu gratiæ sibi oblatæ ad eandem beatitudinem pervenirent. At Cardinalis Sfondratus hoc posteriori modo, quotquot salvantur prædestinari asserit his verbis pag. 14. *Nulla unius præ alio electio .... Sed quantum ex parte Dei est, omnes dilecti, omnes ad vitam æternam, aut aliquid quod ipsa vita æterna melius sit, ut de infantibus Baptismo non tinctis postea dicemus, destinati.* Idem adhuc habet pag. 68.

10. Observatio. Pejus sentit de prædestinatione quam Catharinus.

Cæterum ex hujus Auctoris lectione patet, aliquam eum habuisse scribendi facilitatem.

Sed nullo id delectu facit. Sermo ejus declamationibus, inutilibus verbis, exclamationibus & molestis repetitionibus redundat. Critices inopiâ libros sine dubio suppositos tanquam veros citat. Sic Sti. Augustini nomine falsò inscriptos non semel adducit. Alicubi ex revelationibus Stæ. Brigittæ seriò argumentatur: alibi dubitat an quartus liber Esdræ sit inter apocryphos numerandus. Multa ridiculè exaggerat. Sic pag. 146. adjutoria quæ peccatoribus ad resipiscendum suppetunt describendo, hæc habet. *Quot Religiosorum cohortes juvandis peccatoribus promptæ: denique mille modi, mille artes repertæ, quibus & sanis & infirmis, & morientibus subveniretur, tantâ copiâ, tantâ varietate, tantâque illecebrâ ac condimento pietatis, ut ferè mirum sit inter tot præsidia & blandimenta virtutum perire aliquem posse.*

Postremò idem scriptor pag. 152. nefandum peccati philosophici dogma tradit.

F I N I S.

PRO-

III.

PROPOSITIONES QUADRAGINTA

Excerptæ ex Libro cui titulus:

NODUS PRÆDESTINATIONIS

Adjunctis quibusdam notis.

PROPOSITIO PRIMA.

„PArvuli qui sine baptismo decedunt.....: „LICET CULPA PROPRIA CAREANT, non „tamen carent aliena & paterna pag. 114. „lin. 20.

De peccato originali & statu puerorum sine baptismo decedentium.

NOTA.

Hoc loco tradit Auctor parvulos, antequam baptismo abluantur, culpa propria carere, hoc est nulla peccati labe infici, nulloque intus in anima reatu ipsis inhærente teneri; sed solùm ob alienam ac paternam culpam, ipsis extrinsecùs imputatam, donis Dei gratuitis omnique jure ad cæleste regnum privari. Hunc ejus esse sensum patet ex verbis quæ statim sequuntur. *Quamvis enim*, inquit, *damnari nemo possit paternâ culpâ, potest tamen paternâ culpâ iis bonis privari, quæ liberaliter accepturus erat, Patre innoxio, nec in Principem delinquente*, Siquidem

clarum est ejusmodi reorum filiis, parentum culpam propriè non inesse aut inhærere, tametsi ad eos, ex humanæ justitiæ legibus, ob publicum exemplum, aliqua saltem delicti paterni pæna perveniat. Idipsum secunda, quam mox afferemus, propositio confirmat, multaque alia legentibus occurrunt, quæ hunc esse auctoris sensum demonstrant.

Atqui hæc doctrina, quæ nullam propriam culpam in parvulis sine baptismo decedentibus agnoscit, apertè repugnat Concilio Tridentino, in quo definitur, *Adæ peccatum, quod origine unum est, & propagatione, non imitatione transfusum omnibus*, INESSE UNICUIQUE PROPRIUM. Sess 5 can. 3. Id quod confirmatur Sess. 6. cap. 3. ubi *homines ex semine Adæ propagati*, dicuntur *nasci injusti, cum eâ propagatione, per ipsum dum concipiuntur*, PROPRIAM INJUSTITIAM CONTRAHANT. Unde idem Concilium Sess. 5. Can. 4. & Can. 5. anathemate ferit eos, *qui formam baptismatis in remissionem peccatorum in parvulis non veram sed falsam intelligerent*, aut qui negarent *per gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti, aut etiam assererent non tolli totum id quod* VERAM ET PROPRIAM PECCATI RATIONEM HABET.

Hæc fuit semper antiqua & fundatissima Ecclesiæ doctrina, quam cum impugnaret

Pela-

Pelagius, objiciens, *nulla ratione concedi, ut Deus qui propria peccata dimittit, imputet aliena*; respondit ei Augustinus, non imputare Deum aliena peccata sed propria. *Aliena quippe erant*, inquit, *quando ii qui propagata portarent, nondum erant: nunc verò carnali generatione jam eorum sunt, quibus nondum spirituali generatione dimissa sunt* lib. 3. de peccat. mer. & rem. cap. 8.

PROPOSITIO II.

„ Adamo infeliciter peccante, tota quo-„que posteritas, quippe ex patre rebelli na-„ta, omni jure ad cęleste regnum spolia-„ta est, QUOD PECCATUM ORIGINALE VO-„CAMUS, pag: 48. lin. 8.

NOTA.

Totam peccati originalis rationem ponit Auctor in privatione juris ad cæleste regnum; quæ quidem privatio, pœna est & effectus peccati originalis, non verò ipsum originale peccatum: Unde patet Auctorem nihil agnoscere in parvulis, quod veram & propriè dictam peccati rationem habeat. Certè Augustinus ex ejusmodi privatione, aliisque miseriis, quibus parvuli etiam recens nati obnoxii sunt, originale peccatum eis inesse probat, cum alioquin injustum foret eos tantis malis affici si omni culpa ac reatu peccati carerent. Tridentinum etiam Concilium Sess. 4. Can. 2. de hac re sic decernit:

Si quisdixerit . . . inquinatum illum (Adamum) *per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantum, in omne genus humanum transfudisse, non autem* ET PECCATUM QUOD MORS EST ANIMÆ, anathema ſit: quæ quidem Patres Tridentini ex Synodo Arauſicana Can. 2. mutuati ſunt, ubi hæc leguntur: „Si quis „ſoli Ædæ, prævaricationem ſuam & non „ejus propagini aſſerit nocuiſſe, aut certè „mortem tantùm corporis, quæ pœna pec„cati eſt, non autem & peccatum, quod „mors eſt animæ, per unum hominem in om„ne genus humanum tranſiiſſe teſtatur, inju„ſtitiam Deo dabit.„ Poſtremò Bellarminus lib. 5. de amiſſ. gratiæ & ſtatu peccati cap. 16. hanc ſententiam, quæ peccatum originale non aliud eſſe docet, niſi primam Adæ tranſgreſſionem actualem poſteris ejus imputatam, & nihil eſſe in parvulis unicuique proprium & inhærens, quod habeat veram peccati rationem, falſam, hæreticam, & ſacro Concilio Triden. contrariam pronuntiare non dubitavit.

PROPOSITIO III.

„Parvuli qui ſine baptiſmo decedùnt, „beati quidem non ſunt, nec tamen pe„reunt p. 114. lin. 18.

NOTA.

Longè aliter de pueris à peccato originali per baptiſmum non liberatis SS. Patres & Con-

Concilia passim loquuntur nonnullos eorum locos afferre sufficerit. S. Ambrosius in cap. 15. Lucæ sic habet. *Fuit Adam & in illo fuimus omnes; periit Adam & in illo omnes perierunt. Magno peccato,* inquit S. Prosper in responsis ad dub. 6. Genuensium, *periit Adam, & in illo omnes perierunt, quia omni homini, damnatâ nativitate genito, hoc in Adam debetur ut pereat.* Auctor libri de vocatione gentium cap. 24. *Sine baptismo mortuos periisse non dubium est, qui utique, nisi gravissimi peccati essent participes, non perirent.*

Concilium Carthaginense sub Aurelio apud Augustinum epist. 96. *Quicumque negat parvulos per baptismum Christi à perditione liberari, anathema sit.* Si per baptismum à perditione liberantur, ergo antea perditi erant seu perierant, ob peccatum videlicet originale.

S. Bernardus epist. 190. ad Innocentium 2. Papam refellens errores Petri Abalardi, pueros per originale peccatum periisse, atque ideò redemptione Christi egere, docet his verbis: *An sicut non habent* (pueri) *unde diligant, ita nec unde* PEREANT, *ut non sit eis in Christo necessaria regeneratio.... si ita sapit* (Abalardus) *cum Pelagio desipit.*

PROPOSITIO IV.

„ Si Deus parvulos ad gloriam non elegit, „non ideo sequitur eos damnari pag. 118. lin.

„ lin. 18. Parvuli non damnantur, & innocentiam perſonalem, quæ peccatis actualibus opponitur, illibatam ſervant pag. 164. lin. 5.

NOTA.

Parum eſt Auctori, parvulos cum peccato originali decedentes, quacunque pœnâ ſenſus eximere, niſi etiam pronunciet illos abſolutè non damnari; quod eſt contra Apoſtolum dicentem ad Rom. 5. v. 18. *Per unius delictum in omnes homines in* CONDEMNATIONEM: & contra ſententiam & communem loquendi modum ſanctorum Patrum. *De parvulis*, inquiunt Epiſcopi Africæ in Sardinia pro fide exules in epiſtola ſua ſynodica, *indubitanter tenenda Catholicæ regu-*
„ *la* veritatis, quia parvulus qui baptizatur,
„ gratuita Dei bonitate ſalvatur, qui verò
„ ſine baptiſmate moritur, propter peccatum
„ originale damnatur. Eodem modo loquuntur S. Auguſt. Enchirid. cap. 23. lib. de origine animæ cap. 2. & alibi. S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 3. S. Gelaſius epiſt. ad Epiſcopos per Picenum. S. Gregorius lib. 9. moralium cap. 16. & alii. Quapropter Bellarminus licet eorum ſententiam probat, qui parvulos ſine baptiſmo decedentes à pœna ſenſus eximunt, fide tamen Catholicâ tenendum docet *eos abſolutè eſſe damnatos*, & non ſolâ cæleſti, ſed etiam natura-

tura-

turali beatitudine perpetuò carituros, qua de re ſic graviter monet: *Hoc loco*, inquit, „illud præfandum eſſe videtur, miſericordiam „noſtram erga parvulos jam defunctos ni- „hil eis prodeſſe, & contra nihil eisdem „obeſſe ſententiæ noſtræ ſeveritatem; multum „autem nobis obeſſe, ſi ob inutilem miſe- „ricordiam erga defunctos pertinaciter ali- „quid contra Scripturas aut Eccleſiam de- „fendamus. Idcircò non affectum quen- „dam humanum, quo plerique moveri ſo- „lent, ſed Scripturæ, Conciliorum & Pa- „trum ſententiam conſulere & ſequi debe- „mus lib. 6. de amiſſione gratiæ cap. 2.

PROPOSITIO V.

„Qui ſolo originali peccato tenetur, dici „non poteſt Deum deſerere . . . . Prius „ergo quàm peccata hominum (actualia) „prævidenerentur, ſicque quantùm ex parte „Dei fuit, nemo deſertus, nemo excluſus, „nemo reprobus; ergo nemo non electus „pag. 98. lin. 29. & lin penult.

NOTA.

Cum Catholica fide certum ſit, propter peccatum originale parvulos baptiſmate non renatos excludi à regno cœlorum, & negativè ſaltem reprobari, ut docent omnes Theologi, contra fidem peccat, qui aſſerit neminem ob ſolum originale peccatum eſſe deſertum, excluſum, reprobum aut etiam

non

non electum. Hanc assertionem fidei principiis repugnare affirmat Cardinalis de Laurea opusc. 2. De reprobat. Cap. 5. n°. 37. & certè, si fide Catholica tenendum est, parvulos cum peccato originali decedentes, absolutè perire & damnari, ut ex notationibus ad præcedentes propositiones constat, fide quoque Catholica tenendum est eosdem non fuisse electos, sed in massa damnationis relictos, ut loquitur Augustinus, atque adeo exclusos seu reprobatos.

PROPOSITIO VI.

„ Nos dicimus exhiberi parvulis (sine baptismo decedentibus) si non gratiam sufficientem, qua vitam æternam consequi possint, exhiberi tamen beneficium longè præstantius, quodque infinitis partibus ipsam gratiam sufficientem antecellat. Eo enim beneficio prius è medio tolluntur, quàm peccatis se obstringant, & non damnantur: pag. 164. lin. 1. certum est etiam in parvulos maximam Dei misericordiam elucere: quamvis enim Dei visione æternaque gloria priventur, at præservantur ne peccent, hoc est ne Deum ipsi offendant, ne jacturam innocentiæ faciant, & perpetuis ignibus crucientur, quæ omnia & maxima beneficia esse & cælesti gloriæ certâ ratione præferri & consequenter ad Christi merita & redemptionem pertinere, supra ostendimus. Ibid. lin. 9.

NOTA

NOTA.

Multa hîc afferuntur nova & antea in Ecclesia Dei non audita. Primum, quod pueri sine baptismo decedentes pertineant ad redemptionem Christi, & ejus meritis maxima beneficia consequantur, quod planè contrarium est doctrinæ à Concilio Tridentino traditæ sess. 6. de justificat. Cap. 6. ubi dicitur, quod etsi *Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat quibus meritum passionis ejus communicatur*: ac statim additur, eam meritorum Christi communicationem fieri per baptismum, in quo homines renascuntur & justificantur, quod etiam intelligendum de Sacramento pœnitentiæ aliisque Sacramentis & præsidiis à Deo institutis: id quod cum generaliter ad omnes homines pertineat, præcipuè tamen & peculiari modo locum habet in pueris, qui nonnisi per baptismum actu ipsis collatum in justificationem & beatitudinem renascuntur, ut loquitur Augustinus Ep. 89.

Deinde asseritur, beneficia illa, quæ pueris cum peccato originali morientibus tribuuntur, gratiam sufficientem quæ adultis confertur, & quâ vitam æternam consequi possunt, infinitis partibus antecellere, imò & ipsi gloriæ cœlesti certâ ratione præferri: quod quàm sit absurdum & primis fidei Chri-

Christianæ principiis contrarium, per se patet. Quod verò pueri Dei beneficio è medio tollantur priùsquam peccatis se obstringant, id jamdudum Episcopi Africani pro fide in Sardiniam relegati in Epistola Synodica adversùs Pelagianos rejecerunt his verbis: „ non „ est dicendus aliquæ Dei bonitate futuræ im„pietat præreptus, qui absque justificationis „ gratia mortuus, impiorum consortio est „ deputatus.

Præterà notanda hæc verba: *prius è medio tolluntur quàm peccatis se obstringant*, &, *præservantur ne jacturam innocentiæ faciant*, quibus satis apertè significat auctor se, nullam peccati originalis maculam in pueris ante baptismum agnoscere, uti supra ostendimus. Quod etiam pag. 20. adhuc clarè indicat, ubi ait, ejusmodi infantes *fato præmaturo abreptos*, *innocentiæ suæ personalis securos reddi*: quasi verò peccatum originale carnali propagatione in eorum personam non transierit, & antequam per baptismum deleatur, *innocentes* coram Deo & insontes haberi possint.

Longè aliter de his sentiunt SS. Patres, Concilia, totaque Ecclesia, quæ per magnum illud inobedientiæ peccatum, quo Adamus se totamque posteritatem obstrinxit, docet, pueros nondum per baptismum renatos, esse sub potestate diaboli atque

ejus

ejus captivos, filios iræ, vaſa contumeliæ. Id apertè demonſtrant exorciſmi & exſufflationes, quibus à primis uſque ſæculis in adminiſtrando baptiſmi Sacramento utitur; ſacerdos quippe exſufflando in parvulum ait: *Exi ſpiritus immunde, & da locum ſpiritui ſancto*: quod etiam expreſſè definit Concilium Tridentinum Seſſ. 5. de peccato originali can. 1. declarans *Adamum, per offenſam prævaricationis incurriſſe, cum morte, captivitatem ſub ejus poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium hoc eſt, Diaboli*: quæ utique pæna ad eos omnes pertinet, qui carnali generatione ejuſdem culpæ participes fiunt.

PROPOSITIO VII.

„Infantes baptiſmo non tincti ad aliquid „quod ipſâ vitâ æternâ melius ſit, deſtinan-„tur pag. 14· lin 22.

PROPOSITIO VIII.

„Licet Deus (parvulos ſine baptiſmo de-„cedentes) ad cæleſtem gloriam non admi-„ſerit, alio tamen multòque majori bene-„ficio affecit, quod illi ipſi longè cœlo præ-„tuliſſent, & nos quoque ſi electio daretur, „multò majoris pretii, quàm cœlum du-„ceremus. Id verò beneficium fuit, quod fato „prematuro abreptos innocentiæ perſonalis „ſecuros reddit ..... Quid ergo conqueri de „Deo poſſunt, aut quid ipſis mali fecit, ſi „non quidem cœlo, ſed alio beneficio do-

navit,

„navit, quod multò præstantius cœlo est, „quodque & ipsi & omnes sapientes, si po-„testas eligendi daretur, longè cœlo præfer-„rent pag. 120. lin. 3. lin. 16.

NOTA.

Nova, inaudita, & communi Christianorum sensui repugnans assertio: *super omnia Dei bona constituitur*, inquit S. Hilarius comment. in Matth. c. 26. *Qui in Dei gloria collocatur, quia nihil sit ultra quod melius sit.* Certè statui Beatorum injurium ac piarum aurium offensivum videtur, aliquid comminisci quod, cujuscunque compensationis prætextu, æternæ vitæ ac cœlesti gloriæ præferatur. *Quæ enim*, inquit Augustinus, *circa parvulos qui post gravissimos cruciatus sine Sacramento Christianæ pietatis expirant, compensatio cogitanda est, quibus insuper & damnatio præparata est?* Epist. 28. Quid? quod juxta hanc doctrinam omnes Christiani statum parvulorum cum solo originali decedentium, justitiæ per fidem sibi collatę, imò & sancti in cœlo regnantes, qui in ætate adulta mortui sunt, cœlesti, qua gaudent, gloriæ præferre deberent, quia neutri sine peccato actuali vitam hanc transigere potuerunt.

Quin etiam ex eadem assertione sequeretur, longè minori pretio habendos qui post gravia peccata, pænitentiæ virtute & charitatis ardore ad altissimum sanctitatis gradum

per-

pervenerunt, qualis fuerunt S. Petrus, S. Maria Magdalena & alii, quàm justos, qui servata baptismi innocentia, statim atque usum rationis adepti sunt, diem suum obierunt: id quod à fide & sensu communi Christianorum alienum est, imò & divino oraculo apud Ezechielem cap. 18. v. 21, 22. contrarium, ubi Deus vitam absolutè impio pœnitenti promittit. *Omnium iniquitatum ejus*, inquit, *non recordabor*, *in justitia sua quam operatus est vivet*: quibus verbis significatur apud Deum, ac revera, hominum è vita decedentium sortem non ex præteritis peccatis, quæ per pœnitentiam deleta sunt, aut ex prævisis operibus, quæ, si diutiùs vixissent, edituri erant, sed ex præsenti justitia, in qua usque ad finem perseverarunt, æstimandam esse. „Omnes nos, *inquit Apostolus*, mani„festari oportet ante Tribunal Christi, ut re„ferat unusquisque propria corporis, prout „gessit, sive bonum sive malum 2 Cor. 5, v. 10. Propria corporis prout gessit, hoc est, dum in corpore degeret, sive ea per se gesserit, ut adulti, sive aliorum operâ, ut infantes, qui alieno ministerio baptismum percipiunt. Quo ex textu Apostoli jam olim Augustinus Semipelagianos confutavit, qui ad prævisa quædam opera, hoc est, ut ipse loquitur, ad futura non futura, confugiebant, ut rationem redderent cur ex duobus

pueris

pueris unus ad baptiſmi gratiam perveniret, alter, feſtinantibus licet Miniſtris, ante acceptam eam gratiam, vitâ excederet.

Falſa auctoris ratiocinatio inde naſcitur, quod peccatum actuale in ſe ipſo tantum conſideret, prout eſt offenſa Dei, cui ſummopere diſplicet, illudque comparet cum ſtatu infantium ante perceptum baptiſmum è vita diſcedentium: cum potius debuiſſet eorundem infantium ſtatum cum ſtatu juſtorum, qui gratiâ & caritate Deo conjuncti ſunt, aut ètiam cum ſtatu beatorum qui ſummo jam bono fruuntur, comparare. Tunc enim quis non advertat, pueris à peccato actuali vacantibus, infinitis partibus, præferendos eſſe fideles adultos, qui in adeptionem filiorum Dei adſciti, ſpe jam ſalvi facti ſunt, & per bona opera ad vitam proficiunt ſempiternam; & multò adhuc magis Beatos in cœlo, qui ab omni peccato liberi & ſuæ felicitatis ſecuri in æternum cum Chriſto regnant? ſanè ſi peccatum actuale ſemel admiſſum ſtatum & conditionem adultorum ita deprimit, ut eis etiam in cœlo conſtitutis, infantes ſine baptiſmo demortui quodammodò præferri debeant; utquid ergo ApoſtolusDei bonitatem tantopere prædicat, quod ubi abundavit delictum, ibi abundet gratia? Utquid ex eo potiſſimum miſericordiam Dei commendat, quod omnia

co-

cooperentur in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt? quam in rem Auguſtinus ait, prorſus omnia, id eſt ipſa etiam peccata; quia & humiliores poſt peccatum reſurgunt, & per pœnitentiam ferventiores, majori, quàm antea, alacritate, in bonis ſe operibus exercent.

Præterea ſi tanta ſunt beneficia, quæ Deus, etiam ob meritum Chriſti, pueris ſine baptiſmo decedentibus confert, cur quæſo, Eccleſiaſticâ ſepulturâ privantur, cur cum Pſalmis & hymnis ad Eccleſiam non deducuntur; cur pro eis ſacrificium Miſſæ in gratiarum actionem non offertur? Atqui non ſolùm hunc uſum non habet Eccleſia Dei, ſed potiùs parentes ac propinqui, cæterique fideles ejuſmodi puerorum mortem tanquam graviſſimum caſum deplorant.

Denique valde periculoſa & pernitioſa eſſet iſta doctrina, ſi in vulgus ſpargeretur: ubi enim ſemel homines ſibi perſuaſiſſent, parvulis ſine baptiſmo demortuis ea præſtari beneficia, quæ cœleſti etiam gloriæ anteferri debeant, facilè exiſtimarent non tanti referre an baptiſmo regenerati, an verò non regenerati moriantur: idque præſertim locum haberet in matribus, quæ ex crimine fœtus ſuos concipiunt; quas à procurando abortu, nihil æquè cohibere ſolet, quàm ſi cogitent, quod in

Ecclesia didicerunt, prolem, si in utero extinguatur, æternùm perituram.

PROPOSITIO IX.

„ Qui solo originali tenetur, dici non potest „ Deum deserere.... Si ergo Deus neminem „ deserit, nisi desertus, quomodo in illo prædestinationis decretorio momento, & in quo „ summa rerum incommutabiliter vertitur, „ tot hominum myriades deseruit, ab eis „ non desertus, hoc est nullo eorum peccato „ demeritoque prævisso? pag. 98. lin. 29.

NOTA.

Certum est hoc effatum Augustini: *Deus neminem deserit, nisi priùs deseratur*, intelligi de perseverantia adultorum in justitia jam accepta, à qua non excidunt nisi per propriam voluntatem & peccata actualia; quòd expressè significat Concilium Triden. Sess. 6. de justificatione Cap. 11. ubi ait: *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit; nisi ab eis priùs deseratur.* Cæterùm si generaliùs ea verba accipiantur, tam certum est omnes in Adam Deum deseruisse, quàm omnes in Adam peccasse. Cum itaque Deus aliquem, qui solo originali tenetur, deserit, hoc est, ex prævisione peccati originalis, in massa perditionis relictum damnat, non illum deserit, antequam deseratur, sed ab eo priùs desertus est, tum in Adamo, in cujus lumbis fuit, tum etiam quando primùm

mùm carnali generatione in peccatis conceptus culpam originalem contraxit. *Universum genus humanum*, inquit Augustinus, „tam justo judicio divino in apostatica radi„ce damnatum est, ut etiamsi nullus inde „liberaretur, nemo rectè posset Dei vitupera„re justitiam. Enchir. Cap. 99. *Non simus ingrati*, inquit idem S. Pater, *quod* secun„dùm placitum voluntatis suæ tam multos „liberat misericors Deus de tam debita per„ditione, ut si inde neminem liberaret, non „esset injustus: ex uno quippe omnes in „condemnationem non injustam judicati „sunt ire, sed justam. Lib. de dono perse„ver. Cap. 8. „ similia habet pluribus aliis locis Sanctus Doctor, quibus è diametro opponuntur quæ hìc ad minuendum vel potiùs ad tollendum è medio peccatum originale afferuntur.

PROPOSITIO X.

„ Constat parvulos (sine baptismo dece„dentes) sensibilis pœnæ immunes fore: id „enim ratio, omniumque Theologorum „auctoritas convincit pag. 119. lin. 12.

NOTA.

Ratione ergo destitutus & ex Theologorum albo expungendus Augustinus, qui medium locum, in quo infantes sine ulla sensibili pœna, naturali quadam felicitate in æternum fruerentur, ut Pelagianorum inventum

explosit, eosdemque infantes ad sinistram in judicio futuros, atque in infernum ituros, tametsi non nisi mitissimâ pœnâ ibidem plectendos, constanter docuit.

Idem dicendum de S. Fulgentio, Gelasio & Gregorio magno Summis Pontificibus, Isidoro Hispalensi, Alcimo Avito, Anselmo & aliis, qui hanc sententiam palam & apertè docuerunt.

Rationis quoque expertes, ac Theologorum nomine indigni erunt inter Scholasticos ac recentiores Gregorius Ariminensis *a*: Driedo, *b*: Conrius, *c*: Sylvius, *d*: Paludanus, *e*: & hac nostra etiam ætate Florentius de Cocq, & Scholę Lovaniensis Doctores, qui omnes hanc sententiam sequuntur. Imo eodem quoque loco habendus erit Emmus. Cardinalis Norisius, qui in vindiciis Augustin., §. v. fusè eandem sententiam, tanquam dogma Catholicę Ecclesiæ probatum, defendit.

Potuit quidem liberè auctor sequi sententiam, quæ negat pueros ob solùm originale peccatum pœnâ sensus plecti, tanquàm a tempore Scholasticorum inter Theologos communiorem: sed non debuit contrariam tantâ confidentia rejicere ac improbare.

PRO-

a *In* 2. *sent. dist.* 30. *qu.* 3.
b *Lib. de grat. & lib. arb. tract.* 5. *cap.* 2. *part.* 3.
c *Trac. de statu puerorum &c.*
d 1. 2. *qu.* 81. *art.* 6. *qu.* 2.
e *Epist. ad Conrium Archiepiscopum Thuamensem.*

PROPOSITIO XI.

„ Duæ ſunt in Deo voluntates: Prima „ abſoluta, efficax, independenſque ab „ omni hominum merito, quâ Deus natu- „ raliter meroque ſuę bonitatis inſtinctu, „ atque ut ita dicam, motu proprio, vult „ omnium hominum ſalutem æternamque „ felicitatem . . . . . . & hanc vocamus „ voluntatem antecedentem pag. 4. lin. „ ult. Altera voluntas eſt hypothetica & „ conditionata . . . . . & hanc vocamus vo- „ luntatem conſequentem pag. 6. lin. 31.

De voluntate Dei omnes ſalvos faciendi, & de Chriſto pro omnibus mortuo.

NOTA.

Hæc duplex in Deo voluntas *antecedens* videlicet & *conſequens*, cujus primus meminit S. Jo: Damaſcenus lib. 2. de Orthodoxa fide Cap. 29. novo prorſus ſenſu hîc accipitur, quem apud nullum, etiam ex recentioribus Theologis, reperias. Aliter omninò utramque hanc Dei voluntatem expoſuit Doctor Angelicus 1. p. qu. 19. art. 1. ad 1. ubi, allato exemplo Judicis, qui cum velit *antecedenter* omnes cives vivere, hunc tamen homicidii reum *conſequenter* atque *abſolutè*, ob juſtitiam ac bonum publicum, vult morte puniri, hæc ſubjungit: *Deus* ANTECE- „ DENTER vult omnem hominem ſalvari, ſed „ CONSEQUENTER vult aliquos damnari ſecun-

„ dùm exigentiam ſuæ juſtitiæ. Neque tamen id quod *antecedenter* volumus, ſimpliciter volumus, ſed ſecundum quid, quia „ voluntas comparatur ad res ſecundùm quod „ in ſe ipſis ſunt in particulari: Unde ſimpliciter volumus aliquid, ſecundùm quod „ volumus illud conſideratis omnibus circumſtantiis particularibus, quod eſt *conſequenter* velle. Unde poteſt dici quod Judex „ juſtus ſimpliciter vult homicidam ſuſpendi, „ ſed ſecundùm quid vellet eum vivere, ſcilicet in quantum eſt homo: unde magis „ poteſt dici *velleitas*, quàm *abſoluta voluntas.* Et iterum: eâdem p. q. 23. a. 4. ad 3. de voluntate Dei ſalvandi omnes ſic loquitur: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri* ANTECEDENTER, quod non eſt ſimpliciter velle, „ ſed ſecundum quid, non autem CONSEQUENTER, quod eſt ſimpliciter velle. Cum ergo velle *antecedenter* non ſit velle ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid, non voluntas Dei *antecedens*, ſed ſola *conſequens* „ *eſt* ABSOLUTA ET EFFICAX, quia ſolum „ velle conſequenter eſt velle ſimpliciter. Idem habet 3. p. q. 21: a. 4. Allatæ propoſitioni nihil magis contrarium quàm hæc doctrina Divi Thomæ, ut omninò mirandum ſit, Auctorem in ipſo jam libri titulo profiteri, ſe nodum prædeſtinationis ex doctrina ejuſdem S. Doctoris explicaturum.

PRO-

PROPOSITIO XII.

„ Deus seriò, impensissimè, ac quantùm in se est, efficacissimè omnium hominum salutem vult pag. 2. lin. penult.

PROPOSITIO. XIII.

„ Hanc Dei voluntatem omnes salvandi, „quantûm ex parte Dei est, efficacem esse „dubitari non potest pag. 43. lin. 32. „ Superiori propositione; hoc est xi, eandem voluntatem *absolutam* vocat.

NOTA.

Hęc è diametro opponuntur Scripturis sacris, quę nobis omnipotentiam Dei commendant. *In ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ* Ester cap. 13. v. 9. *Consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet* Isaiæ cap. 46. v. 10. *Deus autem noster in cælo, omnia quæcunque voluit fecit* Psal. 113. v. 11. Quæ verba Psalmistæ expendens Augustinus Enchirid. cap. 93. ait, *Quod* „utique non est verum, si aliqua voluit „Deus, & non fecit, &, quod est indi„gnius, ideò non fecit, quoniam ne fieret „quod volebat omnipotens, voluntas ho„minis impedivit. Unde ex ejusmodi asser-

„tionibus, (ut ait adhuc Augustinus eodem lib. cap. 96.) periclitatur ipsum nostræ fidei „confessionis initium, quâ nos in Deum Pa„trem omnipotentem credere confitemur. „Neque enim veraciter ob aliud vocatur om„nipotens, nisi quia quidquid vult potest, nec „voluntate cujuspiam creaturæ, voluntatis „omnipotentis impeditur effectus.

Neque dici potest hæc verba Auctoris, *efficacem & efficacissimam esse Dei voluntatem salvandi omnes*, commodè intelligi posse, atque eo planè sensu quo Apostolus absolutè dicit Deum velle ut omnes salvi fiant, tametsi non omnes salventur. Non enim licitum est in rebus Theologicis verborum significationem immutare; & ea novo prorsus sensu, contra communem & apud omnes receptum, intelligenda proponere; quia, ut ait Hieronymus, ex malè ordinatis verbis sæpe hæresis incurritur. Quod quidem hic accidit: supra enim vidimus ex S. Thoma p. 1 Qu. 19. a. 1. ad. 1. antecedentem Dei voluntatem potiùs dicendam *vellei tatem*, quàm absolutam voluntatem, cum è contrario hæc verba Auctoris: *Seriò, impensissimè, efficax, efficacissima, absoluta voluntas* in sensu obvio & apud omnes recepto voluntatem Dei simpliciter absolutam significent, quæ si non impletur, jam Deus non est omnipotens.

PRO-

PROPOSITIO XVI.

„ Manifeſtum eſt Deum non tantùm ſc-„riò omnium ſalutem velle, verùm etiam „ad hanc conſequendam non avarè, non „parcè, ſed effuſiſſimè quantùm eſt de ſe, „omnia media ſuppeditare, quæ non modo „ſufficiant, imò abundent. pag. 128. lin. 25.

NOTA.

Quàm hæc falſa ſint, infantes ipſi, ut loquitur Auguſtinus lib. 4. contra Julianum cap. 8. *ſuâ taciturnitate convincunt*, quandò quidem eos, vel in ſinu matrum, vel ſtatim atque lucem aſpexerunt, antequam ad baptiſmum pervenerint, extinctos, omnia media ad ſalutem conſequendam neceſſaria non habuiſſe, res ipſa per ſe clamat. Quid de omnibus gentibus, quas ante adventum Chriſti, vias ſuas ingredi dimiſſit Deus? Certè de his Proſper in reſponſione ad caput 8. Gallorum ſic habet „ Si circa univerſi-„tatem generis humani ſalvandam, & in ag-„nitionem veritatis vocandam, iſta indifferens „per omnia ſæcula aſſerenda eſt voluntas Dei, „ut uſquequaque neminem hominum præ-„termiſiſſe monſtretur, impenetrabilis judi-„ciorum Dei altitudo pulſatur. Quare enim „in præteritis ſæculis dimiſerit Deus omnes „gentes ingredi vias ſuas, quando Jacob ele-

„git ſibi Dominus..... Quare quod quæ-
„rebat Iſraël non eſt conſecutus, electio au-
„tem conſecuta eſt, cæteri verò excæcati
„ſunt, impoſſibile eſt comprehendere, &
„perniciosæ curioſitatis eſt quærere.

Quid deinde de tot barbaris nationibus, quas à ducentis annis in novo orbe Europæi invenerunt, quaſque etiamnum, in novos ſubinde tractus penetrantes, inveniunt, in quibus vix ullum veri Dei cultûs veſtigium occurrit; an apud illas omnibus ac ſingulis hominibus tam adultis, quam infantibus ſemper omnia ad ſalutem conſequendam media effuſiſſimè à Deo ſuppeditata fuiſſe dicemus? Certè ſi hęc tam incredibilia atque ipſis rerum experimentis contraria, tanquam ad defendendam Dei cauſam neceſſaria, ita in Eccleſia proponuntur, valde timendum eſt ne hæreticis, Judæis, Mahometanis, imo & tot impiis, Libertinis atque Atheis, quibus hoc ſęculum abundat, occaſio detur Eccleſiam & fidem Catholicam ſpernendi ac ſubſannandi.

PROPOSITIO XV.

„Palam eſt nullum omninò hominem
„eſſe ..... quem Chriſtus nolit efficaciter,
„quantùm eſt de ſe, ſalvum eſſe pag. 17.
„lin. 20. Quod ſi nihil Scriptura, nihil
„Patres, de hoc Dei omnes homines ſalvan-
di

„di proposito loquerentur ; idipsum apertissima ratio convinceret, cui nemo nisi „expers rationis repugnare possit pag. 18. „ lin. 18.

NOTA.

Quin Christus omnium salutem voluerit, proque omnibus sanguinem suum fuderit nullus dubitat Catholicus. At quod *efficaciter* omnium ac singulorum hominum salutem voluerit, & absolutâ illâ atque efficaci voluntate, pro obtinendâ omnium omninò hominum salute, sanguinem suum Deo Patri obtulerit, negabit profectò, non qui, ut ait Auctor, rationis expers fuerit, sed quisquis meminerit Christum jam jam iturum ad mortem dixisse Patri: *non prò mundo rogo, sed pro eis quos dedisti mihi, quia tui sunt.* Joan. 17: v: 9. Item quisquis novit eum orantem ad Patrem, non potuisse non exaudiri pro sua reverentia: Heb. 5. v. 7. denique quisquis ex doctrina gratuitæ prædestinationis agnoscit, Deum solis electis salutem æternam absolutâ voluntate dare decrevisse, ex qua voluntate pendet series illa gratiarum & beneficiorum, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur, quorum utique potissimum est finalis perseverantiæ donum. Certum est enim Christum Dominum paternæ voluntati sibi notę sem-

per consentientem, hoc decretum nec precibus nec morte sua mutare voluisse, ac proinde solis electis, absolutè & efficaciter, magnum illud usque in finem perseverantiæ donum, ut loquitur Concilium Trid. ac salutem æternam promereri voluisse, quos videlicet sibi à Patre datos, neque à quoquam de manu suâ raptum iri, in Evangelio declaravit.

Unde S. Thomas, S. Augustinum sequens 3. p. q. 21. a. 4. docet omnem Christi voluntatem absolutam fuisse semper impletam, atque adeò quamlibet ejus orationem esse exauditam. *Omnis*, inquit, *absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quia Deo fuit conformis & per consequens omnis ejus oratio exaudita.* Et eodem articulo respondens ad 2. ait dicendum, *quod Dominus non oravit pro omnibus Crucifixoribus, neque etiam pro omnibus qui erant credituri in eum, sed pro his solum qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam.* Quapropter si credamus Auctori, dicendum esset S. Thomam, itemque S. Augustinum cum omnibus eorum sequacibus *apertissimæ rationi repugnare, imò & rationis expertes esse*, quod an tolerandum sit, aliorum, ad quos pertinet, judicium esto.

PRO-

PROPOSITIO XVI.

„Unus est Deus, unus est mediator (in„quit Apostolus) . . . . . ergo qui omnium „Deus & mediator est, aut opertet officio „suo desit, aut omnium salutem & vitam „EFFICACITER VELIT. pag. 10. lin. 1. & „lin. 15.

NOTA.

Jam supra ostensum est, periclitari ipsum confessionis nostræ initium, quâ Deum omnipotentem prædicamus, si Deus *efficaciter* aliquid velit, quod effectu careat. Unde nequaquam dicendum est Christum omnium mediatorem futurum non fuisse, nisi omnium salutem & vitam EFFICACITER voluisset. Alio quippe nomine, aliâque notione, juxta prædestinationis gratuitæ defensores, verè Mediator ac Redemptor omnium dicitur, quod videlicet sufficiens pro omnibus pretium ac superabundans, morte sua Patri obtulerit, ac reipsâ solverit, ac deinde Sacramenta instituerit, tanquam communes gratiæ fontes, ex quibus omnes salutem hauriant: id quod S. Prosper his verbis expressit, Respons. ad 1. objectionem Vincent. *Cum propter unam omnium natu-* „ram, & propter unam omnium causam, à „Domino nostro in veritate susceptam, rectè

C 7 omnes

„ omnes dicuntur redempti, & tamen non „ omnes à captivitate ſunt eruti, redemptio- „ nis proprietas haud dubiè penes illos eſt, „ de quibus Princeps mundi miſſus eſt foras; „ & Poculum, quippe immortalitatis, quod „ confectum eſt de infirmitate noſtrâ & vir- „ tute divina, habet quidem in ſe ut omni- „ bus proſit, ſed ſi non bibitur, non mede- „ tur. „ Quam doctrinam ſequitur & confir- mat Concilium Trid. Seſſ. 6. cap. 2. & 3. dum ait: *Hunc* (Chriſtum) *propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolum autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi: Verum etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.* Videndus hac de re Cardinalis de Lauræa opuſc. 1. de prædeſtin. cap. 20. & opuſc. 2. de reprobat. malorum cap. 11.

PROPOSITIO XVII.

„ Cum ſacræ Scripturæ toties ac tam enixis „ verbis Chriſtum pro omnibus mortuum „ eſſe teſtentur, nullibi verò & nunquam „ pro aliquibus tantùm, planè temerarius „ ſit, qui id dicat . . . ſi quis princeps „ moriturus ultimis tabulis diſponat, ut ex „ regio immenſoque theſauro, quem hære- „ di relinquit, omnes totius regni captivi re-

„redimantur qui triremibus & servituti ad-„dicti sunt, hæres verò non *de singulis ge-„nerum*, *sed de generibus singulorum*, hoc „est non de omnibus, sed de paucis tan-„tùm id intelligi vellet, quis non *infidelem*, „*prævaricatorem*, *hostemque paternæ voluntatis* „eum diceret? pag. 15. lin. 25.

NOTA.

Nemo non videt hic tanquam *temerarios*, *infideles*, *prævaricatores ac divinæ voluntatis hostes* traduci quotquot hæc loca Scripturæ: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, &, *Christus pro omnibus mortuus est*, ita interpretantur, ut vocabulum *omnes* accipiant non pro *singulis generum*, *sed pro generibus singulorum*, id est, non pro quolibet individuo, sed pro cujusvis sexus, ætatis, conditionis, nationis hominibus. Qua in re Auctor manifestè ostendit vel se non legisse SS. Augustinum, Prosperum, Fulgentium, Gregorium Magnum, Remigium Lugdunensem, S. Thomam aliosque Patres, qui inter alias locorum istorum explicationes hanc ipsam afferunt & inprimis commendant; vel si eos loca illa itá intellexisse nonverat, vix ipse temeritatis atque in SS. Patres irreverentiæ notam effugiet, qui non solùm eorum interperationem non est secutus, sed eam cum fastidio & injuria rejecit.

Sat-

Sat erit indicare locos ubi dicti SS. Patres hanc explicationem tradunt. S. Aug. Enchirid. cap. 103. epist. 107. lib. de correct. & grat. cap. 14. Episcopi Africani pro fide exules in Epistola synodica. S. Fulgentius lib. de incarnat. & grat. cap. 31. S. Gregorius in 1. Reg. lib 1. S. Remigius cum tota Ecclesia Lugdunensi lib. de tribus capit. Lupus Ferrariensis de 3. quæst. qu. 2. S. Anselmus lib. de voluntate Dei in fine. S. Thom. 1. p. qu. 19. a 6. ad 1. Item in comment. super cap. 2. epist. 1. ad Timoth. v. 4. Hos sequuntur inter recentiores, Estius in dist. 46. item in suis ad hunc locum Apostoli commentariis. Sylvius 1. part. qu. 19. Fromondus in commentariis, Cardinalis de Lauræa opusc. 1. de prædestinatione cap. 20. & innumeri alii.

Rectè Thomas Lemos loquens de eadem explicatione tom. 2. tract. 2. de dilectione Dei æternâ, cap. 14. n. 138. ait, eam tanquam sanctorum explicationem venerandam esse & recipiendam. *Asserere autem*, inquit, *illam esse extortam & peregrinam seu minùs rectam, non est solùm sanctis Ecclesiæ Doctoribus contradicere, quod & gravissimum est, sed re ipsa est idem S. Augustino & S. Prospero objicere, quod antiquitùs eisdem sanctis Doctoribus à Pelagianis & Semipelagianis objiciebatur.*

PRO-

Propositio XVIII.

„Gratia orandi omnibus qui præcepto „tenentur, loco & tempore opportuno da„tur pag. 181. lin. 26. Deus ut omnibus & „quantùm ex se est, efficaciter vult salu„tem, ita ad illam obtinendam omnibus „copiosissima media tribuit, quorum po„tissimum & maximè necessarium est gra„tia orandi pag. 183. lin. 36.

De gratia quæ omnibus datur, seu de gratia orandi.

Nota.

Nova prorsus & sanctis Patribus imò & Theologorum scholis inaudita doctrina, quâ etiam infidelibus, impiis, idololatris, quocunque tempore ac loco vixerint, gratia orationis communicatur: cui quidem doctrinæ sat erit opponere hæc verba Apostoli: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Rom. 10. v. 14. Quam in rem ait Augustinus: *si fides deficit, oratio perit; quis enim orat, qui non credit?* Serm. 36. de verbis Apost. cap. 2. itemque eodem Sermone loquens de Paulo Apostolo, *ut ostenderet*, inquit, *fidem fontem esse orationis, nec posse ire rivulum, ubi caput fontis siccaretur*, *adjunxit atque ait: quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt?* Ergo, ut oremus, credamus &c. Certè hic est communis

munis Christianæ Doctrinæ ac pietatis sensus, *quod fides fons sit orationis*; & quod intantum quisque orare incipiat, inquantum ad Deum per fidem accedit. Unde paradoxi vel potiùs monstri simile est, ei qui necdum aliquid de fide audivit, munus orandi, & quidem copiosum & quodammodò continuum tribuere.

PROPOSITIO XIX.

„Ex sacris literis, quæ toties omnes, „nulloque excepto, ad quærendum, pul„sandum, petendum, vitamque mutandam „invitant, constat gratiam saltem remo„tam, hoc est orandi & petendi omnibus „dari: alioquin frustra peccatores ad rem „impossibilem invitarentur pag. 184. lin. 1.

NOTA.

Hæc fuit Massiliensium ac deinde Cassiani, Fausti, aliorumque Semipelagianorum sententia, qui omnibus hominibus orandi facultatem concedebant, per quam quærendo, pulsando, petendo divinam opem promererentur, ut videre est in Epistola Prosperi ad Augustinum, & apud Cassianum lib. 12. de Institut. Cænob. cap. 14. & apud Faustum lib. 2. cap. 10. Quam sententiam rejecerat S. Augustinus, ostendens orationem non esse à nobis quasi ex nobis, sed ex mu-

munere divino seu speciali gratia Dei, haud secus ac alia opera pia, proficisci. *Attendant*, inquit de Massiliensibus, *quomodo falluntur, qui putant esse à nobis, non dari nobis ut petamus, quæramus, pulsemus; & hoc esse dicunt, quod gratia præceditur merito nostro, ut sequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulsantibus; nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus.* Lib. de dono persever: cap. 23. Scribens verò contra Julianum lib. 4. c. 8. sic pronuntiat: *Necesse est gratiam præcedere & eos tangere, ut beatificum bonum à Deo petatur, & ut pulsetur ad Deum.* Idem posteà S. Fulgentus contra Semipelagianos his verbis expressit epist. 6. cap. 7. *Haberi non potest ipse saltem orationis affectus, nisi divinitùs fuerit attributus. Ut ergo desideremus adjutorium gratiæ, hoc ipsum quoque est opus gratiæ. Ipsa namque incipit infundi ut incipiat posci: ipsa quoque amplius infunditur, cum poscentibus datur.*

PROPOSITIO XX.

„ Gratia seu Spiritus orandi, quoad ini„tia sua, primosque gradus, à Deo non pe„titur pag. 182. lin. 8.

NOTA

NOTA.

Assertionis hujus falsitatem apertè demonstrant preces Ecclesiæ, quæ dum orat pro Infidelibus & incredulis ut credant, orat ut orare incipiant: Ex fide enim statim orandi spiritus concipitur. Cum autem Ecclesię preces exaudiuntur, *recenter conversi*, inquit Augustinus Epist. 107. *velle incipiunt quod nolebant, & habere fidem quam non habebant, quod ut fiat in eis oratur pro eis, quamvis non oretur ab eis; Cum verò factum fuerit, quod oratur, ei qui fecit, aguntur gratiæ & pro eis & ab eis.*

PROPOSITIO XXI.

„ Augustinus mille locis ..... de homi-
„ nibus quales in mundo sunt, hoc est pec-
„ cato originali multisque actualibus obstri-
„ ctis, constantissimè docet, non peccaturos
„ violatis divinis præceptis, nisi potestatem
„ haberent illa observandi, & consequenter
„ nisi haberent gratiam saltem inchoatam,
„ hoc est orandi. pag. 184. lin. 9.

NOTA.

Aliquam gratiam saltem inchoatam, hoc est, ut Auctor interpretatur, gratiam orandi necessariam esse in quibusvis hominibus, id est, etiam induratis, obcęcatis, infidelibus, idolo-

idololatris, ad hoc ut eis peccata imputentur, cum alioquin nullam ea vitandi, ac præcepta Dei adimplendi poteſtatem haberent, opinio eſt doctrinæ Auguſtinianæ prorſus oppoſita, quam S. Doctor in omnibus pæne operibus contra Pelagianos & Semipelagianos editis refellit, ac nominatim lib. de correct. & grat. à cap. 6. uſque ad 11. ut mirum omnino ſit Auctorem aſſerere S. Auguſtinum mille locis illud ipſum docere.

Illud idem principium, tanquam ſacris Scripturis & S. Auguſtini doctrinæ imprimis adverſarium, pluribus locis evertit Angelicus Doctor, & aliud planè contrarium ſupponit. Tantum enim abeſt ut in quocunque peccatore gratiam ſaltem inchoatam vel remotam requirat, ſine qua peccatum eis non imputaretur, ut potiùs expreſſè doceat, multis deeſſe auxilium ad vitandum peccatum, *Quod quidem auxilium*, inquit 2. 2. qu. 2. a. 5. ad. 1. *quibuſcunque divinitus datur, miſericorditer datur, quibus autem non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, & ſaltem originalis peccati, ut Auguſtinus dicit in lib. de corrept. & grat.* vid. item 1. 2. qu. 79. art. 1. & art. 3. nec non 1. p. qu. 23. a. 3. ad 3.

Pro-

PROPOSITIO XXII.

„ Sine gratia orandi, in ſtatu naturę cor-
„ ruptæ, nulla poteſtas eſt obſervandæ legis
„ divinæ pag. 184. lin. 15.

PROPOSITIO XXIII.

„ Nullo peccato gratia petendi amittitur,
„ ſine qua omnem quoque libertatem tolli
„ neceſſe eſt. Ib. pag. 20.

NOTA.

Novum prorſus dogma, atque hactenus in ſcholis catholicis inauditum. Certè hęc gratia orandi, quę hîc neceſſariò in omnibus hominibus requiritur, ut eis peccatum imputetur, & ſine qua, ut Auctor exiſtimat, omnis libertas tolleretur, non eſſet gratia Chriſti; neque ejus meritis adſcribi poſſet. Non enim gratuita, ſed homini in quocunque ſtatu poſito debita eſſet; quemadmodùm homini ſanæ mentis ipſa arbitrii libertas naturaliter debetur. Unde etiamſi Chriſtus non fuiſſet incarnatus, ejuſmodi orandi gratia in omnibus hominibus admittenda eſſet; cum alioquin non eſſent ad peccandum liberi, ut Auctor contendit.

Sequeretur etiam, quod non poſſet fides per infidelitatem, apoſtaſiam & atheiſmum

amitti.

amitti. Indivulſo enim nexu inter ſe cohærent fides & oratio, neque dici poteſt, eum, qui adhuc orandi gratiam retinet, à fide omnino excidiſſe.

Denique qûi fieri poteſt ut ejuſmodi orandi gratia locum olim habuerit in Stoicis, Epicurȩis, Judȩis, Pelagianis? quandoquidem Stoici cætera bona à Diis, ſolam virtutem à ſe ipſis habere ſe putabant; Epicurȩi verò nullam in Deo rerum humanarum curam ac providentiam agnoſcebant; Judæi autem ignorantes Dei juſtitiam & ſuam volentes conſtituere, nullo ſe auxilio Dei ad implendam legem indigere credebant; Pelegiani denique liberi arbitrii viribus confiſi, divinȩ gratiæ neceſſitatem tollebant. Quid de Atheis & Libertinis, qui in corde dixerunt Deum non eſſe, an etiam illis gratia orandi ſemper adfuit? Quod ſi hi omnes orandi gratiam non habuerunt, neque de illa unquam cogitarunt, conſequens eſt, ex mente Auctoris, etiam libertate ad peccandum neceſſariâ caruiſſe, adeòque nulla eis peccata à Deo, ad culpam imputanda fuiſſe. Quam conſequentiam ipſe Auctor expreſſè admittit hac eadem pag. lin. 16. ubi ait, *quod ſi alicui deeſſet hæc gratia* (orandi) *poſſet eſſe aliquis ſanæ mentis, qui furando, occidendo, adulterando, blaſpemandoque nihil peccaret.*

PRO-

PROPOSITIO XXIV.

De gratia sufficienti & efficaci.

„Quod Nabuchodonoſor, non Pharao „punientem Deum agnoverit, id, juxta „Auguſtinum lib. de prædeſtinatione & gra- „tia, non ad Dei præſcientiam referendum „eſt, non ad diſparem cauſam, non ad „conditionem & dignitatem inæqualem, non „ad defectum externę aut internæ vocationis, „ſed ad ſolum merumque arbitrium pag. 136. „lin. 9.

NOTA.

Librum de prædeſtinatione & gratia non eſſe Auguſtini jam pridem in recenſendis ejus operibus notarunt Doctores, & confirmat Bellarminus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ubi obſervat hunc librum diſcrepare à phraſi & à Doctrina S. Auguſtini, atque adeò neque à Beda, neque ab alio veteri teſtimonium habere. De eodem libro ſic loquitur Dionyſius Petavius tom. 1. dogm. Tholog. c. 14. n. 15. *Libellus iſte non eſt Auguſtini, ſed imperiti cujuſdam, qui meritò ſe cum aſina Balaam comparat; ut valde mirer ab ullo, qui quidem legerit, pro Auguſtiniano referri.*

Certè quiſquis aſſerit inter Nabuchodónoſorem humiliatum ac pænitentem, & Pharaonem induratum & rebellem, hoc eſt

inter quoslibet bonos & malos *solum merumque discernere arbitrium*, primùm divo Paulo interroganti, *Quis te discernit?* contradicit; deinde Augustino repugnat, qui hunc errorem in omnibus suis libris adversùs Pelagianos & Semipelagianos ac nominatim in lib. de prædestin. Sanctorum cap. 5. funditus evertit.

Non hîc solùm, sed pluribus aliis locis, auctor sub nomine Augustini libros falsò illi adscriptos citat; ut pag. 31. & pag. 50. *Responsum Augustini ad articulos sibi falsò impositos*, qui liber non est Augustini, sed Prosperi, inter cujus opera, diverso licet titulo, reperitur. Pag. 118. *Librum de fide ad Petrum*, quem esse S. Fulgentii omnes conveniunt. Pag. 181. *Librum de dogmatibus Ecclesiasticis*, qui absque dubio est Gennadii Massiliensis, Semipelagianorum partibus addicti. Sanè qui sic in citandis S. Augustini operibus aberrat, ostendit se in ejus lectione non ita versatum esse, ut sperare potuerit se ex ejus doctrina *Nodum prædestinationis* explicaturum, quemadmodùm Auctor in ipso libri titulo se facturum spondet, si tamen hæc tituli verba ejus sunt, & non alienâ manu, dum opus typis ederetur, supposita.

PROPOSITIO XXV.

„Eam gratiam ſufficientem agnoſcimus „& docemus, quæ ſubinde impletur, ſub„inde repugnante libero arbitrio non im„pletur, effectuque ſuo culpâ voluntatis „caret, quamque S. Auguſtinus clariſſimè „& frequentiſſimè docuit . . . . . & quam „tota Societas Jeſu amplectitur, graviſſi„mique alii Doctores pag. 129. lin. 7.

NOTA.

Auctor inter gratiam ſufficientem & efficacem, quam *effectricem* dicere mavult, nullum diſcrimen agnoſcit, niſi in actu 2. Unde præcedenti propoſitione docuit, quod inter Nabuchodonoſorem & Pharaonem, ſeu inter bonos & malos non gratia, ſed *ſolum merumque diſcernit arbitrium.* Tota ergo gratiæ efficacia, juxtà illum, unicè pendet à ſolo arbitrio, eſtque in poteſtate hominis pro nutu ſuo gratiam reddere efficacem, quæ aliàs non eſſet niſi ſufficiens & inefficax; adeò ut moraliter & in ratione beneficii, plus nihil ex parte Dei in gratia efficaci, quàm in gratia merè ſufficienti contineatur.

Neſcio quibus oculis aut conſpicillis opera contra Pelegianos & Semipelagianos legerat, qui tam aſſeveranter ait, illum *clariſſimè ac frequentiſſimè* ejuſmodi gratiam ſufficientem & ex ſolo nutu arbitrii huma-

ni

ni efficacem docuisse. Aliam omninò gratiam in legendo Augustino invenerat Clemens VIII. summus Pontifex, qui in celebri Scripto Congregationi de auxiliis exhibito § 5. & seqq. docet gratiam ab Augustino contra Pelagianos & Semipelagianos assertam, *efficaciam suam habere ab omnipotentia Dei, & à dominio quod summa Divina Majestas habet in voluntates hominum*. Eandem gratiam apud Augustinum reperit Cardinalis de Lauræa, qui opusculo 3. de gratiis actualibus cap. 3. post multa de ea allata, sic concludit: *Ergò per Augustinum datur gratia efficax, imò, ut verum fatear, si eum capio, in omnibus suis scriptis ferè semper de ea loquitur*. Denique Cardinalis Bellarminus gratiam sufficientem, qualis hîc ab Auctore describitur, lib. 1. de grat. & lib. arb. cap. 12. rejicit *tanquam à sententia Scripturarum divinarum & Beati Augustini omninò alienam*; ac per eam censet everti fundamentum prædestinationis divinæ, *quam*, inquit, *S. Augustinus ex divinis Literis solidissimè comprobavit*.

Porrò non ex solo Cardinalis Bellarmini testimonio liquet, falsò hanc de gratia sufficienti seu ex solo eventu efficaci, doctrinam toti Societati Jesu adscribi, sed id adhuc clarius ostenditur ex Decreto Patris Claudii Aquavivæ, ejusdem Societatis Præpositi, dato die 14. Decembris anni 1613.

quod refert Tannerus ejusdem Societtais Theologus disput. 6. de grat. qu. 2. dub. 5. n. 86. quo expressè vetitum fuit, ne doctrina illa in scholis Societatis doceretur.

PROPOSITIO XXVI.

„Qui gratiam sufficientem statuunt, quæ „nunquam effectum suum completum assequitur, talem mihi videntur statuere gra„tiam, quæ non est gratia pag. 129. lin. 13. „Ut silentio præteream, quod illi dicunt „hujusmodi sufficientes gratias potentiam „agendi dare, sed nunquam actum.„ (Deinde post allata quędam rerum naturalium exempla ad probandum quod hic sibi proponit, statim addit) lin. 28. „Planè tam nova hæc „sunt, tam inaudita ut nec dici debeant, cum „careant ratione, nec credi possint, cum „careant exemplo. Ib. lin. 27.

NOTA.

Communis est doctrina Thomistarum, quod gratia excitans seu inefficax, quam sufficientem vocant, operando nonnullos bonos effectus in homine, putà illuminationis & inspirationis, det etiam ei actum primum seu potentiam ad ulteriorem ac principalem effectum, verbi gratiâ, ad fidem amplectendam, ad vincendam tantationem, ad præceptum aliquod aut consilium adimplendum, tametsi ad opus illud reipsa ponendum, ultra requiratur gratia effi-

efficax, quæ det voluntati actum secundum, seu potentiam actui secundo conjunctam.

Huic Thomistarum doctrinæ subscribunt omnes gratiæ per seipsam efficacis defensores, dummodò gratia illa sufficiens dicatur tantum *sufficiens* in ordine suo, ad vitandam ambiguitatem & amphiboliam. Siquidem vocabulum *sufficiens* grammaticaliter & vulgari acceptione, significat id quod omnia ad agendum necessaria complectitur, & per se aptum est ac idoneum ad opus perficiendum, de quo videndus Cardinalis de Lauræa opusculo 3. de gratiis actualibus cap. 4.

An doctrina hæc Thomistarum, totque aliorum Theologorum de gratia sufficienti, tamquam *nova & inaudita*, & tamquam *ratione carens* & quæ nequidem proponi debeat, ab Auctore traduci atque exagitari potuerit, æqui ac prudentes lectores judicent.

PROPOSITIO XXVII.

„Ratum fixumque sit, nihil aliud, ex sen„tentia Augustini, gratiam effectricem esse, „quam cognitionem congruam, hoc est, quæ „tale tamque proportionatum objectum, „talique modo proponat, ut ad illud am„plectendum voluntas magnetismo & sym„pathiâ quâdam certissimè moveatur pag. „217. lin. 4.

NOTA.

Imò ex ſententia Auguſtini, ratum fixumque eſſe debet, eos, qui aſſerunt gratiam nihil aliud eſſe quàm *cognitionem congruam*, non veram Chriſti gratiam, ſed falſam atque à Pelagianis ſuppoſitam admittere. Hi namque apud Aug. lib. de gratia Chriſti ſic loquuntur: *Agnoſcat quàm iniquè nos negatio-* „ *ne gratiæ infamare geſtierint*, qui per totum „ penè ipſius textum operis perfectè atque in- „ tegrè & liberum arbitrium confitemur & „ gratiam, quam nos non in lege tantummo- „ do, ſed & in Dei eſſe adjutorio confitemur.„ Quodnam verò fuerit hoc adjutorium quod admittebant ſic pergunt exponere: *Adjuvat enim nos per doctrinam & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum Diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat . . . . . dum nobis ſuadet omne quod bonum eſt.* Sic Pelagiani, quos refellens Auguſtinus ibid. cap. 14. *Intueantur atque fateantur*, inquit, *non lege atque doctrinâ inſonante forinſecùs, ſed internâ atque occultâ, mirabili atque ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum non ſolùm veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Idem Auguſtinus ſexcentis locis docet contra Pelagianos, proprium eſſe gratiæ, non tantùm intellectum illuſtrare, verùm etiam voluntatem vi-

ctrici quadam suavitate ac delectatione movere. Unicum textum afferam ex lib. 2. de peccat. mer. & rem. cap. 17. *Ignorantia & infirmitas vitia sunt quæ impediunt voluntatem, ne moveamur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstineamus. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum* ADJUVAT VOLUNTATES.

Quin & ipse Gregorius de Valentia, è Societate Jesu Theologus, doctrinam quæ hîc ab Auctore traditur, Pelagianam esse agnoscit & probat 1. 2. qu. 3. de gratia, puncto 3. ubi ait: *non modò intellectum, sed etiam voluntatem nostram tanquam imbecillem gratia adjuvandam, idque definitum esse contra Pelagium in Concilio Arausicano can. 4. & Milevitano. can. 4. & à D. Aug. lib. de dono persever. cap. 19. rectè probatum.* Non video itaque, qua ratione hæc propositio Auctoris & à gravissimo errore circa factum in citando Augustino, & ab ipsa Pelagii hæresi circa jus defendi possit.

PROPOSITIO XXVIII.

„Planè voluntatem à nullo alio quàm à se „ipsa determinari . . . . . apertissimè docet „S. Thomas pag. 220. lin. 17.

NOTA.

Tota schola Thomistarum hanc doctrinam in libris Angelici Doctoris non videt, sed

ſed potiùs contrariam, de præmotione ſeu prædeterminatione phyſica ex eis hauſiſſe ſe certò credit. Obſervandum autem hanc propoſitionem, *voluntas à nullo alio, quàm à ſe ipſa determinatur*, generaliter ab Auctore intelligi, non tantum de actionibus in ordine naturali, ſed etiam in ordine ſupernaturali, quando videlict voluntas per gratiam à Deo movetur, ut ex tota ejus ratiocinatione colligitur. Atqui non ſolùm Thomiſtæ ſed & Patres Societatis Jeſu uno ore fatentur tanquam dogma Catholicum, voluntatem ad actus ſupernaturales non à ſe ipſa, ſed etiam à gratia determinari; adeo ut nullus Theologus è Societate, quod ſciam, hanc generalem propoſitionem; *voluntas à nullo alio quàm à ſe ipſa determinatur*, admiſerit.

PROPOSITIO XXIX.

„Quis novit cum ea gratia, quæ Petro „& Magdalenæ data eſt, Judam converſum iri, cum fortè plures ac majores gratias utroque acceperit? pag. 67. lin. 29. „Comparet aliquis gratias ex una parte „Zachæo, ex altera Judæ datas, videbitque „longè plures & majores fuiſſe, quibus hic „reprobus ad pænitentiam vocatus eſt pag. „106. lin. 32. Negari non poteſt plura „Judæ reprobo auxilia, quàm prædeſtinato „Zachæo impenſa eſſe pag. 107. lin. 4.

Ideo

„Ideò plura remedia Judæ reprobo adhibi-„ta, quàm Petro electo, quia illi gravior „morbus. Ib. lin. 29. Si ergo reprobis aut „æqualis aut etiam major gratia, quàm „prædestinatis datur, non potest, &c.

NOTA.

Hæ assertiones omninò adversantur verbis Apostoli Rom. 8. v. 30. Quos *prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Quæ quidem solis electis convenire priùs significavit his verbis: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Ib. v.* 28. unde & ait *omnia fieri propter electos* 2. *Tim.* 2. *v.* 10. Concilium etiam Trid. *sess.* 6. *can.* 16. & *can.* 22. perseverantiam finalem vacat *magnum illud donum*, & *sine speciali auxilio Dei haberi non posse declarat*, significans illud esse proprium electorum neque eis ullo modo cum reprobis commune. Unde negari non potest, nisi aberrando à fide, plus aliquid Zachæo & Petro electis, quàm Judæ reprobo, hoc est, saltem donum perseverantiæ, à Deo collatum fuisse.

Certè horret animus & Christianæ aures refugiunt audire, *plura Judæ reprobo auxilia, quàm prædestinato Zachæo impensa esse: pluraque remedia Judæ reprobo adhibita, quàm Petro electo*, quasi Christus præcipuo quo-

dam amore Petrum, non præ Juda tantum, ſed & præ cæteris Apoſtolis non ſit proſecutus, ad quem ſpecialiter dixit jam proximus morti; *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua;* & quem per trinam negationem lapſum reſpexit, converſus ad eum non tam oculis carnis, quàm divinitatis potentiâ ut notat S. Ambroſius, cum intus in conclavi Pontifici adſtaret, Petrus autem foris in atrio verſaretur.

Obſervandum autem Auctorem hoc loco & pluribus aliis locis, æqualia illa aut majora gratiæ auxilia, quæ reprobis attribuit, in doctrina, exhortationibus, minis & beneficiis exterioribus ponere, quaſi verò gratia Chriſti in his ſolis rebus intelligi debeat, & non potiùs in *ſubminiſtratione ſpiritus*, juxta Apoſtolum, ſeu in inſpiratione dilectionis, qua Deus cor tangens, operatur in nobis non ſolùm veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates, ut loquitur Auguſtinus refellens Pelagium, qui ultrò ejuſmodi gratiam in lege, doctrina, exhortationibus, minis & aliis rebus exterioribus poſitam, admittebat ut ſupra vidimus.

Propositio XXX.

„ Deus quamvis deſertus, nunquam tamen ita hominem licet obſtinatiſſimum „deſerit, ut non ei gratiam tribuat, qua & „poſ-

„possit pœnitere, imò & qua actu pœniteat, „si velit, ut Pharaonis exemplo patuit, „qui Deo flagellante, jam in Mosem exar- „sit, eique mortem minatus est, jam pœni- „tuit, suumque peccatum & agnovit & pa- „lam confessus est. *Dominus*, inquit, *ju-* „*stus est; ego autem & populus meus im-* „*pii.* Quem ergo peccatorem deserat Deus, „si non deseruit Pharaonem? aut quis tam „obduratus, qui non possit, quod Pharao „& potuit & fecit pag. 99. lin. 5.

NOTA.

Novum prorsus, & contra communem Patrum atque Interpretum sententiam, ut Pharao dicatur verè pœnitens & per gratiam Dei conversus fuisse, quando dixit Exodi 9. v. 27. *Peccavi etiam nunc, Dominus justus &c.* Imò contraria est hæc explicatio ipsis verbis Moysis, qui statim. v. 30. ait Pharaoni: *Novi quod & tu & servi tui necdum timeatis Dominum.* Deinde qui dicit Pharaonem licet obstinatissimum à Deo desertum non fuisse, sed potiùs ab eo gratiam accepisse, Paulo Apostolo contradicit, qui allato ejusdem Pharaonis exemplo Rom. 9. v. 17. continuò addit: *Ergo cujus vult miseretur* (Deus) *& quem vult indurat.* Quid enim aliud est Deum indurare peccatores, nisi eos deserere, non quidem malitiam in-

ſpirando, ſed gratiam non impertiendo, ut ait Auguſtinus.

Obſervandum hoc loco, quod ſupra jam notavimus, Auctorem quælibet adminicula, quibus homines à peccatis abſterrentur, ut monitiones, minas, flagella, terrores conſcientiæ, pro vera Dei gratia ſumere, aut ſaltem ſub generali gratiæ vocabulo comprehendere.

PROPOSITIO. XXXI.

„Quis unquam pejor, impurior, magis „flagitiis aſſuetus, Tiberio & Nerone?.... „ſi ergo ne iſtis quidem defuit Deus, quin „per conſcientiam moneret, cui rogo de„futurus eſt? pag. 162. lin. 28. lin. 33. „Planè tam portentoſa (Tiberii) flagitia, tam „diuturna fuere.... ut nullus æquè deſeri à „Deo mereretur; & tamen tantùm abfuit „deſertum eſſe, ut maximis argumentis ad „Dei cognitionem & ſceleris pœnitentiam „vocaretur. pag. 195. lin. 18. Quis ſuſpi„cari poſſit Deum alicui defuiſſe, qui non „defuit Neroni? Nemo iſto pejor, nemo „indignior, nec tamen deſertus. Nullus „ergo timendi aut deſperandi locus, etiam „Nerone adiuto. pag. 197. lin. 30.

NOTA.

Notandum hæc de Tiberio, Nerone aliiſque perditiſſimis hominibus afferri ab Auctore

ctore, ut probet, quod jam à principio demonstrandum suscepit, videlicet, Deum *seriò, impensissimè, ac, quantùm in se est, efficaciter omnium hominum salutem velle, atque adeò eis abundantissimas, copiosissimas, & ex natura sua efficaces gratias tribuere, quibus ad æternam felicitatem pervenire possint.* Unde patet eum, juxta principia sæpe ab eo tradita, gratiam Dei, quam meritis Christi debemus, & quæ ad æternam beatitudinem consequendam necessaria est, reponere in rebus externis, puta in doctrina, monitionibus, exemplis, flagellis à Deo inmissis, vel etiam in stimulis ac remorsibus conscientiæ, quibus vel sceleratissimi agitantur, & sæpe, tanquam furiis quibusdam urgentibus, ut apud Gentiles & poëtas legitur, ad desperationem adiguntur. En qua ratione, quibusque præsidiis vult Auctor, Deum non tantùm sufficienter, sed copiosissimè & abundantissimè gratiâ suâ perditissimos quosque & profligatissimos homines, etiam inter Idololatras, ad æternam salutem consequendam adjuvare. Quæ quidem gratiæ acceptio & explicatio Pelagianum errorem sapit, & à communi SS. Patrum ac Theologorum usu omnino aliena est, proindeque in libris Catholicorum minimè videtur toleranda.

PROPOSITIO XXXII.

De prædestinatione & reprobatione.

„ In illa prædestinationis causa, quæ om-
„ nium maxima est, & ex qua reliqua omnia
„ pendent, nullum omninò deseruit (Deus)
„ nullumque ab efficaci proposito exclusit
„ pag. 12. lin. 31.

NOTA:

Ut alia omittam, meridianâ luce clarius est, Deum parvulos in uteris matrum mortuos, aut statim atque nati sunt, priusquam ad baptismi gratiam pervenire possint, extinctos, quantùm spectat ad causam prædestinationis deseruisse, & ab efficaci eos salvandi proposito exclusissie, quo exemplo Pelagianos & Semipelagianos in hac quęstione semper Augustinus confutavit.

PROPOSITIO XXXIII.

" Deus in illo prædestinationis negotio,
" quantùm in se est, inter Cain & Abel, in-
" ter Paulum & Judam non distinxit, sed
" omnibus æqualiter salutem voluit pag. 13.
" lin. 18. Vult ergo Deus & Petrum & Ju-
" dam, & reprobos & electos, omnesque ho-
" mines salvos esse; vult omnibus media dare,
" non solùm quæ sufficiant, sed etiam quæ a-
" bundent pag. 67. lin. 35. Si prędestinati
" & reprobi ideò conditi sunt à Deo, ideò
" redempti sunt, ut æternâ vitâ potiantur,

"ſequitur (Deum) voluiſſe efficaciter, "quantùmque ex ſe eſt, utroſque ſalvari "pag. 109. lin. 25. *Deus quantum ex ſe "eſt*, & voluntate antecedenti per certa & "deſtinata media voluit & paravit omni-"bus vitam æternam pag. 111. lin. 9. "Deus reprobos æque ac prædeſtinatos "ſalvari vult Ib. lin. 15.

NOTA.

Si hæc ita ſe habeant; quemadmodùm in his propoſitionibus Auctor aſſerit, igitur, quod unus præ alio ſalvetur, verbi gratiâ Petrus potiùs quâm Judas, id non ad electionem aut propoſitum Dei, ſed ad liberum arbitrium hominis, media illa per ſe indifferentia aſſumentis & ad praxim reducentis, referendum eſt: quod eſt contra Apoſtolum dicentem: *Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti?* 1 Cor. 4. v. 7. & *Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Rom. 9. v. 16. nec non contra hæc verba Chriſti ad ſuos diſcipulos: *non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos & poſui vos ut fructum afferatis & fructus veſter maneat*: Deinde ſi omnibus dantur media non ſolùm quæ ſufficiant, ſed quæ abundent, quid eſt cur Pſalmiſta exclamat: *Non fecit taliter omni nationi*, & *notus in Judæa Deus.* Præterea ſi vera eſſet hæc doctrina, orandi ſtu-

ſtudium extingueretur, cum fruſtra id petas à Deo, quo jam abundes. Denique vix locus relinqueretur gratiarum actioni, quam eſſe continuam in Chriſtianis pręcipit Apoſtolus, & quæ in ſingulari & unico Eccleſię ſacrificio frequentatur, cum ſacerdos ait: *Gratias agamus Domino Deo noſtro*, populus autem reſpondet: *Dignum & juſtum eſt.* Si enim redemptionis Chriſti fructus promiſcuè & ſine delectu omnibus ac ſingulis hominibus communicatur, non eſt cur tantopere in Domino gloriemur, nos ad fidem vocatos eſſe, ac ſingulari nos beneficio & gratia Dei pręventos agnoſcamus, quod in ſinu Eccleſiæ & ex parentibus catholicis, non autem inter barbaras nationes, aut ex parentibus hæreticis vel ſchiſmaticis naſci nos Deus voluerit.

His propoſitionibus non tam ſolvitur *Nodus prædeſtinationis*, quàm ſcinditur. Tota quippe quæſtionis difficultas humanâ potiùs ratione, *quàm divinâ auctoritate* ita explicatur, ut vix intelligas quid ſit cur Aopoſtolus dixerit. *ô homo tu quis es qui reſpondeas Deo?* ac deinde exclamarit: *ô Altitudo!* Ejuſmodi explicationes in hac materia jampridem rejecit Petrus Diaconus lib. de Incarnatione & gratia Chriſti cap. 7. ubi irridens eos qui tunc temporis docebant prędeſtinationem fieri ex prævіſione liberi arbitrii

bitrii volentis ſalvari, & reprobationem ex præviſione liberi arbitrii nolentis ſalvari, utrumque refellit his verbis : *Hæc ſi ita ſunt ut jactitant, comprehenſa ſunt ab ipſis inſcrutabilia & incomprehenſibilia Dei judicia. Si enim, ſicut ipſi volunt, nolentes damnat, ſalvat autem volentes, nihil eſt omninò, quod ulteriùs quæratur ..... Nos autem incomprehenſibilia credentes judicia Dei, ex una maſſa perditionis, alios ſalvari dicimus bonitate & gratia Dei, alios juſto & occulto Dei judicio derelinqui.*

PROPOSITIO XXXIV.

"Reſpondeo & quæro quid nomine *ſpe-* "*cialis beneficii* intelligas? Illud quod tibi "tantùm non alteri datur? At hoc ſordi- "diſſimi & lividiſſimi animi eſt, nolle vi- "delicet pro ſpeciali beneficio habere niſi "alteri negatum..... Quod ergò voluerit "Deus omnes ſalvos eſſe, id ad ſpeciale "Electorum beneficium ſpectat : quantò "enim magis Deum amant, tantò magis "& de numero Candidatorum gaudent, & "infinitam Dei bonitatem laudibus attollunt. "pag. 111. lin. 20. Sive ergò beneficam "Dei & antecedentem voluntatem *abſolutè* "conſideres ut electis propriam, ſive *com-* "*parativè* ut omnibus etiam reprobis com- "munem, ſequitur ſemper maximum &

ſpe-

"specialissimum Dei donum ac beneficium "esse . . . . . pag. 112. lin. 3. Quod si "tamen omninò velis non aliud esse mag- "num ac speciale beneficium, quàm quod "aliis negatur, cogita quam multis infini- "tisque creaturis negatum sibi [legendum "videtur *sit*] quod tibi concessum. Pote- "rat enim Deus infinitos alios homines & "creare, & hęredes cœli facere, nec tamen "voluit. Tibi ergò tributum, quod infi- "nitis aliis negatum . . . . . Ergò negari "non potest etiam ex hac parte, factâque "cum aliis, qui neglecti sunt comparatione, "voluntatem te salvandi maximum ac spe- "ciale Dei beneficium esse, quippe te in- "numeris aliis prelato. Ib. lin. 15.

NOTA.

His verbis, totâque hac ratiocinatione Auctor apertè negat, voluntatem Dei circa salutem electorum, esse speciale in eos beneficium: imò in eo contendit majus ac specialius esse Dei beneficium, quod, quantùm est ex se, non magis in illos, quam in reprobos propensus affectusque fuerit. Quę quidem doctrina tum parum firma, tum etiam Catholicæ fidei contraria videtur; cum certum sit saltem perseverantiæ donum speciale & proprium esse Electorum, ut videre est in Concilio Trid. Sess. 6. cap. 13. & can. 16. & 22. ejusdem Sessió-

ſionis. Deinde Auctor gratiam à natura non diſtinguit, eodemque modo utramque omnibus, etiam in hoc naturæ lapſę ſtatu communem eſſe ſupponit. Unde eâ ſolùm ratione gratiam tanquam ſpeciale Dei donum habendam eſſe contendit, quod negata ſit innumeris aliis creaturis rationalibus; quas Deus omnipotentiâ ſuâ creare potuiſſet. Qua in re obſervandum, naturam humanam ab Auctore ſemper conſiderari, ac ſi in eo ſtatu eſſet, in quo primitùs à Deo condita eſt, nullâ ratione habita peccati originalis, quo in primo Parente infecta eſt; quaſi verò homines in præſenti ſtatu novo & ſpeciali gratiæ medicinalis adjutorio non indigerent ad juſtitiam recuperandam & æternam felicitatem obtinendam: Unde hîc, ut & alibi paſſim, Auctoris doctrina ad Pelagianos errores proximè accedit.

PROPOSITIO XXXV.

"In arbitrio operantium eſt, ut eligantur; "Deo quidem gratiam ad opus conferente, "ſed homine oblatam acceptante pag. 41. "lin. 7. Falſiſſima eſt hominum perſuaſio, "non eſſe ampliùs in eorum poteſtate, "ut inter electos numerentur. Sicut enim "cum gratia Dei, quæ nemini volenti deeſt, "in eorum poteſtate eſt ut benè vivant, "& in bono perſeverent, ita in eorum po-

„potestate est ut ad electos pertineant pag.
„47. lin. 2.

NOTA.

Si *in arbitrio operantium est, ut eligantur;* si in *eorum potestate est ut ad electos pertineant*, ergo electorum numerus non est ab ęterno prędefinitus, sed augeri vel minui potest, quod est apertè contra Augustinum, ex cujus tamen doctrinâ Auctor se *Nodum praedestinationis* velle dissolvere in ipso titulo libri ostendit. *Eorum*, inquit S. Doctor, *qui praedestinati sunt in regnum Dei, ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.* lib. de corrept & grat. cap. 13. *Non est aliquis supra numerum, sed certus est numerus* tract. 122. in Evangel. Joan. Imò id unum fuit ex iis quæ in ejus doctrina potissimum reprehendebant Semipelagiani, ut patet ex epistolis Prosperi & Hilarii; quæ illi occasio fuit componendi libros de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantię, ubi fusè hanc materiam tractat & Semipelagianorum objectionibus respondet. Isti autem sunt præcipuè libri Augustini, quos Hormisdas Pontifex consulendos ait, ut cognosci possit quid de gratia & libero arbitrio *Romana, hoc est Catholica sequatur & asseveret Ecclesia:* atque in iisdem maximè proponuntur ea dogmata, quæ tutissima & inconcussa declaravit Alexander VII. sum-

summus Pontifex, & quæ nuper adhuc Sanctiss. Dominus noster Innocentius XII. laudavit & commendavit in Brevi ad Facultatem Theologicam Lovaniensem.

PROPOSITIO XXXVI.

"Sicut nullum peccatum est, non contra "rationem, ita nullum non contra con-"scientiam, quæ nihil aliud est, quàm ra-"tio practica, dictans in particulari, quid "non liceat, liceatque. Et quemadmodùm "omne peccatum est contra conscientiam, "& tamen aliqui magnique peccatores vix "eâ percelluntur, non quod non pulset & "moneat, sed quia confestim animum ad a-"lia & placentia convertunt, &c. pag. 161. "lin. 12.

De peccatis ignorantiæ, ignorantia Dei, Peccato philosophico, & salute gentilium Philosophorum.

NOTA.

Apertè his verbis Auctor asserit, nullum esse peccatum, nisi sit contra conscientiam, hoc est, nisi hic & nunc peccanti conscientia dictet malum esse quod agitur; quod si semel admittatur, non ampliùs loquendum de peccatis ignorantiæ, in quibus homines non solùm se malè agere ignorant, sed sæpe, cæcitate mentis, legem Dei violando, rectè se agere existimant. Hęc autem fuit hæresis Pelagianorum, qui ajebant *oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato*, quæ primùm damnata est in Synodo Diospolitana, ac deinde in Conciliis Africanis, &

à

à S. Auguſtino pluribus locis confutatur. Fuit etiam poſtea error Petri Abalardi, quem S. Bernardus epiſtolâ 77. ad Hugonem S. Victoris, adductis variis Scripturæ teſtimoniis, refellit his verbis: *Is forſitan qui aſſerit non poſſe peccari per ignorantiam, nunquam pro ignorantiis ſuis deprecatur, ſed potiùs Prophetam irridet deprecantem & dicentem: delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Si peccatum ignorantiæ nullum eſt, non ergo peccavit Saulus qui perſecutus eſt Eccleſiam Dei, quoniam quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate . . . . Si, inquam, ignorantiâ nunquam peccatur, quid ergo cauſamur adverſùs occiſores Apoſtolorum, quandoquidem non ſolum malum eſſe neſcierunt interficere illos, ſed inſuper quoque id faciendo, arbitrati ſunt obſequium ſe præſtare Deo? ſed & fruſtra in cruce Salvator pro ſuis orabat crucifioribus, quippe neſcientibus, ipſo teſte, quid facerent, & ita nequaquam peccantibus.*

De his ignorantiæ peccatis generaliter pronuntiat S. Auguſtinus epiſt. 134. *Si quis bonum putaverit eſſe quod malum eſt, hoc putando utique peccat, & ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quiſque bene fieri putat, quod malè fit.* Eandem materiam de peccatis ignorantiæ, cum quis falſam conſcientiam ſequitur, latè tractat S. Thomas 1. 2.

qu. 76. art. 2. 3. & seqq. Item 1. 2. qu. 19. a 5. & 6. 1. 2. qu. 94. a. 6. allatæ Auctoris propositioni contrariam planè doctrinam tradens; quibus addenda quæ habet Quodlib. 8. art. 13. ubi generaliter ait: *Illud quod agitur contra legem* (æternam) *semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundùm conscientiam.*

PROPOSITIO XXXVII.

„Demus Brasiliæ populos Deum ita „(invincibiliter) ignorasse, id quoque „magna beneficii & gratiæ pars fuit pag. 152. „lin. 32.

NOTA.

Accedentem ad Deum credere oportet, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Sine (hac) *fide impossibile est placere Deo.* Heb. 11. v. 6. Absit ergò ut ea ignorantia, quæ impedit ne quis Deo placere possit, dicatur magnum Dei beneficium & gratia: sed dicatur potius, quemadmodùm revera est, & hactenus ab omnibus Theologis dicta fuit, peccati pæna gravissima.

PROPOSITIO XXXVIII.

„Cum peccatum sit essentialiter offensio „& injuria Dei, sublatâ Dei cognitione, „necessariò sequitur, nec injuriam nec „peccatum nec æternam pænam esse. „Ib. lin. 33.

NOTA

NOTA.

Hæc propoſitio damnatum ab Alexandro VIII. ſummo Pontifice Philoſophici peccati errorem videtur revocare, vel etiam pejus aliquid Philoſophiſmo docere. Quamvis enim primò doceat Auctor neminem, etiam inter barbaros, Deum invincibiliter & citra culpam ignorare, poſtea tamen haud ægrè ſupponit id contingere poſſe, ut patet ex præcedente propoſitione, & ex verbis in ſequenti propoſitione mox referendis. Et certè ſi per *ignorantiam invincibilem ac citra culpam* illa intelligatur, quę hic & nunc, viâ ordinariâ, ob magiſtrorum & cujuſcunque alterius humani adjutorii defectum, removeri non poteſt, ut multi hodie Theologi intelligunt, vix negari poteſt ejuſmodi ignorantiam dari in quibuſdam barbaris, ſi non per longum vitæ tempus, ſaltem aliquanto tempore poſtquam ad uſum rationis pervenerunt. Hoc autem poſito, Auctor nullum omninò peccatum, in ejuſmodi hominibus agnoſcit, ſed eos etiam furando, adulterando, occidendo, impeccabiles fore pronuntiat; quod non dicunt peccati Philoſophici defenſores, qui in eis ſaltem peccatum Philoſophicum agnoſcunt.

Deinde loquendo etiam in hypotheſi quod ejuſmodi ignorantia Dei ſit impoſſibilis, nullus hactenus inter Doctores peccati Phi-

philosophici repertus est, qui hanc Dei ignorantiam, si dari posset, pro beneficio & gratia Dei habendam docuerit, atquè hoc nomine Deum ejusmodi hominibus propitium fore dixerit. Patet itaque Auctorem in hac materia aliquid docere, quod ipsâ peccati Philosophici doctrinâ, à summo Pontifice damnatâ deterius sit.

PROPOSITIO XXXIX.

„Cum (barbari) hac (Dei) ignorantiâ „impeccabiles redderentur, alioquin cer- „tissimò peccaturi si agnoscerent, sequitur „hoc ipsum beneficium esse. Ib. lin. 36. „Ergo sive barbari agnoscant (Deum) sic que „invocare illum & salutem consequi possint, „sive penitùs ignorent, & ideò nec possint „peccare, semper verum erit, ne illis „quidem misericordiam deesse pag. 153. „lin. 2.

NOTA.

Absurda & erronea propositio, ut beneficii & gratiæ loco habeatur, quidquid nos quocunque modo impeccabiles redderet. Hoc si verum esset, omnes optare deberent, ut nunquam in lucem prodiissent, ut semper fatui & rationis usu expertes remansissent, ut eos Deus, non homines, sed bruta, ligna aut lapides creasset. Deinde quis Christianus patienter audiat, beneficij ac misericordiæ loco habendum, si quis

Deum ignoret, & vivere ſinatur ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus? Cum è contra ſumma ſit miſeria creaturæ rationalis ad imaginem Dei conditæ, proprium Auctorem ac ſummum ſuum bonum atque ultimum finem non cognoſcere, atque adeò nec colere.

PROPOSITIO XL.

„Juſtinus Martyr Socratem Philoſophum "non tantùm ſalvum, verùm etiam Martyrem eſſe docet . . . . & inſigniores Philoſophos, & quotquot de gentilibus cum "ratione vixerunt, Chriſtianos appellat "pag. 155. lin. ult. Idem de Platone . . . . "alii dicunt pag. 155. lin. 5. Omnibus hominibus etiam incultiſſimis ac planè barbaris auxilium gratiæ datur, quo legem "naturalem obſervent, quâ obſervatâ, & "niſi obicem ponant, Deus curaturus eſt, "ut eis quoque Evangelium innoteſcat, ut "de Sibyllis, Cornelio, Eunucho Candacis "Reginæ, & PLATONE PHILOSOPHO conſtat. pag. 160. lin. 1.

NOTA.

Hæc auctor ex Juſtino refert, ea approbando & confirmando, ut patet ex textu, quibus ſatis ſit opponere quæ de illis Philoſophis paſſim leguntur, & quæ de iiſdem communiter ſancti Patres cenſuerunt. De Socrate Tertullianus ait in Apologet. cap.

46.

46. Socratis vox eſt, *ſi dæmonium permittat. Idem, & cum aliquid de veritate ſapiebat, Æſculapio gallinaceum proſecari jubebat. Et paulò infra. Si de pudicitia provocemus, lege partem ſententiæ Atticæ in Socratem corruptorem adoleſcentium pronuntiatæ*, & cap. 36. de eodem Socrate & Catone notat, quod uxores ſuas amicis communicaverint. Multa ſimilia de Socrate aliiſque inſignioribus Philoſophis habent Cyprianus, Chryſoſtomus, Cyrillus, Theodoretus, Auguſtinus aliique Patres: de quibus generatim Lactantius lib. 3. cap. 29. rectè ait: *Omnis ſapientia hominis in hoc uno eſt ut Deum cognoſcat & colat. Hoc eſt illud quod Philoſophi omnes totâ vitâ ſuâ quæſierunt, nec unquam tamen inveſtigare, comprehendere, tenere valuerunt, quia religionem aut pravam tenuerunt, aut totam penitùs ſuſtulerunt.*

De Platone neſcio unde conſtet, Evangelium, ſeu promiſſionem Evangelii ei innotuiſſe, & quo titulo conjungatur Cornelio & Eunucho Candacis Reginæ, quorum fides in ſacris literis commendatur. Sanè eum Auguſtinus condemnat lib. 8. de Civ. Dei. cap. 12. quod idola colenda docuerit, Lactantius, lib. 3. cap. 20. quod uxorum communitatem in ſua republica ſtatuerit; Theodoretus ſerm. 9. de legibus, quod infantium cædes parentibus non ſolum permiſerit, ſed certis caſibus præceperit.

IV.

ANIMADVERSIONES
In locos tum
SCRIPTURÆ SACRÆ,
Tum
SANCTORUM PATRUM,
Citatos in Libro, cui titulus:

NODUS PRÆDESTINATIONIS &c.

PRÆFATIO.

IN Theologica magni momenti disputatione, qualis est ea, de qua in hoc opere agitur, illud in primis requiritur, ut quæ ex Scripturis Sacris & Sanctorum Patrum libris citantur, summâ diligentiâ & fidelitate, totidem planè verbis, & juxta germanum ac proprium Auctorum sensum adducantur. Quod cum minimè in præsenti opere factum sit, haud abs re erit, quid quantùmque ea in re peccatum, sit breviter exponere: sic enim, sine prolixiori disquisitione, statim patebit, quid de hocce libro judicandum sit. Ea certè fuit Auctoris religio ac pie-

pietas, ut nemo malam ejus fidem, in laudandis Scripturæ aut Sanctorum Patrum verbis, suspicari debeat: unde satius est existimare, eum Auctores ipsos non in eorum libris, sed tantùm in collectionibus, aut quorundam recentiorum Scriptis legisse, vel subministratos ab aliis locos adhibuisse, quos postea, nonnullis editionem libri urgentibus, jam infirmus ac morti proximus, denuò videre & emendare non potuit. Quocunque id pacto acciderit, clarum est exiguam admodum esse fidem atque auctoritatem Libri, in quo tot tantaque, in proferendis Scripturę aliorumque Auctorum testimoniis, errata occurrunt.

ARTICULUS PRIMUS.

De Locis Scripturæ malè citatis.

QUo major est divini verbi in rebus Theologicis auctoritas, eo cautior ac religiosior in eo citando quisque esse debet, ut nonnisi ipsamet Scripturæ verba, prout jacent, proferat; & quidem juxta editionem vulgatam, si latinè citetur; cum hæc a tempore Concilii Tridentini, inter omnes alias editiones latinas autentica habeatur, ac pęne sola apud catholicos remanserit. Id autem præstare facillimum est; unde vix intelligi potest, quî factum sit, ut in laudandis

dis etiam pervulgatissimis Scripturæ locis, toties Auctor *Nodi* aberrarit.

Hîc observandum est, locos omnes tum Scripturæ, tum Sanctorum Patrum, de quibus postea nobis agendum est, Italico charactere in hoc opere editos esse, ut quilibet legendo non alia quam ipsamet Auctorum verba proferri credat.

Ut autem quid omissum, quid mutatum, quidve additum sit statim appareat, eundem locum primùm ex *Nodo*, charactere Italico, deinde ex ipsomet fonte, hoc est, ex laudato Auctore charactere Romano proferam præfigendo cuique lineæ duplex hoc comma,,: ubi hoc observabitur, ut in citatione ex ipso *Nodo* descripta, ea quæ Auctor addidit aut mutavit, charactere distinguantur romano. In citatione verò, quam est ipsismet Auctoribus subjungam, quæ ab Auctore *Nodi* omissa vel mutata sunt, Italico charactere discernantur. *pag. 6. lin. 20.*

I.

Ut probet Auctor Deum habere voluntatem efficacem salvandi omnes, atque adeo omnib., quantùm est ex se, efficaces & copiosissimas gratias offerre, citat hæc verba ex S. Paulo: *Tanta est voluntas Dei salvandi omnes, ut etiam proprio filio non pepercerit, sed pro omnibus tradiderit illum, & cum illo omnia nobis donaverit.* Eadem Apostoli verba repetit pag. 15. lin. 16. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum.* Rom. 8. v. 32.

ANIMADVERSIO.

Utrobique ſupprimit vocabulum *Nobis*, quod ad rem maximè facit, cum ibi alloquatur Apoſtolus fideles Romanos, eos exhortans ad ſpem & fiduciam in Deo reponendam: quos etiam, pro more ſuo, tanquam ſi eſſent omnes electi, & ſecundùm propoſitum vocati, compellat, ut legenti patet. Unde verba Apoſtoli probant tantùm ſingularem ac ſummum Dei amorem erga eos, qui per fidem & baptiſmum Chriſto conjuncti ſunt. Quod cum Auctori non ſufficeret, vocabulum *Nobis* ſuppreſſit, ut ex auctoritate Pauli Deum efficaciter omnium ac ſingulorum hominum ſalutem velle, eiſque redemptionis fructum, hoc eſt, gratias copioſiſſimas conferre adſtrueret. Ultima quoque verba, quantùm ad conſtructionem, non parum immutavit. En ipſa Apoſtoli verba: „ Quid ergo dicemus „ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis contra „nos? Qui etiam proprio filio *ſuo* non pe„percit, ſed pro *nobis* omnibus tradidit il„lum: *Quomodo non etiam* cum illo omnia „nobis donavit? Rom. 8. v. 31. 32.

I I.

Si unus pro omnibus mortuus eſt Chriſtus ut qui vivunt, non ſibi vivant, ſed illi qui pro omnibus *mortuus* &c. 2. Cor. 5. v. 14. pag. 15. lin. 17.

ANI-

ANIMADVERSIO.

Fædiſſimè truncatus eſt hic locus ,. qui ſic habet apud Paulum : „ Si unus pro o-„mnibus mortuus eſt , *ergo omnes mortui* „*ſunt* , & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, „ut & qui vivunt, *jam* non ſibi vivant, ſed „*ei* qui pro *ipſis* mortuus eſt & reſurrexit. 2. Cor. 5. v. 14. 15.

III.

Sperate *in Deo vivo*, *qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum*, Tim. 6. v. 17.

ANIMADVERSIO.

Mutila & corrupta oratio , ut inde pro- *pag.* 25. betur gratia Chriſti abundè , & copioſiſſimè *lin.* 1. in omnes homines etiam barbaros & infide-les effuſa ; cum Paulus tantùm hoc loco Timotheum doceat quid ſpeciatim divitibus præcipere debeat. Unde hæc ejus verba : „ Qui prę̨ſtat nobis omnia abunde ad fru-„endum „ non tam de gratia Salvatoris, quam de communi Dei providentia & be-neficiis Creatoris accipienda ſunt ; de quo aliàs diſſerens in Areopago ait, quod „ Ipſe „ det omnibus vitam & inſpirationem & o-„mnia. Act. 17. v. 25. id quod ipſe Au-„ctor etiam hic notavit. „ *Divitibus*, inquit „ Apoſtolus , *hujus ſæculi præcipe non ſubli-„me ſapere* , *neque ſperare in incerto divitia-*

„*rum*, *sed* in Deo vivo, qui præstat nobis „omnia abunde ad fruendum.

IV.

pag. 130. lin. 15. *Tum cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt quamplurimæ virtutes, quod non egissent pœnitentiam: væ tibi* Betsaida, *væ tibi* Corosaim, *quia si in Tyro & Sidone* facta fuissent quæ facta sunt in vobis, *olim in cilicio & cinere egissent pænitentiam: veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis. Et tu Capharnaum usque in infernum descendes, quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem: veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi.* Matth. 11. v. 20, 21. 22.

ANIMADVERSIO.

Multa hîc a vulgata editione discrepant: sed præcipuè notanda hęc verba: „Si in „Tyro & Sidone *facta fuissent quæ facta* „sunt in vobis: pro quibus in Evangelio legitur: „si in Tyro & Sidone *factæ essent virtu-* „*tes, quæ factæ sunt in vobis*: „quo significantur externa Christi opera & miracula ab eo patrata. Auctor autem mutando verba, dictum Christi de gratia interiore & auxilio Dei, nos ad fidem & pia opera moventis interpretatur. En ipsa Evangelii verba: „*Tunc* cæpit ex- „probare civitatibus in quibus factæ sunt „*plurimæ* virtutes *ejus*, *quia* non egissent pæni-

„pœnitentiam! væ tibi *Corosaim*, væ tibi „*Bethsaida*, quia si in Tyro & Sidone *factæ* „*essent virtutes*, *quæ factæ sunt* in vobis, o- „lim in cilicio & cinere *pænitentiam egissent.* „Veruntamen dico vobis: Tyro & Sidoni „remissius erit in die judicii, quam vobis. „Et tu Capharnaum *nunquid usque in Cæ-* „*lum exaltaberis?* Usque in infernum de- „scendes; quia si in Sodomis factæ fuissent „virtutes, quæ factæ sunt in te, forte man- „sissent usque in hanc diem. Veruntamen „dico vobis, quia terræ Sodomorum remis- „sius erit in die judicii, quam tibi.

V.

Obsecro primum omnium fieri obsecrationes pro omnibus, ut in omni pietate & honestate vitam geramus; hoc enim bonum & acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri & ad cognitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum Christus Jesus dans semetipsum redemptionem pro omnibus 1. Tim. 2. v. 1. *pag.* 9. *lin.* 19.

ANIMADVERSIO.

Conferantur hæc cum sequentibus vulgatæ editionis verbis, & quam deformata sint statim apparebit. „Obsecro igitur primùm „omnium fieri obsecrationes, *orationes*, *po-* „*stulationes gratiarum actiones* pro omnibus „*hominibus: Pro regibus & omnibus qui in su-*

„*blimitate sunt*, *ut quietam & tranquillam*
„*vitam agamus* in omni pietate & *castitate* :
„Hoc enim bonum *est* & acceptum coram
„Salvatore nostro Deo , qui omnes homi-
„nes vult salvos fieri, & ad *agnitionem* verita-
„tis venire. Unus enim Deus , unus &
„mediator Dei & hominum *homo* Christus
„Jesus , *qui dedit redemptionem semetipsum*
„pro omnibus.

V I.

pag. 2. *lin.* 34. Oseæ 13. v. 9. *Perditio tua* ex te *Israel*, ex *me tantùm auxilium tuum.*

ANIMADVERSIO.

Sic habet Scriptura apud vulgatum Interpretem : „ Perditio tua , Israel : *tantum-* „*modo in* me auxilium tuum.

V I I.

pag. 169. *lin.* 29. Heb. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia remunerator est.*

ANIMADVERSIO.

Sic legitur Heb. 11. v. 6. „ *Credere enim* „*oportet accedentem ad Deum* , quia est , & „*inquirentibus se* remunerator *sit* : „ ubi notanda est particula *enim* quæ verba ista proximè præcedentibus conjungit , his videlicet : „ Sine fide autem impossibile est placere Deo „ Porro hanc fidem Apostolus

Paulò-

Paulò ante definierat „ Sperandarum ſubſtan-„tiam rerum , argumentum non apparen-„tium „ ejuſque exempla ex Abel, Enoch, aliiſque Patriarchis protulerat, quos certum eſt explicitam in Chriſtum venturum fidem habuiſſe ; unde omnino eſt contra mentem Apoſtoli, dicta verba afferre ad probandum quam plurimos, ante Evangelium, ſine explicita in Chriſtum fide, ſalvatos eſſe.

VIII.

Juxta illud Sap. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus.* *pag.* 120. *lin.* 2.

Animadversio.

Hoc Sapiens dixit de Enoch, qui „ pla-„cuit Deo & tranſlatus eſt in paradiſum „ ut habetur Eccl. 44. v. 16. & de quo Gen. 5. v. n. 4. dicitur: „ Ambulavit cum Deo, „ & non apparuit, quia tulit eum Deus. „ Unde verba illa Sapientis rectè in eos quadrant, qui bonis & piis moribus, in adoleſcentia aut juventute è vivis excedunt, vel etiam qui poſt acceptam baptiſmi gratiam, adhuc infantes extinguuntur. Sed novum prorſus atque hactenus apud catholicos inauditum, ut ad infantes ſine baptiſmo decedentes, ac præſertim ſi ſint infidelium filii, ut loquitur Auctor, transferantur. Neque reſponderi poteſt eum hunc Scripturæ

locum quadam ſolum accommodatione ad confirmandam ſententiam ſuam afferre. Id enim, ſanctorum Patrum exemplo, licet in re aliunde certa, & catholicæ doctrinæ principiis omnino conſentanea. At ubi quis novum aliquod dogma profert, quale eſt illud de infantibus ſine baptiſmo decedentibus, quorum ſtatus cæleſti beatorum gloriæ quodam ſaltem modo pręfertur; verba Scripturæ ad id confirmandum contra obvium eorum ſenſum, aptari non poſſunt, niſi ſtatutam a Concilio Tridentino legem violando, qua prohibetur, ne quis in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorqueat, & contra eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, interpretari audeat.

Mitto hanc Auctoris ratiocinationem parum firmam minuſque cohærentem videri. Cum enim omnibus ac ſingulis hominibus efficaciſſimas & copioſiſſimas ad conſequendam ſalutem gratias largiatur, quî fieri poteſt, ut ſummi beneficii loco habeatur pręmatura mors infantis ſine baptiſmo decedentis, qui ſuperſtes, & gratiam baptiſmi conſequi, ſi ex parentibus chriſtianis ortus ſit; vel ſi parentes infideles habeat, accedente ætate, copioſiſſimis illis gratiis adjutus

tus fidem amplecti, & ad ęternam felicitatem pervenire potuisset? Certè qui ejusmodi infantes singulari & maximo Dei beneficio raptos asserit, ne innocentiæ personalis, ut eam vocat Auctor, jacturam facerent, nevc peccatorum actualium periculo subjacerent, videtur ignorare quid sit peccatum originale, & gratiam regenerationis, ac justificationem ex fide Christi partam, ipsamque cælestis regni æternam felicitatem pro nihilo habere.

Denique cum Vincentius Victor ex Donatistarum secta ad Ecclesiam Catholicam conversus, inter alios suos errores Pelagiano dogmati affines, hunc ipsum Sapientię locum de pueris sine baptismo decedentibus intelligeret, sic eum S. Augustinus lib. 3. de anima & ejus origine Cap. 10. redarguit: „Noli credere nec dicere nec docere de „infantibus, qui priusquam renascantur in „Christo, præveniuntur occiduo, scriptum „esse: Raptus est ne malitia mutet illius in„tellectum, aut ne fictio decipiat animam „ejus ...... *si vis esse catholicus*. Hoc e„nim ad illos omnino non pertinet, sed ad „eos potius, qui baptizati & piè viventes diu „non permittuntur hîc vivere, non annis „sed sapientiæ gratiâ consummati. Iste verò „error quo putatur hoc de parvulis, ante„quam baptizentur morientibus, esse dictum„..

„ ctum, ipsi sacrosancto lavacro intolera-„bilem facit injuriam.

Idem repetit lib. 4. cap. 24. ubi inter undecim capita, quæ tanquam doctrinæ Catholicæ contraria in Victore notaverat, illud ipsum refert. „ Illa, *inquit*, præci-„puè undecim cave, de quibus te in libro „superiori commonui : ne animam sic di-„cas ..... aut de his qui prius quam „baptizentur expirant, dictum esse quod „scriptum est. Raptus est ne malitia muta-„ret illius intellectum: quæ quidem etiam confirmantur lib. 2. ejusdem operis cap. 9.

Hos ad specimen locos è scriptura attulimus : complures enim supersunt aliter citati quam in vulgata editione habentur, vel etiam additis, mutatis, aut suppressis pluribus verbis; quod qui comprobare velit, consulat locos hic adscriptos : Matth. 23. v. 31. pag. 22. Sap. 11: v. 25. & 27. pag. 25. Joan. 2. v. 12. pag. 26. 2 Tim. 2. v. 19. pag. 36. Matth. 26. v. 28. pag. 52. Rom. 5. v. 19. pag. 52. Job 24. v. 13. pag. 60. & pag. 93. Rom. 9. v. 11. & seqq. pag. 68. 2 Pet. 3. v. 15. pag. 20. Ezechiel. 18. v. 23. pag. 71. 1 Cor. 3. v. 22. pag. 72. Isai. 5. v. 4. pag. 73. Rom. 10. v. 21. pag. 75. Luc. 10. v. 21. pag. 83. Isai 6. v. 10. pag. 93.

93. Matth. 13. v. 14. & 15. pag. 93. Actor. 28. v. 25. 26. pag. 93. Joan. 3. v. 5. pag. 114. Jacob. 1. v. 5. pag. 1. 2. 4. Ephes. 2. v. 4. & 5. pag. 125. Deut. 30. v. 10. & 11. pag. 125. Matth. 11. v. 29. pag. 126. Sap. 13. v. 5, pag. 149. 1 Cor. 10. v. 13. pag. 161. Job 15. v. 21. pag. 162. Sap. 11. v. 17. pag. 162. 2 Paral. 36. v. 15. pag. 168. Jerem. 51. v. 9. pag. 170. 4 Reg. 21. v. 1. & seqq. Item 2 Paral. 33. v. 12. pag. 176. Jacob. 1. v. 6. & 7. pag. 225. Prov. 1. v. 24. & seqq. pag. 226.

Articulus Secundus.

De præcipuis locis S. Augustini in Nodo malè allatis.

MAjora adhuc & crassiora sunt *Nodi* errata in citandis SS. Patribus, & maximè S. Augustino, ex cujus tamen doctrina Auctor in ipso jam titulo, se difficillimam de prædestinatione quæstionem explicaturum pollicetur. Nam pleraque ab eo allata, aut non extant apud Augustinum, aut aliter aliisque verbis: aut variis ex locis hinc inde sumptis consarcinata sunt, nonnullis etiam verbis vel suppressis vel mutatis, nullâ tan-

tæ varietatis appositâ notâ, aut ex libris ab Augustino ante Episcopatum compositis petuntur, quæ ipsemet postea contra Pelagianos scribens revocavit, aut denique ex aliorum, etiam Semipelagianorum, opusculis falsò illi adscriptis, sumpta esse deprehenduntur. Quædam etiam tum ex Augustino, tum ex aliis Patribus, iisdem quidem auctorum verbis, sed alio plane sensu afferuntur, quod facile legentes agnoscerent, si ea quæ apud ipsos Auctores vel præcedunt vel sequuntur, in *Nodo* omissa non fuissent. Singulorum exempla, prout occurrent, ut supra dictum est, verbis omissis vel mutatis alio charactere expressis, proponemus.

I.

Ex 1. lib. Augustini ad Simplicianum qu. 2. *Et primò intentionem Apostoli, quæ per totam epistolam viget, tenebo, quam consulam; hæc autem est, ut de operarum* merito *nemo glorietur, de quibus audebant Israëlitæ gloriari, quod datæ sibi Legi servissent, & ex hoc Evangelicam gratiam tanquam debitam meritis* percepissent: *unde nolebant eandem gratiam dari gentilibus, tanquam indignis, nisi judaica sacramenta* perciperent; *non enim intelligebant quia hoc ipso quod gratia est, operibus non debetur, alioquin gratia jam non est gratia. Et* ideo *multis locis gratia* præponitur *operibus, non*

pag. 72. *lin.* 24.

ut

ut opera extinguat, sed ut ostendat, non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia: ut scilicet non se quis *arbitretur percepisse gratiam quia bene operatus est, sed benè operari non posse nisi* per gratiam. *Nec enim ut ferveat, calefacit ignis, sed quia fervet: nec ideo bene currit rota, ut rotunda sit, sed quia est rotunda: sic etiam nemo bene operatur, ut accipiat gratiam, sed quia accepit.*

ANIMADVERSIO.

En integrum & sincerum Augustini locum. „ Et primo intentionem Apostoli, „quæ per totam epistolam viget, tenebo, „quam consulam. Hæc *est* autem, ut de o„perum *meritis* nemo glorietur, de quibus „audebant Israëlitæ gloriari, quod datæ sibi „Legi servissent, & ex hoc Evangelicam „gratiam, tanquam debitam meritis *suis per„cepissent, quia legi serviebant*; Unde nole„bant eandem gratiam dari gentilibus, nisi „judaica Sacramenta *susciperent: Quæ orta „quæstio in Apostolorum actibus solvitur.* Non „enim intelligebant, quia *eo* ipso *quo* gratia „est *Evangelica*, operibus non debetur; ali„oquin gratia jam non est gratia. *Et mul„tis locis hoc sæpe testatur, fidei gratiam præpo„nens operibus*, non ut opera extinguat, „sed ut ostendat non esse opera præcedentia „gratiam, sed consequentia, ut scilicet non

se

„ se *quisque* arbitretur *ideò* percepisse gratiam, „ quia bene operatus est, sed bene operari „ non posse, nisi per *fidem perceperit* gra- „ tiam. *Incipit autem homo percipere gratiam „ ex quo incipit Deo credere, vel interna vel ex- „ terna admonitione motus ad fidem.* „ Hucusque Augustinus, qui deinde numero sequenti, post quinquaginta ferme lineas, quas *Nodus*, nullo signo expresso, omittit, hæc habet „ *Vocantis est ergo gratia, percipientis verò gratiam consequenter sunt opera bona, „ non quæ gratiam pariant, sed quæ gratiâ pariantur.* Non enim ut ferveat calefacit „ ignis, sed quia fervet. Nec ideo bene „ currit rota, ut rotunda sit, sed quia rotunda „ est. Sic nemo *propterea* bene operatur, ut „ accipiat gratiam, sed quia accepit.

Facile mihi persuadeo Auctorem *Nodi* nunquam verba Augustini in fonte legisse, sed ex turbidis quorundam recentiorum rivulis hausisse. Certè quisquis primus hunc locum, prout hîc refertur, construxit, non sine fraude ea subtraxit, quæ ostendunt Augustinum omninò alienum esse ab eorum sententia, qui gratias abundantes, & copiosas omnibus infidelibus largiuntur. Ibi enim totus est, ut demonstret ex mente Apostoli, fidem præponendam esse bonis operibus, adeòque nulla opera fidem antecedentia, etiam in Judæis legi servientibus, ex

ex gratia fieri, aut talia esse quæ fidem seu gratiam Evangelicam promereantur; quod & alibi sæpius inculcat, sed præcipuè secunda enarratione in Ps. 31. ubi inter alia n. 4. ait. „ Quod nulla opera debemus præponere „ fidei, ita ut ante fidem quisque dicatur „ bene operatus: Ac deinde addit! Nemo „ ergo computet bona opera sua ante fidem: „ ubi fides non erat, bonum opus non erat. Hæc autem cum doctrinæ Nodi *gratias abundantissimas*, *copiosissimas* & *ex natura sua efficaces* „ omnibus etiam infidelibus largientis, è diametro opponantur, detractis & mutatis pluribus verbis ita compingendus fuit hic locus, ut verus Augustini sensus occultaretur.

II.

Audi Augustinum lib. de perfect. justitiæ ante medium, *Non est grave quod diligendo fit*: nam *perfecta charitas facit præcepti sarcinum* levem, nec *solùm non prementem onere ponderum*, *verùm etiam sublevantem vice pennarum. Anima* ergo *quæ illa gravia sentit, oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facilitatis.* *pag.* 128. lin. 13.

ANIMADVERSIO.

En ipsa verba Augustini: „ Quis autem „ nesciat, cum præceptum sit generale cari- „ tas (quia finis præcepti est caritas, & ple- „ nitudo legis est caritas) non esse grave „ quod diligendo fit, *non timendo? laborant* „ *au-*

„ *autem in Dei præceptis qui ea timendo conan-* „ *tur implere*, *sed* perfecta caritas *foras mittit* „ *timorem* & facit præcepti ſarcinam non ſò- „ lum non prementem onere ponderum, „ verum etiam ſublevantem vice pennarum. „ *Quæ tamen caritas ut habeatur etiam tanta,* „ *quanta in corpore mortis hujus haberi poteſt*, „ *parum eſt voluntatis noſtræ arbitrium*, *niſi* „ *adjuvet gratia Dei per Jeſum Chriſtum Do-* „ *minum noſtrum. Diffunditur quippe in cor-* „ *dibus noſtris*, *quod ſæpe dicendum eſt*, *non per* „ *nos ipſos*, *ſed per Spiritum ſanctum qui datus* „ *eſt nobis. Nec aliam ob cauſam Scriptura* „ *commemorat non eſſe gravia divina præcepta*, „ *niſi ut* anima, quæ illa gravia ſentit, *intel-* „ *ligat ſe nondum accepiſſe vires quibus talia ſint* „ *præcepta Dei*, *qualia commendantur*, *levia ſci-* „ *licet atque ſuavia*, & oret gemitu volunta- „ tis, ut impetret donum facilitatis.

Qui hunc locum Auctori *Nodi* ſuppeditavit, ſic illum, ſuppreſſis pluribus verbis & quibuſdam adjunctis, compoſuit, ut contra apertum Auguſtini ſenſum, gratias quas nonnulli ſufficientes, ipſe verò, ex natura ſua efficaces, appellat, omnibus ad operandum, vel ſaltem ad orandum præſto eſſe comprobaret.

III.

Et (Augustinus) *lib.* 1. *ad Simplic. qu.* 2. *pag.* 73. *lin.* 13. *non igitur odit Deus Esau peccatorem .... odit enim Deus in homine impietatem & in aliis eam punit per damnationem, in aliis adimit per justificationem, quemadmodum ipse judicat esse faciendum judiciis illis inscrutabilibus. Et quod ex numero impiorum, quos non justificat, facit vasa in contumeliam, non in eis odit quod facit, quippe inquantum impii, sunt execrabiles; inquantum autem vasa sunt, ad aliquem usum faciunt, ut per eorum ordinatas pœnas vasa, quæ fiunt in honorem, proficiant. Non itaque odit Deus, nec in quantum homines sunt, nec inquantum vasa sunt, id est, non quod in eis facit creando, nec quod in eis facit ordinando ..... sicut enim judex in homine odit furtum, sed non odit quod datur ad metallum; illud enim fur, hoc judex facit: Ita Deus.*

ANIMADVERSIO.

Hoc loco Auctor, additis punctorum notis, nonnulla omisit, quod illi planè licuit, tametsi non inutiliter illa ipsa quæ omisit, ad pleniorem dictorum intelligentiam attulisset. Certè post ultima hæc verba: *Ita Deus*, non debuit ea quæ de conspersione seu massa impiorum sequuntur, omittere, orationem mancam relinquendo; sed

ſed cur id omiſerit, non eſt difficile conjicere: vidit quippe hæc neutiquam cohærere cum gratiis illis, quantùm eſt ex ſe efficacibus & copioſiſſimis, quas omnibus hominibus etiam obcæcatis & induratis conferri aſſeverat. Aliqua etiam verba de ſuo addidit aut mutavit, quod ex ſequentibus patebit.

„Non igitur odit Deus Eſau hominem, " ſed odit Deus Eſau peccatorem; ſicut dicitur de Domino: in ſua propria venit & " ſui eum non receperunt ..... nam & Chriſtus pro impiis mortuus eſt, non tamen ut " impii permanerent, ſed ut juſtificati ab " impietate converterentur, credentes in " eum qui juſtificat impium. *Odit enim Deus* " *impietatem*. *Itaque* in aliis eam punit per " damnationem in aliis adimit per juſtificationem, quemadmodum ipſe judicat eſſe " faciendum judiciis illis inſcrutabilibus. Et " quod ex numero impiorum, quos non juſtificat, facit vaſa in contumeliam non in " eis odit quod facit, quippe in quantum " impii *ſunt*, execrabiles ſunt: inquantum " autem vaſa *fiunt*, ad aliquem uſum *fiunt*, " ut per eorum ordinatas pœnas, vaſa quæ " fiunt in honorem, proficiant. Non itaque odit Deus, nec inquantum homines " ſunt, nec inquantum vaſa ſunt, id eſt " non quod in eis facit creando, nec quod

in

„ in eis facit ordinando. Nihil enim eorum „ odit quæ fecit : ſed tamen quod vaſa eos „ facit perditionis, ad uſum correctionis ali- „ orum facit. Odit enim in eis impietatem „ quam ipſe non fecit : ſicut enim Judex in „ homine odit furtum, ſed non odit quod „ datur ad metallum : illud enim fur, hoc „ Judex facit : Ita Deus *quod ex conſperſione impiorum facit vaſa perditionis, non odit quod facit, id eſt opus ordinationis ſuæ in pœna debita pereuntium, in qua occaſionem ſalutis illi, quorum miſeretur, inveniant.*

IV.

" Cum Pelagiani objicerent Auguſtino, " docere illum, non eſſe Dei voluntatem " ut omnes ſalventur, ſanctus Doctor " *ex inſtituto & profeſſo* hanc calum- " niam refutans hæc ſcribit *art.* 2. *ad articulos ſibi impoſitos : Cum veritas dicat : ſi vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris,* quomodo *fieri poteſt, ut Deus nolit aliquos ſalvari* qui etiam ſalvari volunt, *niſi aliquæ cauſæ exiſtant, de quibus quamvis ſint nobis incognoſcibiles, ita tamen judicat, de quo dici non poteſt, aliter eum quidquam facere debuiſſe, quam fecerit. Remotâ ergo hac diſcretione, quam divina ſcientia intra ſecretum juſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſſimè credendum eſt atque profitendum, Deum velle omnes ſalvos fieri. Siquidem Apoſtolus, cujus iſta ſententia eſt, ſoli-*

citè præcipit, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur. Ex quibus, quod multi pereant, *pereuntium est meritum : quod multi* salventur *salvantis est donum.* Quod *enim reus damnetur, inculpabilis est Dei justitia, ut autem reus justificetur, ineffabilis Dei gratia est.*

ANIMADVERSIO.

Responsio Augustini ad articulos sibi impositos, ut inscribitur in nonnullis editionibus antiquis, „ *ipse est omnino liber Prosperi refellentis objectiones Vincentianas*,„ inquiunt P. P. Benedictini in Append. tom: 10. p. 2. quod qui nescit, in legendo Augustino rudis & peregrinus sit, necesse est. Unde valdè mirandum Auctorem *Nodi*, tum hìc, tum pag. 31. & pag. 50. hunc librum sub Augustini nomine citare; tametsi alibi, sibi parum constans, eum vero Auctori, hoc est, Prospero tribuat, ut pag. 16. lin. 10. Eò autem graviùs nunc in citando illo peccat, quod contendat hoc loco Augustinum *ex instituto & professo* quæstionem de voluntate Dei circa salutem omnium, tractare, ac de ea mentem suam nusquam melius explicare, quàm in hoc Tractatu, ubi inquit, id „ ex instituto agit, „ & impositas sibi ab Adversariis calumnias „ unicè & ex professo refellit „ pag. 38. lin. 6. ad quem proinde Tractatum cætera ejus scripta, in quibus aliud docere videtur, ex-

pen-

pendi & explicari oporteat ; quod quàm ſit vanum ac futile, aliis expendendum relinquimus. Poſtremò locum tanti apud eum momenti malè adhuc exſcripſit, ſic enim legi debet.

„Cum veritas dicat : ſi vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quî „fieri poteſt, ut Deus *qui etiam illos ſalvat* „*de quibus dici non poteſt quod ſalvari velint*, „niſi aliquæ cauſæ exiſtant, de quibus, „quamvis ſint nobis incognoſcibiles, *ille ta-* „*men bene judicat*, de quo dici non poteſt „aliter eum quidquam facere debuiſſe, „quam fecerit ? Remotâ ergo hac diſcre- „tione . . . . . [ut in *Nodo*] Siquidem A- „poſtolus, cujus iſta ſententia eſt, ſolicitè „præcipit, *quod in omnibus Eccleſiis piiſſimè* „*cuſtoditur*, ut Deo pro omnibus homini- „bus ſupplicetur. Ex quibus quod multi „*pereunt* pereuntium eſt meritum : quod „multi *ſalvantur*, ſalvantis eſt donum. Ut „enim reus damnetur, inculpabilis Dei juſti- „tia *eſt*, ut autem reus juſtificetur, ineffa- „bilis Dei gratia eſt.

V.

Lib de ſpir. & lit. cap. 34. *Conſentire vocationi divinæ, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt, quæ res non ſolùm non infirmat quod dictum eſt, quid habes quod non accepiſti ? Verum etiam confirmat : accipere enim & habere* *pag.* 113. *lin.* 10.

 ani-

anima non potest, nisi consentiendo, ac per hoc quod habet & accipit, *Dei est, accipere autem & habere utique accipientis & habentis est.*

ANIMADVERSIO.

Non debuisset Auctor verba, quę proximè antecedunt omittere, quibus mens Augustini sensui *Nodo* prorsus contraria ostenditur; sed quod pejus est, in paucis his lineis quædam suppressit, quædam etiam mutavit quæ sensum Augustini vel invertunt, vel obscurant. Sic quippe locus apud Augustinum se habet: „ *Profectò & ipsum velle* „ *credere Deus operatur in homine, & in omni-* „ *bus misericordia ejus prævenit nos*: Consen- „ tire *autem* vocationi Dei, vel ab ea dissen- „ tire, *sicut dixi*, propriæ voluntatis est: „ Quæ res non solum non infirmat quod „ dictum est, quid *enim* habes quod non ac- „ cepisti? verum etiam confirmat. Accipe- „ re *quippe* & habere anima non potest „ *dona de quibus hoc audit*, nisi consentiendo: „ & per hoc *quid habeat* & *quid accipiat*, Dei „ est, accipere autem & habere utique acci- „ pientis & habentis est.

VI.

Lib. de corrept & gratia cap. 11. *Quid ergo, Adam non habuit Dei gratiam? Imo verò habuit magnam, sed disparem; ille in bonis*

pag. 124. lin. 11.

erat,

erat, quæ bonitate sui Creatoris acceperat, & in quibus nullum prorsus patiebatur malum; nullâque tali rixâ à se ipso adversus se ipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco, suâ secum pace fruebatur.

ANIMADVERSIO.

Hæc malè exscripta sunt: sic enim leguntur apud Augustinum: " Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem. Ille in bonis erat, quæ *de* bonitate sui Conditoris acceperat: *neque enim ea bona & ille suis meritis comparaverat*, in quibus prorsus nullum patiebatur malum. *Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet* liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum: *Libera nos a malo* [& reliqua in *Nodo* omissa, quæ quindecim lineas implent, quibus subjungitur] Ille verò nullâ tali rixâ *de* seipso adversus se ipsum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco suâ secum pace fruebatur. *Proinde etsi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent isti &c.* [quæ ultima verba idcirco omissa sunt, quia sententiam Auctoris de gratia, quantum est ex se efficaci, in omnes effusa penitus evertunt.]

VII.

pag. 153. lin 30. *Arguens enim superbiam Apostolus, non ait, non habes, sed ait, quid enim habes quod non accepisti? non* arguit *quia ex te esse volebas*, *quod* habebas. *Imò & habere te agnosce, & ex te nihil habere, ut nec superbus sis nec ingratus. Ex S. Augustino in Ps.* 85.

ANIMADVERSIO.

Hæc Auctor, nullâ appositâ notâ, aliis ex Tractatu in Ps. 58. sumptis assuit, mutatis etiam pluribus verbis, & aliis, tum in principio tum in fine omissis, quæ Augustini sensum doctrinæ *Nodi* planè contrarium ostendebant. En integrum Augustini locum: "*Dicat & unusquisque fidelium, sanctus sum. Non* " *est ista superbia elati, sed confessio non ingrati,* " *si enim dixeris te ex te esse sanctum, superbus* " *es.* Arguens enim superbiam Apostolus, " non ait non habes, sed ait, Quid enim " habes quod non accepisti? non *arguebaris* " quia dicebas te habere *quod non habes*, sed " quia *ex te tibi volebas esse quod habes*. Imò " & habere te agnosce; & ex te nihil habe" re, ut nec superbus sis, nec ingratus. *Dic* " *Deo tuo, sanctus sum, quia sanctificasti me;* " *quia accepi, non quia habui; quia tu dedisti,* " *non quia ego merui.*

VIII.

VIII.

„Imo inquit Auguſtinus lib. 1. de Civ. Dei cap. 28. „Optandum tibi potius eſt, ut ſal-„vandorum *amplior* ſit *numerus*, *quam* ut in-„ter paucos *emineas*. p. 111. lin. 28.

ANIMADVERSIO.

Locus hic omninò corruptus eſt, & Auguſtino ſuppoſitus, ſive verba ſive ſenſum ſpectes. Eo capitulo tractat S. Doctor de fœminis Chriſtianis, quæ per vim à barbaris militibus poſt urbem captam violatę fuiſſent, de quibus ait, quod etiam illæ, quæ de ſervata continentia nunquam ſuperbiiſſe ſibi ipſis conſciæ eſſent, non ideò tamen Dei providentiam accuſare deberent, quod eas à barbarorum violentia & libidine non liberaſſet. En ejus verba.

„ Quarum verò corda interrogata reſ-„ pondent, nunquam ſe de bono virginita-„ tis, vel viduitatis, vel conjugalis pudici-„ tiæ ſuperbiiſſe, ſed humilibus conſentien-„ do, de dono Dei cum tremore exultaſſe, „ nec invidiſſe cuiquam paris excellentiam „ ſanctitatis & caſtitatis, ſed humanâ laude „ poſtpoſitâ, quæ tantò major deferri ſolet „ quantò eſt bonum rarius, quod exigit lau-„ dem, *optaſſe potius, ut earum amplior numerus* „ *eſſet, quam ut ipſæ paucitate ampliùs eminerent.*

"Nec iſtæ quæ tales ſunt, ſi earum quoque "aliquam barbarica libido compreſſit, permiſ- "ſum hoc eſſe cauſentur, nec ideò credant "Deum iſta negligere.

IX.

pag. 32. *lin.* 36. Auguſtinus in Pſ. 101. *Sanabit te* Chriſtus, ſed *opus eſt*, *ut ſanari velis. Sanat omninò ille* quidem, *ſed non ſanat invitum. Quid enim* in te *beatius*, *quam ut tanquam in manu tua* vitam, *ſic in voluntate* tua *habeas ſanitatem.*

ANIMADVERSIO.

Hæc neque illo loco, neque iis verbis, nec eo ſenſu quo citantur, habet Auguſtinus; ſed in Pſalmum 102. n. 6. ſic leguntur: „Sa- „nabit te; opus eſt ut ſanari velis. Sanat „omnino ille *quemlibet languidum*, ſed non „ſanat invitum. *Quid autem in te* beatius, „quam ut tanquam in manu tua, *ſic habeas* „*in voluntate* ſanitatem *tuam*? „ nihil verò aliud ibi ſignificat Auguſtinus, quam quod ſtatim ſubjungit his verbis: „Si velles eſſe „in aliquo ſublimi honore in hac terra, „Ducatum, Proconſulatum, Præfecturam ſi „concupiſceres, nunquid continuò poſſes „ut velles? nunquid voluntatem tuam po- „teſtas ſequeretur? „ & adhuc paulò inferiùs: „Hanc ſalutem [inquit] ſi volueris, obti- „nebis, Honores & divitias cum requiſie-

ris,

„ris, non continuò, si volueris, hebebis. Quod & pluribus aliis locis inculcat. Hoc autem nihil omnino facit ad probandam Auctoris sententiam, Deum videlicet efficaciter omnium salutem velle, & singulis gratias, quantùm est ex se efficaces, communicare.

X.

„Idem Aug. lib. 1. de nat. & grat. cap. 17. „cum ei Pelagius objecisset: *Deus potest omnia* „*sanare*, respondet; *Deus utique hoc agit, ut* „*sanet omnia; sed agit judicio suo, nec or-* „*dinem* curandi *accipit ab ægroto.* Non „ergo negat Aug. Deum velle omnibus sa„lutem, imo quoad hoc cum Pelagio con„sentit, sed tantum negat, modum sanan„di ex hominis voluntate pendere. Vult „sanare omnes, sed non eodem modo, nec „hominis arbitrio, sed suo. *pag.* 59. *lin.* 1.

XI.

„Totam hanc doctrinam ipse Aug. pau„cis quidem sed clarissimis verbis insinuat „lib. 1. de nat. & grat. cap. 17. *Hoc utique* „*agit Deus ut sanet omnia, sed agit judicio suo,* „*nec ordinem accipit ab ægroto.* Ecce con„cedit Aug. velle Deum omnes salvos esse, „sed non eodem ordine. *Item pag.* 68. *lin.* 6.

ANIMADVERSIO.

Agnoſcimus verba Auguſtini, non ex capite 17. ſed 27. libri de natura & gratia excerpta; quanquam ea non ſine aliqua mutatione, Auctor referat. Priori enim loco pro *ſanandi*, ut habet Auguſtinus, *curandi*, ponit: poſteriori verò utrumque vocabulum *ſanandi* vel *curandi* ſupprimit. Sed longè adhuc graviùs peccat, hæc verba alieno prorſus ſenſu explicans, quaſi Auguſtinus hîc doceat, Deum velle omnes homines ſalvos eſſe, eiſque gratias ex natura ſua efficaces & abundantiſſimas conferre. Nam eo loco Auguſtinus nequaquam cum Pelagio de voluntate Dei circa ſalutem omnium hominum tractat; ſed de modo, quo in unoquoque fideli ac juſto peccata ſanat, hominesque jam juſtificatos ad perfectam ſanitatem, hoc eſt, ad perfectam vitam, juſtitiamque perducit, ut ipſe ibidem loquitur cap. 26. Cujus curationis exemplum profert in Apoſtolo Paulo, quem cum vellet Deus firmiſſimum efficere, ei tamen dixit, *virtus in infirmitate perficitur:* Neque ei toties oranti aufert neſcio quem ſtimulum carnis, quem ſibi dicit datum, ne magnitudine revelationum extolleretur. Itaque malè omnino Auctor peccatis ſeu vitiis hominum, ipſos homines ſubſtituit, & cum

Augu-

Auguſtinus dicat, hoc agere Deum ut ſanet omnia, id eſt vulnera animæ ſeu peccata, ipſe ſupponit eum docere, quod Deus velit *omnes* ſanare, *omnes* ſalvos eſſe.

XII.

Auguſtini in Pſal. 63. verba profert, ad probandum Deum ita ſalutem omnium ac ſingulorum velle, ut eis gratias ex natura ſua efficaces abundantiſſimè conferat, aquæ pluviæ quodammodo ſimiles, quæ cum ſit ex ſe dulcis, pro qualitate agri, in quem influit, vel frumentum vel ſpinas gignit. *Quod pluit*, inquit, *in agrum uberem, dulce eſt, & quod pluit in agrum ſpinoſum . . . . . Profers frumentum? horreum ſpera. Profers ſpinas? ignem time. Sed nondum venit aut tempus horrei, aut* tempus *ignis. Nunquid conſilii corrigendi & mutandæ vitæ malæ in bonam non eſt tempus. . . .* *pag. 32. lin. 24.*

Animadversio.

Primò poſt hæc verba: *aut tempus ignis*, hæc quæ ſequuntur, nullo omiſſionis appoſito ſigno, ſuppreſſit: *Modò ergo paretur, & non timebitur: In nomine Chriſti, & qui loquimur, vivimus, & quibus loquimur, vivitis.* Secundò ex iis quæ præcedunt, & quæ ſequuntur apud Auguſtinum, totâque orationis ſerie liquet, eum non loqui de gratia

sive actuali, sive habituali & sanctificante, ut supponit *Nodus*, sed de verbo Dei, quod per Prædicatores & Ecclesiæ Pastores omnibus promiscuè annunciatur.

XIII.

pag. 14. lin. 7. „Idemque Augustinus in expositione quarundam propositionum ex epistola ad Romanos Cap. 60. scribit. *Quid ergo elegit Deus? si enim nullo merito, non est electio: æquales enim sunt omnes ante meritum, nec potest in rebus* omnibus *æqualibus electio nominari.*

Animadversio.

Hic ipse est locus quem Massilienses objiciebant Augustino, ut patet ex epistola Hilarii ad eundem Augustinum n. 3. Quibus respondet Augustinus lib. de prædestin. Sanctorum Cap. 3. se revera tunc cum expositionem illam quarundam propositionum ex Epistola ad Romanos scripsit, in eo errore fuisse ut crederet initium fidei esse à nobis: „Quem meum errorem [inquit] nonnulla „mea opuscula satis indicant ante Episcopatum meum scripta, in quibus est illud „quod commemorastis in literis vestris, ubi „est expositio quarundam propositionum ex „epistola quæ est ad Romanos. « Deinde refert quid ad retractandum hunc ipsum locum

cum dixerit lib. 1. retractat cap. 23. n. 3. En quo delectu Auctor noſter locos Auguſtini afferat, ad ſolvendum ex ejus auctoritate prædeſtinationis *nodum*, eos videlicet quos ipſemet Auguſtinus revocavit, & retractavit. Hîc etiam pro *omnibus*, legendum, *omninò.*

XIV.

S. Aug. lib. 1. ad Simplicianum. *Unde* *pag.* 14.
igitur iſta electio, vel qualis electio, ſi non- *lin.* 11.
dum natis, nondumque aliquid operatis, nulla q. 2.
ſunt momenta meritorum? & infra: *nemo eligitur niſi jam diſtans ab illo, qui rejicitur, unde quod dictum eſt: elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem: non video quomodo ſit dictum, niſi ex præſcientia. S. Aug.*

Animadversio.

Hæc Auguſtinus ſcripſit dubitando potius & diſceptando, quàm definiendo, cum nondum ex prædicto errore circa initium fidei emerſiſſet. Id enim demùm contigit cum hos ad Simplicianum libros jam Epiſcopus elaboraret, ut ipſe teſtatur lib. 2. retractat. cap 1. ubi loquens de ſecunda quæſtione, quę in priori libro agitatur, ſic habet: „ In cujus quæſtionis ſolutione laboratum eſt quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, ſed vicit Dei gratia, nec niſi ad il-

"illud potuit perveniri, ut liquidissimâ veri-"tate dixisse intelligatur Apostolus. Quis "enim discernit? „ En iterum allata Augustini verba, tanquam in hoc argumento decretoria, quæ ad illud tempus spectant, cum adhuc se in explicando electionis seu prædestinationis divinæ mysterio, errasse agnoscit.

XV.

pag. 58. lin. 26. „ Aug. de spirit. & lit. cap. 13. ita loqui- „ tur: *Vult* quidem *Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non tamen eis* adimendo *liberum arbitrium, quo bene vel malè utentes justissimè judicentur; quod cum fit, infideles contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus evangelio non credunt.*

ANIMADVERSIO.

En verba Augustini loco citato n. 58. "Vult *autem* Deus omnes homines salvos "fieri, & in agnitionem veritatis venire, "non *sic* tamen, ut eis *adimat* liberum ar-"bitrium, quo benè vel malè utentes justissi-"mè judicentur. Quod cum fit, infideles "*quidem* contra voluntatem Dei faciunt, "cum ejus evangelio non credant, nec ideo "tamen eam vincunt &c.

Idem locus cum aliqua mutatione, ac suppressis his verbis; *& in agnitionem veritatis venire*, refertur pag. 17. lin. 6.

Obser-

Observandum autem his verbis Augustini, non tam solvi quæstionem ibidem ab eo propositam, quam disceptari. Hæc autem quæstio erat: si voluntas, qua credimus, etiam ipsa Dei donum sit, quare hęc non omnibus detur, cum omnes homines Deus velit salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire? Quam quæstionem agitare sic incipit n. 58. „ Prius igitur illud dicamus & videamus, utrum huic sufficiat quæstioni, quod liberum arbitrium naturaliter adtributum a Creatore animæ rationali, illa media vis est &c. „ quibus postmodum subdit: „ Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis adimat &c. „ Sicque pergit disputando usque ad num. 60. ubi ait. „ Hæc disputatio si quæstioni illi solvendæ sufficit, sufficiat „ ac deinde alio modo quæstionem solvit. Itaque Auctor *Nodi* objectionem ipsam, seu potius objectionis disceptationem, pro ipsa quæstionis solutione, ac vera Augustini sententiâ lectoribus obtrudit.

XVI.

„ Sed audiamus disertissimum de hac re „ Augustini testimonium: sic enim Tract. 53. „ in Joannem ratiocinatur. *Excæcavit oculos* *pag. 94. lin. 22.*

eorum

eorum & induravit cor eorum. Hic dicitur nobis; si non potuerunt credere, quod peccatum est hominis non facientis quod non potest facere? ..... Audistis, fratres mei, propositam quæstionem, nempe quam profunda sit cernitis, sed respondemus, ut possumus. Quare non poterant credere, si à me quæratur, citò respondeo quia nolebant, malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit ille, cui abscondi futura non possunt. Sed aliam causam, inquis, dicit Propheta, quia induravit cor eorum. Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo: sic enim excæcat, sic obdurat Deus, deserendo, & non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. Quid ergo dicemus! Nunquid iniquitas est apud Deum? absit: si ergo absit, sive quando adjuvat, misericorditer facit, sive quando non adjuvat justè facit, quia omnia non temeritate sed judicio facit. Porrò si judicia sanctorum justa sunt; quantò magis sanctificantis, & justificantis Dei? Justa ergo sunt, sed occulta. Ideò cum quæstiones hujusmodi &c. [aliqua hic omitto quia fideliter extracta sunt] *Altius est hoc incrementis meis & fortius viribus meis, puto quia & vestris. Ipse enim Dominus Jesus suis illis magnis & præcipuè electis discipulis dicebat, multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Ambulandum est, proficiendum est, crescendum est &c.* [rursum aliqua omitto, quæ

quæ fideliter referuntur] *Rursus ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum. In utroque ergo illius beneficia cognoscamus: nam agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas, ut* filii Dei fiamus, *& orandum ne succumbat infirmitas: Sic* ergo *dictum est, non poterant credere, ubi intelligendum est, quod nolebant, quemadmodum dictum est de Domino Deo nostro, negare se ipsum non potest. Sicut ergo quod Dominus negare se ipsum non potest, laus est voluntatis divinæ, ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanæ. Hinc & illi non poterant credere, non quia mutari in melius non possunt, sed quandiu talia sapiunt, non possunt credere: Hinc excæcantur & indurantur, quia negando divinum adjutorium, non adjuvantur. An forte & hoc de supernæ medicinæ misericordia factum intelligendum est, ut quoniam superbæ & perversæ voluntatis erant & suam justitiam constituere volebant, ad hoc desererentur, ut excæcarentur; ad hoc excæcarentur, ut impleretur facies eorum ignominiâ, atque ita humiliati quærerent* gloriam Domini & non suam.

ANIMADVERSIO.

Sic locus ille apud Augustinum legitur: „ Excæcavit oculos eorum &c. [ut supra in *Nodo*, usque ad hæc verba *respondemus*

ut possumus, post quæ sic pergit Augustinus] " *non poterant credere, quia hoc Isaias " Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum prædixit.* Quare *autem* non poterant, si à me " quæratur, citò respondeo, quia nolebant. " Malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit " ille, cui abscondi futura non possunt. Sed " aliam causam, inquis, dicit Propheta, " *non voluntatis eorum. Quam causam dicit " Propheta? Quia dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures " ut non audiant, & excæcavit oculos eorum &* " induravit cor eorum. Etiam hoc voluntatem eorum meruisse respondeo: sic enim " excæcat, sic obdurat Deus, deserendo & " non adjuvando, quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. *Hoc omnino pietas religiosorum inconcussum debet, " inviolatumque servare, sicut Apostolus, cum " eandem ipsam tractaret difficillimam quæstionem,* " Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas est " apud Deum? absit: si ergo absit *ut sit " iniquitas apud Deum*, sive quando adjuvat, " misericorditer facit, sive quando non adjuvat, justè facit, quia omnia non temeritate sed judicio facit &c. [ut supra in *Nodo* usque ad hæc verba, *puto quia & vestris*, quibus subjungit Augustinus]: *simul " ergo audiamus ad monentem Scripturam!* [plures

res è scriptura locos proferens, ac postea sic prosequens] "*non enim ipse Dominus Je-*"*sus Christus* suis illis magnis & præcipuè "electis discipulis *invidebat*, *quando* dicebat, "multa habeo vobis dicere, sed non potes-"tis portare modò &c. [ut in Nodo usque ad hæc verba; *excusare peccatum*, post quæ sequitur apud Augustinum] *sed* "*audiamus Dominum & præcipientem & opitu-*"*lantem & jubentem quid facere debeamus, &* "*adjuvantem ut implere possimus &c.* [quæ facilè duodecim lineas implent, quibus subjungit:] *Audiamus & Evangelistam dicen-*"*tem, dedit eis potestatem filios Dei fieri, ne om-*"*nino existimemus in nostra potestate non esse* "*quod credimus:* veruntamen in utroque il-"lius beneficia cognoscamus. Nam & a-"gendæ sunt gratiæ quia data est potestas, "& orandum ne succumbat infirmitas" [& reliqua in Nodo omissa, quę in Augustino decem circiter lineas implent, quibus addit] "sic *autem* dictum est non poterant &c. [ut supra in Nodo usque ad hæc verba: *culpa est voluntatis humanæ*, & reliqua omissa in Nodo quę apud Augustinum quindecim lineis constant: quibus deinde adjungit:] " Hinc & illi non poterant credere &c. " [ut in Nodo usque ad hæc verba: *non adjuvantur*, quibus multa alia in Nodo omissa, quindecim circiter lineis subjicit
cit

cit Augustinus, ac deinde prosequitur] " An forte & hoc de supernæ medicinæ mise-"ricordia factum intelligendum est, ut quo-" niam superbæ & perversæ voluntatis erant; " & suam justitiam constituere volebant, " ad hoc desererentur, ut excæ-arentur, & " ad hoc excæcarentur ut *offenderent in lapi-" des offensionis*, & impleretur fa-ies eorum ig-" nominiâ, atque ita humiliati quærerent *no-" men*, Domini, & non suam *quâ inflatur su-" perbus, sed justitiam Dei, qua justificatur impius.*

Operæ pretium existimavi hunc locum etsi paulò longiorem referre, ut pateat, quid quantumque sibi in truncandis & mutandis Augustini verbis, licere putaverit Auctor *Nodi*, vel ejus Amanuensis, nullâ prorsus notâ lectores de ejusmodi omissionibus ac mutationibus admonendo. Quamvis autem ex his aliqua librarii vel typographi errata esse possint, pleraque tamen ac longè præcipua ipsimet Auctori, sine ullô dubio, adscribenda sunt; quod & de aliis locis jam relatis & infra referendis, dictum velim.

XVII.

pag. 97. *lin.* 3. Auctor prolixum locum exscribit ex Augustini sermone88.de tempore,vel "potius; [in-" quit] ut notant in ultima Augustini editione " Patres Benedictini Parisienses, ex Cœsario

" rio Arelatensi " ubi obiter observandum, ei hanc celeberrimam & accurratissimam Patrum Benedictinorum editionem minimè ignotam fuisse. Hunc autem locum, qui integram paginam cum dimidia implet, non aliter quam proximè relatum ex Tract. 53. in Joannem, omissis passim pluribus lineis, multisque verbis mutatis, nullâ appositâ notâ, pro suo libitu, concinnavit, quod quilibet, factâ collatione, statim agnoscet: quem quidem locum, brevitatis causa, hîc describendum non putavi.

XVIII.

Multa etiam hîc ab Auctore *Nodi* citantur ex sermone 22. de verbis Apost. quæ non ibi sed sermone 20. de verbis Apost. editionis antiquæ, in editione autem Patrum Benedictinorum sermone 22. habentur; sed planè alio modo, aliisque verbis quàm hîc citantur. Siquidem quinque locis, nullâ appositâ notâ, Auctor *Nodi* integros paragraphos aut plures lineas omisit, multa autem verba passim vel addidit vel mutavit. *pag.* 64. *lin.* 26.

XIX.

Idem dicendum de duobus prolixis locis, quos pag. 208. ex Tract. 26. in Joannem, & ex serm. 17. de verbis Apost. cap. 3. excribit, in quibus nullo apposito signo, multa passim omittuntur, nonnulla etiam mutantur aut adduntur, ut legenti, & conferenti statim patebit. *pag* 208. *lin.* 5. & 28.

ARTI-

ARTICULUS TERTIUS.

De aliis locis ex Augustino malè aut parum fideliter citatis.

XXI.

pag. 57. lin. 25. S. August. de nat. & grat. cap. 67. *Quiescant* ingrati *& adversus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & libidinis hominum nemo victor existeret. Cum verò ubique sit præsens &c.*

ANIMADVERSIO.

Vocabulum *ingrati* Auctor de suo addididit, & quidem perperam & præter mentem ac sensum Augustini. Si quidem hæc verba ipse Augustinus repetit lib. 3. de lib. arb. cap. 19. ut respondeat Pelagio, qui alia quædam verba, ex eodem libro sumpta, obiiciebat. Unde statim initio hujus capitis 67. ait: "Agnosco, verba mea sunt: „sed etiam ipse [Pelagius] dignetur agnosce„re superius cuncta quę dicta sunt:" id est in eodem libro de lib. arb. cap. 19. & 18. ac deinde addit: "Hinc jam hominibus, „ de ipsius ignorantiæ, difficultatisque in pro-

„lem

"lem primi hominis trajectis vitiis, atque "transfusis, velut justam querelam deponen-"tibus, ita responsum est [scilicet lib. 3. de lib. arb. cap. 19.] Quibus breviter in-"quam, respondetur, ut quiescant, & ad-"versus Deum murmurare desistant &c. Hinc patet non rectè citari hęc verba ex libro de natura & gratia, & malè eis additum vocabulum *ingrati*, cum lib. 3. de lib. arb., unde propriè sumpta sunt, non agat Augustinus contra Pelagianos, sed contra Manichæos, qui homines fato quodam, & necessitate naturali ad malum impelli docebant.

XXII.

„Aug. lib. de grat. & lib. arb. cap. 6. *Bona sua coronat Deus, non merita tua*, nam *si merita* tua sunt, *mala sunt. Quæ* verò mala *sunt, non coronat Deus. Quod si bona sunt, Dei dona sunt.* pag. 78. lin. 26.

AMIMADVERSIO.

Aliter omnino hæc leguntur loco citato; his nimirum verbis, n. 15. „Prorsus talia „cogitanti verissimè dicitur, Dona sua co-„ronat Deus, non merita tua, *si tibi à te „ipso, non ab illo sunt merita tua.* Hæc e-„nim *si talia sunt*, mala sunt, quæ non co-„ronat Deus; si autem bona sunt, Dei „dona sunt.

XXIII.

XXIII.

pag. 61. lin. 22. Lib. de Spir. & lit. c. 34. *Cui ista non sufficiunt quærat alium me doctiorem, sed caveat ne inveniat præsumptiorem.*

Animadversio.

Sic autem illo loco habet Augustinus: „Cui responsio ista displicet, quærat doctio„res, sed caveat ne inveniat præsumptores.

XXIV.

pag. 108. lin. 16. S. August. lib. de perseverant. cap. 2. & cap. 22. *De ipso cursu vestro bono rectoque condiscite, vos ad prædestinationem divinæ gratiæ pertinere. Vos ipsam obediendi perseverantiam a Patre Luminum, a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum,* semper *debetis & quotidianis orationibus poscere, atque* hæc *faciendo confidere, non vos esse a prædestinatione populi ejus alienos*, qui *etiam hoc ut faciatis ipse largitur.*

Animadversio.

Hæc verba: „ De ipso cursu vestro bono „ rectoque condiscite vos ad prædestinatio„ nem divinæ gratiæ pertinere „ neque capite 2. neque c. 22. libri, non de perseverantia; sed de dono perseverantiæ reperiuntur. Quæ autem sequuntur sic se habent cap. 22. num. 62.

62. „ Vos *itaque etiam* ipſam obediendi per-
„ ſeverantiam a Patre Luminum, a quo o-
„ mne datum optimum & omne donum
„ perfectum, *ſperare* debetis, & quotidianis
„ orationibus poſcere, atque *hoc* faciendò
„ confidere non vos eſſe a prædeſtinatione
„ populi ejus alienos, *quia* etiam hoc ut fa-
„ ciatis ipſe largitur.

XXV.

Multa verba exſcribit ex libro de præde- pag.
ſtinatione & gratia, quem tribuit Auguſtino, 136.
tametſi conſtet alium habere Auctorem, & lin.
quidem de Pelagianiſmo ſuſpectum. „ Au- 17.
„ guſtinus, inquit, lib. de prædeſt. & gratia cap.
15. *quærens* . . . . . verba Auguſtini ſunt,
An forte ſi piè de Deo . . . . . reſpondetur Dei præſcientiam non cogere hominem ut talis ſit, qualem præſcivit Deus, ſed præſcire talem futurum, qualis futurus eſt; quamvis eum non ſic fecerit Deus. Exiſtere nihilominus fortaſſe aliquem reor . . . . Unde Nabuchodonoſor ergo *pœnitentiam meruit fructuoſam.* . . .

Animadversio.

Primò locum illum citat ex cap. 15. quamvis verſus finem capitis decimi quarti incipiat. Deinde poſt hæc verba: *ſic fecerit Deus*, ſupprimit ſequentia: „ Quem ſi co-
„ geret eſſe, hoc utique cogeret quod non

„ est. Porro si hoc præscierat futurum esse „ quod non est, præscientia non est: quod „ de Deo quam impiè dicatur, advertit quisque qui peccatis suis inde blanditur, quod „ Deus eum peccatorem futurum esse præscierit. „ Postremò post hæc verba: *unde Nabuchodonosor*, addit particulam *ergo*, quæ ibidem non extat.

XXVI.

pag. 16. lin. 32. *Judicabit orbem* terræ *in æquitate & populos in veritate sua. Quæ est æquitas & veritas? Congregabit secum electos ad* judicium; *cæteros autem separabit ab invicem. Positurus enim est alios ad dexteram, alios ad sinistram. Non* ergo *partem judicabit, quia non partem emit: totum judicare habet, quia pro toto* sanguinem *dedit.*

ANIMADVERSIO.

Hęc inverso ordine, additis etiam ac mutatis quibusdam verb[illegible], Auctor retulit. Nam apud Augustinum hæc verba: *Judicabit orbem terrarum in æquitate, non partem, quia non partem emit: Totum judicare habet, quia pro toto pretium* dedit, initio numeri 15. habentur, quibus deinde post interjectas quindecim lineas hæc subjunguntur. „ Judicabit orbem *terrarum* in æquitate & populos „ in veritate sua. Quę est æquitas & veritas?

„tas? Congregabit fecum electos *fuos ad* „*judicandum*, cæteros autem feparabit a „invicem: pofiturus eft enim alios ad dex- „teram, alios ad finiftram. Quid autem „æquius, quid verius quam ut non expe- ctent mifericordiam &c.

XXVII.

Aug. Serm. 4. de S. Stephano ita loqui- tur: *Jubet Deus & dicit, diligite inimicos ve- ftros, orate pro perfequentibus & calumnianti- bus vos. Attendite ipfum Dominum qui hoc juf- fit, quod fecit. Nonne pendens in cruce ait: pater ignofce illis? quando ergo in cruce pen- dens orabat, videbat & prævidebat omnes inimi- cos, fed multos ex illis futuros amicos: ideo o- mnibus veniam poftulabat. Illi fæviebant, ille orabat, illi dicebant Pilato, crucifige; ille verò clamabat Patri, ignofce: pendebat & tamen pe- tebat.*

pag. 50. lin. 4.

ANIMADVERSIO.

Multa hîc omiffa aut mutata funt. Sic enim leguntur in ifto fermone, quem Pa- tres Benedictini in Appendice inter dubios repofuerunt. „Jubet enim nobis [Domi- „nus] & dicit, diligite inimicos veftros, bene „facite his qui oderunt vos, & orate pro per- „fequentibus & calumniantibus vos. Au- „difti opus, expecta mercedem: ut fitis

 in-

„inquit, filii Patris vestri qui in Cælis est, „qui solem suum facit oriri &c. Attende „ipsum Dominum qui hoc jussit quod fecerit. Nonne post tanta quæ in ipsum com„miserunt impii judęi, qui retribuebant ei „mala pro bonis, pendens in cruce ait, Pater „ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. „Oravit in homine qui exaudivit cum Patre [& sequentia quæ omisit Auctor *Nodi*] „quando ergo pendens in cruce orabat, vi„debat & prævidebat omnes inimicos, sed „multos ex illis futuros amicos *prævidebat*; „& ideo omnibus veniam postulabat. Illi „sęviebant & ille orabat. Illi dicebant Pi„lato crucifige, ille clamabat *Pater* ignosce. „*In asperis clavis pendebat*, *sed lenitatem* „*non omittebat.* Illis jam petebat veniam, „a quibus tantam accipiebat injuriam.

XXVIII.

pag. 31. *lin.* 31. „August. de peccator. mer. Cap. 17. *Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat gratiâ Dei est, qua ut homines non adjuventur, in ipsis causa est, non in Deo.*

ANIMADVERSIO.

Omisit verba sequentia quę sententiam complent, quod ipsius doctrinæ non parum adversentur: „Sive damnandi prædestinati sint

„ ſint propter iniquitatem ſuperbiæ, ſive con-
„ tra ipſam ſuam ſuperbiam judicandi &
„ erudiendi, ſi filii ſint miſericordiæ.

XXIX.

Lib. 1. de prædeſt. Sanctorum. *Sed incerta eſt mihi, inquis, de me ipſo voluntas Dei. Quid ergo? tuane tibi voluntas de te ipſo certa eſt, nec times? Cum igitur utraque incerta ſit &c.* pag. 236. lin. 7.

ANIMADVERSIO.

Poſt hæc verba, *nec times*, omiſſa ſunt iſta: „ Qui videtur ſtare, videat ne cadat.

XXX.

Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, videant unius corporis pulchritudinem, quâ viſâ unus eorum ad illicitè perfruendum moveatur, alter in voluntate pudicâ ſtabilis perſeveret, quid putamus eſſe cauſæ ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala. Neque enim pulchritudo illa corporis &c. pag. 135. lin. 31.

ANIMADVERSIO.

Poſt verba, *voluntas mala*, omiſſa ſunt ſequentia: „ Quæ illam rem fecit in quo facta eſt?

ARTICULUS QUARTUS.

Loci ex S. Prospero aliisque SS. Patribus malè citati.

XXXI.

Qui ergo *dicit quod Deus non vult omnes*
pag. 16. *homines salvos fieri, sed certum numerum præ-*
lin. 13. *destinatorum,* is *duriùs loquitur, quàm loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, qui omnes* homines *vult salvos fieri, atque ad agnitionem veritatis venire S. Prosper in respons. ad object. Gallorum sent.* 8.

ANIMADVERSIO,

Hęc verba ex S. Prospero, quem Auctor Regiensem Episcopum appellat, tametsi omnes hodie eruditi eum nunquam Episcopum fuisse conveniant, parum fideliter referuntur. Nam præter alias mutationes, cum sequentia in Prospero verba, quę ad explicandum ejus sensum non parum conducebant, supprimere vellet, quod doctrinæ suæ contraria essent, omisit particulam & in his verbis, "qui & omnes vult," ponendo solùm, *qui omnes.* Sic autem habet locus apud Prosperum : " Qui dicit, quod *non omnes* " *homines velit Deus* salvos fieri, sed certum " numerum prædestinatorum ; durius loquitur quàm

"quàm loquendum eſt de altitudine inſcru-"tabilis gratiæ Dei, qui & omnes vult ſal-"vos fieri, atque *in* agnitionem *venire veri*-"*tatis* [& *voluntatis* ſuæ propoſitum in eis "implet, quos præſcitos prædeſtinavit, præ-"deſtinatos vocavit, vocatos juſtificavit, ju-"ſtificatos glorificavit, nihil amittens de "plenitudine gentium & de omni ſemine "Iſraël, cui præparatum eſt in Chriſto reg-"num æternum ante conſtitutionem mun-"di.]

XXXII.

Exierunt ex nobis, ſed non fuerunt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum, inquit, Voluntate exierunt, voluntate ceciderunt, & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reverſuri & in ſanctitate ac veritate manſuri. S. *Proſper. in. Reſponſ.* 12. *ad objectiones Vincentianas.* pag. 24. lin. 2.

Animadversio.

Hunc locum, omiſſis quæ precedunt & quæ ſequuntur, decurtatum profert, ut ex eo conſequentiam à doctrina & ſenſu S. Proſperi omnino alienam inferat, Deum videlicet omnibus ad ſalutem promptum eſſe, & gratiam ad opus offerre, ſed peccatores ſalutem recuſare, & mortem ante vitam e-

ligere. Sic autem habet S. Prosper. "Prædestinatio Dei etsi apud nos dum in præsentis vitæ periculis versamur, incerta sit, apud illum tamen qui fecit quæ futura sunt, incommutabilis permanet, nec quæ illuminavit, obcæcat, nec quę ędificavit destruit, nec quæ plantavit, evellit: sine pœnitentia enim sunt dona Dei ..... nullo igitur modo prędestinatio Dei facit, ut aliqui ex filiis Dei filii sint Diaboli .... [id objiciebat Vincentius] sed potius prædestinatio facit, ut ex filiis Diaboli fiant filii Dei ..... quia ipse alligat fortem & vasa ejus rapit ..... Hi autem de quibus dicitur: exierunt ex nobis &c. [ut in *Nodo*] Ac per hoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini est causa labendi.

XXXIII.

pag. 41. lin. 6. *Frustra dicitur quod ratio operandi non habet in electis, cum ad hoc operentur, ut electi sint.* S. Prosper. lib. 2. de vocat, gent. cap. 35.

Animadversio.

Pro *non habet in electis*, ponendum *non sit electis*, vel *non sit in electis* ut legitur in variis ejus libri editionibus. Hæc autem verba: *cum ad hoc operentur, ut electi sint*, ex-

extant quidem in multis editionibus: at non debuit Auctor ignorare, in editione operum S. Leonis a clarissimo viro Paschasio Quesnellio adornata, sic correctum esse hunc locum: *cum etiam ad hoc ut operentur electi sint*, quam esse veram lectionem & disputationis series, & tota libri doctrina persuadet. Eam autem exhibet Codex M. S. Thuan. optimæ notæ a Quesnellio laudatus, & confirmant tres Codices MSS. Vaticani.

XXXIV.

S. Prosper. lib. 2. de vocat. gent. cap. 19. & 29. *In extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit, quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur . . , . . ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato lumine veritatis.* *pag.* 153. *lin.* 19.

Animadversio.

Malè omnino, omissis pluribus verbis, hic locus affertur, ut probetur dari omnibus gratias quantùm est ex se efficaces, quæ sint infidelibus ac barbaris communes, quisquis enim duos de vocatione gentium libros legerit, statim advertet, generale auxilium, de quo in illis agitur, esse quodammodo ordinis naturalis, nec pertinere pro-

priè ad gratiam Redemptoris, de qua hic quæstio est, & sine qua Auctor librorum de vocatione Gentium fatetur auxilium illud generale, ob vulnus humano generi per peccatum originale inflictum, suo effectu frustrari, ut hoc ipso loco notatur, quod studiosè suppressit Auctor *Nodi*. En locus integer antiqui & elegantis scriptoris, quem non esse Prosperum multa suadent.

" Quod si forte, quemadmodum quasdam " gentes non olim in consortium filiorum Dei " novimus adoptatas, ita etiam nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit, *non ambigimus etiam circa illas, occulto judicio Dei, tempus vocationis esse dispositum, quo Evangelium, quod non audierunt audient atque suscipient*. Quibus tamen mensura " illa generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est prębita, non negatur: *quamvis tam* acerbo natura humana vulnere sauciata sit, ut ad cognitionem " Dei neminem contemplatio spontanea plenè valeat erudire, nisi obumbrationem " cordis vera lux discusserit. lib. 2. de vocat. " gent. cap. 17.,

Ultima autem verba: *ut neque ulli &c*, in *Nodo* allata, ex capite 29. avulsa, supra citatis ex cap. 17. adjunguntur: quę quidem ab iis

quæ

prçcedunt & quæ sequuntur, seperari non debebant. Sic enim eo loco leguntur: „ Universitati quippe hominum, quod abun„de probavimus, ita multiplex atque ineffa„bilis bonitas Dei consuluit semper & con„sulit, ut neque ulli pereuntium excusatio „suppetat de abnegato sibi lumine veritatis; „neque cuiquam sit liberum de sua justitia „gloriari, cum & illos propria nequitia de„mergat ad pœnam, & istos Dei gratia per„ducat ad gloriam.

XXXV.

Paulus Orosius in Apologetico pag. 453. *Mea semper est hæc fidelis & indubitata sententia . . . . sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis & singulis ministrare. Ex quo evidentissime declaratum est, nemini hominum deesse adjutorium Dei, præsertim cum & seductor assistat, & insit infirmitas.* pag. 154. lin. . . . .

ANIMADVERSIO.

Post hæc verba, *& cunctis & singulis ministrare*, Auctor nullâ notâ admonendo lectorem, omittit quasi integram paginam, ubi Orosius duplex Dei adjutorium distinguit, alterum generale & omnibus cujuscumque generis hominibus commune, quod prçcipuè in beneficiis naturalis ordinis positum

est, de quibus ait Dominus, *qui facit solem oriri super bonos & malos &c.* alterum verò speciale, & quod Ecclesiæ, & Corpori Christi, seu Fidelibus peculiare appellat; hoc est donum fidei aliasque gratias ordinis supernaturalis. His autem omissis, consequentia quæ deinde his verbis affertur: "Ex quo evidentissimè declaratum est &c. videtur esse captiosa & fraudulenta. Pro *seductor assistat* legitur, apud Orosium, *seductor insistat.*

XXXVI.

pag. 12. lin. 26. S. Leo serm. 11. de passione. *Pro omnibus impiis mortuo Domino, etiam Judas in eo potuisset consequi remedium, si non festinasset ad laqueum.*

ANIMADVERSIO.

Sic habet S. Leo: " nam *mortuo* pro
" omnibus impiis Domino, *potuisset* etiam
" *forte hic* (Judas) consequi remedium, si
" non festinasset ad laqueum.

XXXVII.

" Imò S. Hieronimus tradit neminem eo-
" rum, qui diluvio absorpti sunt, damna-
pag. 188. " tum esse, probatque ex literâ hebraicâ:
lin. 12. " Exponens enim ea verba; *non permanebit spiritus meus, sic loquitur: In hebræo scriptum*

est, non judicabit spiritus meus homines istos in æternum, quoniam caro sunt; hoc est quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos servabo cruciatus, sed illis restituam, quod merentur. Ergo non severitatem, ut in nostris codicibus legitur, sed indulgentiam Dei sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur.

ANIMADVERSIO.

Nequaquam his verbis docet Hieronymus neminem eorum qui diluvio absorpti sunt, damnatum esse, sed solùm ad clementiam Dei pertinere quod peccatores interdum in hac vita temporalibus pœnis afficiantur, neque æternis cruciatibus, sine ulla misericordia plectendi, reserventur. Tantùm autem abest, ut omnes qui diluvio perierunt, ab æterna damnatione eximat, ut potiùs eodem loco significet, eos, quia pœnitentiam agere contempserunt, citius, quàm denuntiatum fuerat, aquis diluvii submersos fuisse. Integrum Hieronymi locum ex Quæstionibus & Traditionibus hebraicis in Genesim referam, in quo etiam aliqua verba ab Auctore omissa vel mutata sunt.

" Et dixit Dominus Deus: non permanebit spiritus meus in hominibus &c. in
" Hebræo scriptum est: non judicabit spi-
" ritus meus homines istos in *sempiternum*,

"quoniam caro sunt, hoc est quia fragilis "est in homine conditio, non eos ad æternos servabo cruciatus, sed *hic* illis restituam quod merentur. Ergo non severitatem, ut in nostris codicibus legitur, sed "*clementiam* Dei sonat, dum peccator hic "pro suo scelere visitatur: Unde & iratus "Deus loquitur ad quosdam: non visitabo "filias eorum, cum fornicatæ fuerint .... "& in alio loco: visitabo in virga iniquitates eorum & in flagellis peccata eorum .... "Porro ne videretur in eo esse crudelis; "quod peccantibus locum pęnitentiæ non "dedisset, adjecit; sed erunt dies eorum centum vinginti anni, hoc est habebunt 120. annos ad agendam pænitententiam. Non igitur hominum vita, ut "multi errant, in 120. annos contracta "est .... Quia vero pænitentiam agere "contempserunt, noluit Deus tempus expectare decretum, sed viginti annorum "spaciis computatis, induxit diluvium anno centesimo agendæ pænitentiæ destinato.

ARTICULUS QUINTUS.

De locis ex S. Thoma allatis.

XXXVIII.

Angelicus Doctor lib. 3. contra gentes cap. 259. *Considerandum est quod licet aliquis per motum libri arbitrii divinam gratiam nec promereri nec* advocare *possit, potest tamen se ipsum impedire, ne illam recipiat. Dicitur enim de quibusdam Job 21. Recede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus, & Job 24. ipsi rebelles fuerunt lumini. Et cum hoc sit in potestate liberi arbitrii, impedire receptionem gratiæ non immerito ei imputatur, qui impedimentum* ponit. *Deus enim quantùm ex se est, paratus est omnibus gratiam dare: vult enim omnes salvos fieri: sed illi soli gratiâ privantur, qui in se ipsis impedimentum gratiæ* posuerunt: *sicut sole mundum illuminante, in culpam im*putaretur *ei qui oculos* clauderet, *licet videre non posset nisi lumine solis* præventus. *pag. 43. lin. 8.*

ANIMADVERSIO.

Liber 3. S. Thomæ contra Gentiles habet solùm capita 163. unde librarii vel typographi errore caput 259. pro capite 159. positum putamus. At ipsa Angelici Doctoris verba passim mutata esse, non solius librarii.

„pedimentum gratiæ præſtare. „ Quæ quidem verba verum Angelici Doctoris ſenſum explicant, videlicet in poteſtate eſſe liberi arbitrii impedimentum receptioni gratiæ non ponere, ſi conſideretur abſolutè, abſtrahendo ab omni anteriori culpa, vel in ſtatu naturæ integræ ſeu innocentis, prout Adamo a Deo collatum fuit; non autem ſi conſideretur poſt admiſſa jam peccata, & in ſtatu naturæ lapſæ, prout viribus attenuatum, eſt ad malum inclinatum.

XXXIX.

S. Thom. epiſt. ad Hebræos cap. 12. lect. 3. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri & ideo gratia nulli deeſt, ſed omnibus, quantùm in ſe eſt, ſe communicat.* pag. 154. lin. 22.

Animadversio.

Ut verborum iſtorum ſenſus intelligeretur, addendum erat S. Thomam ibidem ſtatim ſibi objicere, quod ſi gratia detur iis omnibus qui non ponunt obſtaculum, ſequeretur ex ſolo libero arbitrio dependere ut quis habeat gratiam, non verò ex electione Dei, quod eſt, inquit, error Pelagii: cui objectioni reſpondens „ Dicendum eſt, „ inquit, quod hoc ipſum quod aliquis non „ponit obſtaculum, ex gratia procedit. Ac „ deinde ſic concludit. Quod ergo à quibuſdam

„dam removetur illud obstaculum, hoc est
„ex misericordia Dei; quod autem non re-
„movetur, hoc est, ex justitia ejus.

XL.

pag. 154. lin. 29. In cap. 6. Joannis *Cor humanum ex se ad inferiora tendens, non potest sursum elevari, nisi tractum. Si vero non elevatur, non est defectus ex parte trahentis, qui quantum est in se, nulli deficit, sed est propter impedimentum ejus qui non trahitur. Deus enim omnibus ad trahendum manum porrigit, quantum in se est; & quod plus est, non solum attrahit manum recipientis, sed etiam aversos* ad se *convertit. Ex quo ergo Deus paratus est dare omnibus gratiam & ad se* attrahere, *non imputatur ei, si aliquis non accipiat, sed ei qui non accipit.*

ANIMADVERSIO.

Hic multa omittuntur, quæ ad intelligendum Angelici Doctoris sensum, a doctrina *Nodi* omnino alienum necessaria erant; & quidem nullâ omissionis notâ appositâ, immo additis aut mutatis particulis, ne locus mutilatus appareat. Id patet ex integro loco hîc adjuncto.

„Sicut grave per naturam non potest per
„se sursum ferri, nisi trahatur ab alio, ita
„cor humanum ex se ad inferiora tendens,
„non potest sursum elevari, nisi tractum.
Si

„Si verò non elevatur, non *erit* defectus „ex parte trahentis, qui quantùm in se est, „nulli deficit, sed est propter impedimen- „tum ejus qui non trahitur. *Aliter autem*, „*quantùm ad hæc pertinet, possumus loqui de* „*hominibus in statu naturæ integræ, & aliter* „*in statu naturæ corruptæ. Nam in natura* „*integra non erat aliquod impedimentum prohi-* „*bens ab hoc tractione: Unde tunc omnes ho-* „*mines hujus tractionis poterant esse participes.* „*Sed in natura corrupta, omnes per impedimen-* „*tum peccati æqualiter prohibentur ab hac trac-* „*tione, & ideò omnes indigent trahi.* Deus „*autem* omnibus ad trahendum manum por- „rigit, quantùm in se est, & quod plus „est, non solùm attrahit manum recipientis, „sed etiam aversos à se convertit, *secundùm* „*illud Thren. converte nos Domine & conver-* „*temur* . . . . . Ex quo ergo Deus paratus „est dare omnibus gratiam, & ad se *trahere*, „non imputatur ei si aliquis non accipiat, „sed ei qui non accipit. *Quare autem non* „*omnes aversos trahit, sed aliquos*, licet sint „omnes æqualiter aversi, ratio quidem in „generali potest assignari, ut scilicet in illis „qui non trahuntur appareat & refulgeat „ordo divinæ justitiæ: in illis autem qui „trahuntur, immensitas Divinæ misericor- „diæ. Quare autem in speciali trahat hunc „& illum non trahat, non est ratio aliqua

nisi

„ nisi beneplacitum voluntatis divinæ. Unde dicit Aug. Quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare si non vis errare.

Observandum autem partem hujusce loci adhuc afferri in *Nodo* pag. 43. lin. 20. omissis pariter quæ ad sensum Divi Thomæ intelligendum necessaria erant, & cum additione vocabulorum *per gratiam*, hoc modo: „Sicut grave per naturam non potest sursum ferri, nisi trahatur ab alio, ita cor humanum ex se ad inferiora tendens, non potest sursum elevari, nisi tractum *per gratiam*.

XLI.

pag. 154. lin. pen. Qu. 14. de veritate art. 11. ad 1. *Si aliquis nutritus in sylvis, vel inter bruta animalia, ductum rationis sequeretur in appetitu boni & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus, vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.*

ANI-

ANIMADVERSIO.

Mancus est locus iste; cum ea quæ præcedunt, omittantur, ubi sanctus Doctor ait, ad divinam providentiam pertinere, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem; *dummodò ex parte ejus non impediatur.* Impeditur autem semper ab iis qui peccato originali obnoxii à Deo aversi sunt, & ad malum inclinati, ut modò ex eodem S. Thoma vidimus. Unde ille in sylvis vel inter bruta animalia nutritus, de quo hic sermo, non sine speciali Dei auxilio juxta eundem S. Doctorem, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali: quo posito, certissimè tenendum ait, quod Deus vel per internam inspirationem vel per aliquem fidei prædicatorem ea illi revelaret, quæ post publicationem Evangelii explicitè credenda sunt, ad salutem obtinendam, qua de re in hoc Articulo XI tractat, cujus titulus est: *utrum sit necessarium aliquid explicitè credere.* En integrum locum Doctoris Angelici.

" Ad primum ergo dicendum quod non
" sequitur inconveniens, posito quod quili-
" libet teneatur aliquid explicitè credere, si
" in silvis vel inter bruta animalia nutria-
" tur. Hoc enim ad divinam providentiam
" pertinet ut cuilibet provideat de necessa-
" riis

"riis ad salutem, dummodò ex parte ejus "non impeditur. Si *enim* aliquis *taliter* nu-"tritus ductum naturalis rationis sequere-"tur in appetitu boni, & fuga mali, cer-"tissimè est tenendum, quod ei Deus vel "per internam inspirationem revelaret ea "quæ sunt ad credendum necessaria, vel "aliquem fidei prædicatorem ad eum di-"rigeret, sicut misit Petrum ad Corne-"lium.

XLII.

"Hanc quoque æqualitatem auxiliorum ag-"novit S. Thomas in cap. 8. ad Rom. Lec. 3. ubi sic habet: *Hæc vocatio est efficax in prædestinatis quia ejusmodi vocationi assentiunt.* "Disparitas ergo non semper ex gratia, sed "ex voluntate est.

pag. 137. lin. 17.

ANIMADVERSIO

Hæc quidem apud S. Thomam, non lectione 3. sed 6. in cap. 8. Epistolæ ad Rom. habentur, verùm alio prorsus sensu, quam hîc referuntur. Paulò ante in hæc verba Apostoli: *nam quos præscivit & prædestinavit*, docet sanctus Doctor prædestinationem electorum non fieri ex prævisione meritorum, " Quia [inquit] sub prædestinatione "cadit omne beneficium salutare, quod est "homini ab æterno divinitus præparatum; unde

" unde eâdem ratione omnia beneficia quæ
" nobis confert ex tempore, præparavit no-
" bis ab æterno. Unde ponere quod ali-
" quod meritum, ex parte nostra præsup-
" ponatur, cujus præscientia sit ratio præ-
" destinationis, nihil est aliud quàm gra-
" tiam ponere dari ex meritis nostris, &
" quod principium bonorum operum est ex
" nobis, & consummatio est ex Deo.

Deinde verò in hæc verba Pauli : *quos autem prædestinavit, hos & vocavit*, pergit explicare quo ordine prædestinatio, quæ suo effectu privari non potest, in electis impleatur. " Primùm (inquit) in quo incipit " prædestinatio impleri, est vocatio hominis, " quæ quidem est duplex, una exterior quæ " fit ore prædicatoris . . . . . alia verò voca- " tio est interior, quæ nihil aliud est quam " quidam mentis instinctus, quo cor homi- " nis movetur à Deo ad assentiendum his " quę sunt fidei & virtutis . . . . Et hæc " vocatio necessaria est, quia cor nostrum " non se ad Deum converteret, nisi ipse " Deus nos ad se traheret. Joan. 6. Nemo " potest venire ad me, nisi Pater qui misit " me traxerit eum. Thren. 5. Converte nos " Domine ad te, & convertemur. *Et e- " tiam* hæc vocatio est efficax in prædestina- " tis, quia hujusmodi vocationi assentiunt; " Joan. 6. Omnis qui audivit à Patre meo

tioni assentiunt , vocationis efficaciam seu certissimum ejus effectum indicat, ac si clariùs diceret: *quia nunquam contingit*, ut *hujusmodi vocationi voluntas hominis non assentiat.*

Hactenus locos ex Augustino aliisque SS. Patribus in *Nodo* malè citatos exhibuimus, quibus non dubitamus alios adjici posse, si quis omnes in eo allatos sigillatim examinare vellet. Nos certè aliquos, quod levius in eis, ac forte solâ librarii vel typographi culpâ erratum sit, consultò omisimus.

ARTICULUS SEXTUS.

De aliis vitiis quæ in Nodo occurrunt.

AUctor 2. Parte §. primo, cujus titulus est : „Probatur ex sacris literis sanctisque Patribus noluisse Deum mysterium prædestinationis ab hominibus explorari ; „ primo loco citat testimonium ex libro 4. Esdræ, addens infra ad extremam partem marginis hanc notam : „Quamvis non constet Esdræ librum quartum esse canonicum, citatur tamen ab Ambrosio tanquam „canonicus lib. de bono mortis & lib. 7. „in Lucam, & epist. 71. ad Horontianum: „& Genebrardus pro canonico habet in „Chronologia c. 90. „ An post decretum

Concilii Tridentini de ſcripturis canonicis Seſſ. 4. Auctori licuerit ſic quartum librum Eſdræ citare, aliis judicandum relinquimus.

Multos libros Auctor, ſive negligentiâ, ſive critices inopiâ, ſub alienis nominibus laudat, prout in quibuſdam editionibus antiquis, ac pene jam obſoletis reperiebantur.

Jam ſupra vidimus ab eo pag. 31. lin. 12. pag. 37. lin. 3. & pag. 50. lin. 17. citari ſub nomine Auguſtini Reſponſum ad articulos ſibi falsò impoſitos, qui liber eſt Proſperi, inter ejus opera inſcriptus, *Reſponſio ad objectiones Vincentianas.*

Pag. 136. lin. 9. tribuit Auguſtino librum de prædeſtinatione & gratia, quem jamdudum Doctores Lovanienſes in recenſendis ejus operibus ab eo abjudicaverunt, & quem Bellarminus, Petavius aliique ſuſpecti eſſe Auctoris affirmant.

Pag. 118. lin. pen. eidem Auguſtino tribuit librum de fide ad Petrum, quem conſtat eſſe S. Fulgentii.

Pag. 110. lin. ult. citat ſub nomine Auguſtini librum de Eccleſiaſticis Dogmatibus, quem omnes norunt eſſe Auctoris Semipelagiani, nempe Gennadii Maſſilienſis Preſbiteri.

Pag. 35. lin. 5. verba ex lib. 6. Hypog-

pognosticon profert sub nomine Augustini, & quamvis agnoscat ab eruditis dubitari an libri illi sint Augustini, eos tamen illi asserere conatur, certè eorum doctrinam tanquam Augustinianæ consentaneam commendat. At ex editione Patrum Benedictinorum scire potuit, jam ab octingentis annis libros illos tanquam Augustino indignos a Remigio Lugdunensi Archiepiscopo, libro de tribus capitulis cap. 35. & Prudentio Episcopo Tricassino lib. de prædestin. cap. 14. rejectos fuisse. Imò idem Remigius libro de tenenda scripturæ veritate cap. 9. ad auctoritatem libri hypomnestici, seu hypognostici respondens, sic habet, "Manifestissimè prædicti Doctoris [Augustini] sensibus, imo catholicæ sinceritati "probatur adversus, nec ipso stylo ullatenus "cum ejus eloquio consonat.

Pag. 92. lin. 16. librum 84. quæstionum citat, cum nemo qui Augustini opera vel à limine salutarit, ignoret hunc librum vocari & esse 83. quæstionum.

Pag. 15. lin. 12. & pag. 58. lin. 3. citat librum primum S. Augustini de prædestin. Sanctorum; quasi inter ejus opera plures libri de prædestin. Sanctorum haberentur. Olim quidem, ut observant PP. Benedictini, uterque liber, quo sanctus Doctor epistolis Prosperi & Hilarii respondit, de *prædestinatione*

tione sanctorum inscribebatur, sed jamdiu est cum in omnibus editionibus secundus non de *prædestinatione* SS. *sed de dono perseverantiæ* titulum habet.

Pag. 57. lin. 5. & alibi librum Augustini *de dono perseverantiæ* non sine aliqua affectatione vocat librum *de bono perseverantiæ.* Quamvis enim, ut notant iidem PP. Benedictini, in antiquis codicibus, & in libris Remigii Lugdunensis, & aliorum Scriptorum noni sæculi cum hac inscriptione citetur; tamen jamdudum usus obtinuit, ut in omnibus libris editis titulum habeat: *de dono perseverantiæ.*

FINIS.

V.

RESPONSIO
Pro Doctrina
S. AUGUSTINI
Ad Librum ſub nomine
Eminentissimi D. Cardinalis
SFONDRATI
Editum, cui titulus:
Nodus Prædeſtinationis ex Sacris literis, doctrinaque S. S. Auguſtini & Thomæ, quantùm homini licet, diſſolutus.

PRÆFATIO.

EA eſt quorundam vana gloria, ut ſicut Auguſtinum Julianus, ita viros illuſtres impugnare ambiant, magis deſiderantes de certamine nominari, quam ſuperari formidantes: quibus pugnaſſe, palma eſt, nec pro veritatis, ſed pro vanitatis

ſuę certant victoriâ. Hoc tam inſanum propoſitum a me abeſſe confido, dum libro Eminentiſſimi Viri Cardinalis Sfondrati purpurâ & famâ illuſtris reſpondere compellit veritatis patrocinium: nam multò amplius equidem mallem *Nodum* illum *diſſolutum* a decem Caſuiſtis fuiſſe editum, quam ab uno Cardinali Sfondrato; quin etiam mallem Scriptum illud nunquam prodiiſſe, quam urgeri ad reſpondendum, quod mihi non magis jucundum eſt, quam textori intricata fila, & male nentium nodos diſſolvere.

Solicitè tamen monet Aug. tract. 43. in Joan. 11. 15. „ Arrogantia non ita caveatur, ut veritas relinquatur: „ quod hic maximè locum neceſſe eſt habeat, ubi tum ex *Nodo* prædeſtinationis non rectè *diſſoluto*, tum ex diſcipulorum S. Auguſtini ſilentio prorſus timenda ſunt diſcrimina, quę Proſper Auguſtino epiſ. 225. n. 7. exponit verbis ſequentibus: „ Ad authoritatem talia ſentientium non ſumus pares, quia multùm nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper ſummo ſacerdotii honore ſupereminent: nec facile quiſquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, tantò ſuperiorum diſputationibus auſus eſt contraire. Ex quo non ſolùm his qui eos audiunt, verum etiam

"tiam ipsis qui audiuntur cum dignitatibus
"crevit periculum, dum & multos reve-
"rentia eorum aut inutili cohibet silentio.
"aut incurioso ducit assensu, & saluberri-
"mum ipsis videtur, quod penè nullius con-
"tradictione reprehenditur.

Itaque, præterquam quod Christiano nihil carius esse debeat divinâ gratiâ, qua Christi populus sumus, quæ Christo tanti fuit, ut eam suo sanguine emerit, qua nos redemit, cujus sana doctrina, fidei, spei, & charitatis, humilitatis & Religionis, totiusque vitæ Christianæ fundamentum est, tres aliæ insuper rationes prædicto libro respondere compellunt. Ac primò quia clamant Calvinistæ Ecclesiam Romanam Pelagianam, & Semipelagianam esse: atque ideo imprimis se meritò ex ea egressos clamat *Jurieu* in libro: *L'esprit de Mr. Arnauld. Malgré les Jansenistes l'Eglise Romaine s'est declarée Pelagienne. Frendentibus*, inquit, *Jansenistis Ecclesia Romana, se declaravit Pelagianam.* Clamat recentissimè de Ecclesia Romana Leydekkerus, in sua Jansenismi Historia in præfat. ad lectorem: „Dei ju-
„dicio ruit, ruetque in pejus consilio do-
„minantium Jesuitarum, qui Pelagianismi
„errores audaci animo renovarunt, nec e-
„nim aliàs Romana Religio adversus Pro-
„testantes defendi poterat. Et infra lib. 1.

c. 11. „Sic oſtenſa palam Romanæ Eccle-„ſiæ lethalis corruptio, ac Pelagianiſmus nu-„tritus & toleratus eſt in ejus ſinu. Reclamant S. Auguſtini diſcipuli, & Romanam Eccleſiam a Pelagianiſmi & Semipelagianiſmi calumniis vindicant; & ecce prodit interea cum magnis elogiis & approbationibus liber S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Sfondrati, palam edicens pag. 27. „Fixum „ergo ratumque ſit nihil aliud ex ſententia „Auguſtini gratiam effectricem eſſe, quam „cognitionem congruam: Additque plura ſimilia, ut mox exhibebitur. Quid poterat Eccleſiæ Romanæ Hoſtibus accidere opportunius & magis acceptum? quid triſtius Romanæ Eccleſiæ defenſoribus? Atque ideo filialis in matrem amor ſilere vetat.

Secunda non tacendi ratio eſt, quod Acatholici invidioſè admodum Pontifici & Eccleſiæ Romanæ adſcribant laxas in Moralibus multorum Caſuiſtarum opiniones; ita ut propter has nuper ſanctiſſimum Pontificem depinxerint infami tabulâ, quæ Romæ nota fuit, tanquam dæmonum fæcibus ſues paſcentem, in libro cui titulus *Laeſte Duyvels drek.* hoc eſt, *Poſtremæ dæmonum fæces.* Quis autem non miretur & doleat etiam Cardinalem Sfondratum ex opinionibus illis tradere ſequentem pag. 161. „Sicut ergo „nullum peccatum eſt non contra rationem,

ita

„ita nullum non contra conſcientiam, quæ „nihil aliud eſt quam ratio practica, dictans „in particulari, quid non liceat, liceatque. Hoc eſt quod in appendice ad Triplicem hæreſim denuntiatum fuit in hac propoſitione: „Nec malè quis agere poteſt eo ipſo, quo „agit ex conſcientiæ ſuæ dictamine: „atque ita Eminentis Sfondratus renovat principium illud: „Nemo peccat ſine advertentia „malitiæ, „ex quo ſequitur evidenter, non dari peccata ignorantiæ, quod in Cæleſtio, & Abailardo damnatum fuit. Ex eodem principio ſequi neceſſariò Philoſophiſmum, & hunc ſine illo principio ſincerè abnegari non poſſe, & principium illud de requiſita ad peccandum advertentiâ malitiæ, ſequi ex gratia Moliniſticè ſufficienti, clariſſimè demonſtravit celebris Doctor Antonius Arnaldus in quinque ſuis Philoſophiſmi denuntiationibus.

Tertia & poſtrema reſpondendi ratio eſt, quod Sanctiſſimus Pontifex Innocentius duodecimus, quem Deus Eccleſiæ ſuæ diu ſervet incolumem, nupero ſuo Brevi ad Facultatem Lovanienſem, hortetur eam more majorum, ut profiteatur doctrinam præclariſſimorum Doctorum Auguſtini & Thomæ: „Quorum ille, *inquit*, tantâ ſcientiâ fuit, „ut inter magiſtros optimos etiam à noſtris „prædeceſſoribus haberetur, & cujus doctri-

,,nam, secundùm eorumdem Prædecessorum ,,Statuta, Romana sequitur ac servat Eccle- ,,sia &c. Cardinalis autem Sfondratus non solùm docet contraria manifestè, ut ostendetur, Augustino, verum etiam inclementi censurâ sæpius eum perstringit, ut patet ex capite quarto inferius.

Propter has ac plures alias rationes nemo, ut opinor, vel Sfondrati amantissimus succensere jure poterit, si *Nodum* ejus eâ reverentiâ & libertate excipimus, qua doctrinam S. Cypriani Augustinus lib. 2. contra Cresconium cap. 32. ,, Literas Cypriani, ,, *inquit*, non ut canonicas habeo, sed eas ,, ex canonicis considero, & quod in eis di- ,, vinarum scripturarum authoritati congruit, ,, cum laude ejus accipio, quod autem non ,, congruit, cum pace ejus respuo .... eâ li- ,, bertate ad quam nos vocavit Dominus, ,, ejus Viri, cujus laudem assequi non ,, valeo, cujus multis literis mea scripta ,, non comparo, cujus ingenium diligo, ,, cujus ore delector, cujus charitatem mi- ,, ror, cujus Martyrium veneror, hoc quod ,, aliter sapuit, non accipio .... Quapropter ,, ita hoc Cypriani non accipio, quamvis ,, inferior incomparabiliter Cypriano, sicut ,, illud Ap. Petri, quod gentes Judaizare ,, cogebat, nec accipio, nec facio, quamvis ,, inferior incomparabiliter Petro.

Dem-

Denique ut magis pateat, quam non ſiniſtro in Authorem affectu, ſed ſincero in Veritatem amore ad hanc reſponſionem aggrediar, viſum eſt opiniones ejus, & titubationes ut mitiſſimè loquar, verbis authoris exſcribere & paucis argumentis refellere.

Caput I.

Variæ Propositiones ex libro cui titulus, *Nodus Prædestinationis dissolutus*, cum responsionibus ad easdem.

De peccato Originali & Causa Parvulorum.

I.

„ ADamo infeliciter peccante, tota quo-
„ que posteritas, quippe ex patre rebel-
„ li nata, omni jure ad cæleste regnum spo-
„ liata est *quod peccatum originale vocamus*. pag.
„ 48. lin. 8.

Responsio.

Spoliari vel indignum esse jure ad cœleste regnum, non est peccatum originale sed illius pœna; quia, uti ait Bellarminus lib. 5. de amissione gratiæ cap19.: „ indignitas non „ est mors animæ nec iniquitas, nec mali-„ tia nec fœditas, sed relatio consequens „ ista omnia. At peccatum originis juxta „ Scripturas & Concilia mors est animæ, ini-„ quitas, malitia, fœditas : & ideo necesse

„ ha-

" habent homines propter hoc peccatum re-
" nafci, juftificari, purgari &c.

Auguftinus peccatum originale clarè dif-tinxit à fpoliatione juris ad cœlefte regnum lib. 1. de peccatorum meritis cap. 3. " Num-" quam explicant ifti, quâ juftitiâ nullum " peccatum habens imago Dei, feparetur à " regno Dei . . . , . . unde imago Dei non " intrat in regnum Dei, nifi impedimento " prohibente peccati.

Ergo præfata propofitio repugnat tum Scripturis ad Rom. 5. v. 12. & 19. quæ propriè peccatum effe cenfent originale, quod omnes verè peccatores conftituat: tum Tridentino Seff. 5: quod dicit anathema illi, qui dixerit " Adamum mortem & " pænas corporis (idem eft de fpoliatione juris ad cœlefte regnum) " tantùm in om-" ne genus humanum transfudiffe, non au-" tem & peccatum quod mors eft animæ: tùm dènique Araufícano 2. can. 2. " Si quis " foli Adæ prævaricationem fuam, non & " ejus propagini afferit nocuiffe, aut certè " mortem tantùm corporis (quæ pœna pec-" cati eft) non autem & peccatum quod " mors eft animæ, per unum hominem in " omne genus humanum tranfiiffe teftatur, " injuftitiam Deo dabit, contradicens Apo-" ftolo dicenti: „ *Per unum hominem peccatum intrat in mundum & per pecca-*

tum

tum mors & ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt.

II.

" Aliud est perire, aliud beatum non esse: parvuli qui sine baptismo decedunt, beati quidem non sunt, nec tamen pereunt. pag. 114. lin. 18.

RESPONSIO.

Dixit Christus Luc. 19. v. 10. "Venit enim filius hominis quærere & salvum facere quod perierat: „ atqui venit quæsitum & salvatum parvulos; ergo perierant. „ Qui dixit (ait Aug. ser. 174.) infantilem ætatem non habere quod salvet Jesus, omnibus fidelibus infantibus Christum negat esse Jesum . . . . . quare cum illo curris ad medicum, si non habet vitium? non times ne dicat tibi, aufer hinc eum, quem putas esse sanum? Filius hominis non venit nisi quærere & salvare, quod perierat, quare illum ad me affers, si non perierat? quare novis disputationibus antiquam fidei regulam frangere conaris? Siquidem juxta Trid. Sess. 5. & 6. cap. 1. Parvuli secundùm animam mortui erant, facti immundi & ut Apost. ait *naturâ filii iræ*, servi erant peccati, & sub potestate Diaboli ac mortis: ergo perierant.

Nam

„Nam ovis centesima, inquit Bellar-
„minus lib. 4. de amissione gratiæ cap. 7.
„quæ aberravit à grege; & dragma perdi-
„ta Luc. 15. omnium consensu naturam
„humanam universam significabant.

Ibidem insuper cap. 2. „Convenit Zwin-
„glius cum Lutheranis, diffidet à Catho-
„licis: nos enim, ut paulò post docebimus,
„præter concupiscentiam agnoscimus in ho-
„mine, ex Adami semine propagato, justitiæ
„privationem, & habitualem quandam ab
„ipso Deo aversionem. nec non reatum
„quemdam & maculam, quę ipsum homi-
„nem verè ac propriè peccatorem efficiunt,
„& exitio sempiterno addicunt, nisi Chri-
„sti sanguine redimatur.

"Sequeretur deinde, (addit ibidem lib. 6.
"cap. 2.) parvulos debere baptizari ut ad-
"optionem divinam adepti admittantur ad
"regnum cœlorum, non autem, quia pe-
"riculum sit ne damnentur & pereant, nihil
"enim eis adest mali præter carentiam visi-
"onis Dei, & nihil eisdem boni deest nisi
"visio Dei, hoc est possessio regni cœlestis.
"Atqui hęc est ipsa hæresis pelagiana. Nam
"ut S. Aug. testatur lib. 1. de origine animæ
"cap. 9. non timebant Pelagiani parvulis
"damnationem, si non baptizarentur, sed
"à regno exclusionem. Ubi per damnati-
"onem non intelligit Aug. exclusionem à
reg-

"regno, sed aliquid aliud: nam si exclusio "esset damnatio, qui exclusionem timebant "non baptizatis, damnationem quoque eis-"dem pariter timuissent. Quare idem Aug. "lib. de hæres. cap. 88. scribit parvulos se-"cundùm hæresim Pelagii (& hæc ipsa est "doctrina *Nodi dissoluti*) baptismo indige-"re ut regeneratione adoptati admittantur "ad regnum Dei, & non ut pereant, sed "ut de bono transferantur ad melius.

Hinc quoque Auctor lib. 1. de vocatione gentium cap. 32.: „Non autem puto istos (alii justos) „voluntatum patronos simplici-„citate illorum tam impudenter usuros, ut „aut fortuitò ista dicant accidere, aut non „renatos asserant non perire.

III.

„Deus parvulos cœlo exclusit ob pecca-„tum non proprium, sed paternum pag. 118. „lin. penult.

IV.

„Licet culpâ propriâ careant, non tamen „carent alienâ & paternâ pag. 118. lin. 20.

RESPONSIO.

Scili. si juxta primam propositionem, peccatum originale in Adæ posteris nihil est aliud, quam pro peccato parentum, jure ad cœleste reg-num spoliari, sequitur parvulos non habere pec-

peccatum proprium. Sed id repugnat tum Apoſtolo ad Rom. 5. in quo omnes pecca„verant: „ tum Tridentino, quod Seſſ. 5. de peccato originali definit: „Ineſt unicui„que proprium, quod mors *eſt* animæ.

V.

„Quamvis enim damnari nemo poſſit pa„ternâ culpâ (ſcilicet originali) pag. 114. lin. 21.

RESPONSIO.

Contra fulminat S. Gelaſius Papa in epiſtola ad Epiſcopos per Picenum, contra Senecam delirum ſenem Pelagianum: „ De „ parvulis autem quod aſſerit ſine baptiſma„te pro ſolo originali peccato non poſſe „damnari, ſatis impia, ſatis profana pro„poſitio eſt.

Nempe repugnat Apoſtolo ad Rom. 5. „Judicium quidem ex uno in condemnatio„nem . , . . . ſicut per unius delictum in „omnes homines in condemnationem, ſic „& per unius juſtitiam in omnes homines „in juſtificationem vitæ.

Repugnat Catechiſmo Romano in 2. Articulum Symboli, num 3. „in illa damna„tione humani generis quæ ſtatim peccatum „conſecuta eſt &c.

„Repugnat Auguſtino de correptione & gra-

gratia cap. 7. „ Non ſunt ab illa conſperſio„ne diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam, „euntibus omnibus ex uno in condemnatio„nem ..... quicumque ergo ab illa ori„ginali damnatione iſtâ divinæ gratiæ largi„tate diſcreti ſunt &c.„ & lib. 13. de civitate Dei cap. 14. „ Sponte depravatus ju„ſtèque damnatus, depravatos damnatoſque „generavit. „ & ibidem lib. 22. cap. 22, „Quod ad primam originem pertinet, om„nem mortalium progeniem fuiſſe damna„tam, hęc ipſa vita, ſi vita dicenda eſt, „tot & tantis malis plena teſtatur.

Propterea Bellar. lib. 6: de amiſſione gratiæ cap. 2. „ Fide Catholicâ tenendum eſt, „parvulos ſine baptiſmo decedentes, abſo„lutè eſſe damnatos & non ſolâ cœleſti ſed „etiam naturali beatitudine perpetuò cari„turos.

VI.

„Rationibus addi etiam illa poteſt, videli„cet peccatum originale nullam reprehenſi„onem mereri pag. 118. lin. 1.

VII.

„Quis ergo tam abſurdè ſentiat, ut dicat „poſſe torqueri parvulos, qui non poſſunt re„prehendi. ibid. lin. 16.

REG-

RESPONSIO.

Jam ostensum est juxta Apostolum, Catechismum Romanum & Augustinum, parvulos ob solum peccatum originale condemnari: ergo multò magis ob illud possunt reprehendi; cum reprehendi, argui & accusari minus sit, quam condemnari, „ Intelligamus Apostolum (ait Aug. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 124.) & videamus ideo dictum judicium ex uno delicto in condemnationem, quia sufficeret ad condemnationem, etiamsi non esset in hominibus nisi originale peccatum. „ Idem de correptione & gratiâ cap. 6. docet de hac pravitate peccati originalis : „ corripiatur & in singulis quod est omnium.

VIII.

"Si non fecit beatos, quia perduellium parentum filios, & culpâ originali aspersos, at nec fecit miseros. pag. 112. lin.

RESPONSIO.

Imo tam miseros fecit, ut meritò testetur Cardinalis Norisius in Vindiciis Augustinianis cap. 3. §. 3. „ Inter cætera argumenta celeberrimum invenit magnus Doctor, quo peccatum originis persuaderet, deducens nempe illud ab infinitis humanæ vitæ

" tæ miseriis: ita appellans illam Ecclesiastici sententiam cap. 40. initio: „ *Jugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum.* „ arguebat ad salvandam " Dei justitiam aliquod in nascentibus crimen asserendum esse, ne tot miseriis puniri innoxii crederentur. Hoc argumentum ubique in Augustini non dicam libris " sed librorum paginis occurrit. Sic lib. 6. "operis imperfecti contra Julianum cap. 27. " Ubi est, inquit, justitia Dei? quam si cogitares, numquam crederes sine ullo merito peccati originalis tam miseros esse nascentes." Harum verò miseriarum cumulum exhibet lib. 22. de civitate Dei cap. 22. Nimirum juxta definitionem Tridentini Sess. 5. & 6. cap. 1. nascuntur parvuli cum peccato quod est mors animæ, immundi, naturâ filii iræ, servi peccati, Diaboli & mortis. Et post hæc, quî fieri potest, ut aliquis neget eos esse miseros. Meritò igitur fatetur Bellarminus de amissione gratiæ lib. 4. c. 2. „ Catholici Theologi non docent peccatum originis non distingui ab " actuali, neque dicunt esse actionem sceleratam propriâ volontate commissam, & " tamen sentiunt esse verè, propriéque peccatum, quod hominem non solùm miserum " sed etiam peccatorem & reum damnationis efficiat.

IX.

IX.

Ut taceam illum, qui ſolo originali tenetur, dici non poſſe Deum deſerere. pag. 98. lin. 29.

RESPONSIO.

Qui ſolo originali tenetur, juxta Apoſtolum ad Rom. 5. in Deum peccavit peccato quod eſt mors animæ, quo Dei inimicus & Diaboli factus eſt ſervus, adeòque juxta fidem Catholicam Deum deſeruit. Accedit, quod, uti ſupra ad propoſitionem 1. dictum eſt ex Bellarmino, Catholici agnoſcunt in homine, ex Adami ſemine propagato, juſtitiæ privationem & habitualem quamdam ab ipſo Deo averſionem.

X.

„ Quantùm ergo ex parte Dei eſt, non eſt
„ barbarus, non eſt Scytha, non eſt repro-
„ bus, non eſt damnatus, ſed omnes filii,
„ omnes dilecti, omnes chari, ſolâ culpâ
„ (actuali, ſicut declarat pag. 68.) inter ma-
„ los bonoſque, inter electos rejectoſque
diſtinguente. pag. 3. lin. 21.

RES-

" nec regeneratis vitam æternam esse tribu-
"endam, aut naturalem beatitudinem, uti
" multis rectè probat Bellarminus lib. 6. de
" amissione gratiæ.

XIV.

" Constat sensibilis pœnæ immunes fore;
" id enim ratio omniumque Theologorum
" authoritas convincit. pag. 719. lin. 11.

RESPONSIO.

Reclamat sæpènumero Augustinus ut Ser. 294. editionis PP. Benedictinorum: " qui non in dextra, procul dubio in sinistra: ergo qui non in regno procul dubio " in igne æterno.

Similiter ex Augustino Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 27. „Firmissimè tene, " & nullatenus dubites, non solum homines " jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt & ibi moriuntur, sive cum de matribus nati sine Sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris & " Filii & spiritus sancti, de hoc sæculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos; quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen " peccati damnationem carnali conceptione " & nativitate traxerunt.

Hæc

„Hæc itaque [ait Cardinalis Norisius in „Vindiciis Augustinianis] antiquę Ecclesiæ „ac sanctis Patribus de infantium pœnis „sententia stetit, donec post ducentesimum „supra millesimum annum Christianæ epo-„chæ, novæ opiniones à scholasticis procusæ „sunt„ Interim pro sententia antiqua non solùm cumulum Patrum, sed etiam scho-lasticorùm ibidem allegat. Ex quo patet, quam immeritò *Nodus dissolutus* suam opi-nionem omnibus Theologis adscribat, & sententiam antiquam hac censurâ perstringat primâ p. pag. 118. „ Quis ergo tam absurdè „sentiat, ut dicat posse torqueri parvu-„los &c.

XV.

„Vides sententiam mediam ab Augustino „parvulis non baptizatis inter supplicium „meritumque constitui, neque hanc sen-„tentiam umquam Augustinus retractavit. pag. 115. lin. 1.

XVI.

„Parvulos quod attinet qui sine baptismo „decedunt, cælesti quidem regno, quippe „paternæ culpæ reos nec expiatos exclusit, „non tamen naturalibus bonis pag. 48. lin. 17.

RESPONSIO.

Sic nodus dissolutus asserere nititur lo-cum medium, quem parvulis sine baptismo

"regno, sed aliquid aliud: nam si exclusio "esset damnatio, qui exclusionem timebant "non baptizatis, damnationem quoque eis- "dem pariter timuissent. Quare idem Aug. "lib. de hæres. cap. 88. scribit parvulos se- "cundùm hæresim Pelagii (& hæc ipsa est "doctrina *Nodi dissoluti*) baptismo indige- "re ut regeneratione adoptati admittantur "ad regnum Dei, & non ut pereant, sed "ut de bono transferantur ad melius.

Hinc quoque Auctor lib. 1. de vocatione gentium cap. 32.: „Non autem puto istos (alii justos) „voluntatum patronos simplici- „citate illorum tam impudenter usuros, ut „aut fortuitò ista dicant accidere, aut non „renatos asserant non perire.

III.

„Deus parvulos cœlo exclusit ob pecca- „tum non proprium, sed paternum pag. 118. „lin. penult.

IV.

„Licet culpâ propriâ careant, non tamen „carent alienâ & paternâ pag. 118. lin. 20.

RESPONSIO.

Scili. si juxta primam propositionem, peccatum originale in Adæ posteris nihil est aliud, quam pro peccato parentum, jure ad cœleste reg- num spoliari, sequitur parvulos non habere

pec-

peccatum proprium. Sed id repugnat tum Apoſtolo ad Rom. 5. in quo omnes pecca„verant : „ tum Tridentino, quod Seſſ. 5. de peccato originali definit : „Ineſt unicui„que proprium, quod mors *eſt* animæ.

V.

„Quamvis enim damnari nemo poſſit pa„ternâ culpâ (ſcilicet originali) pag. 114. lin. 21.

RESPONSIO.

Contra fulminat S. Gelaſius Papa in epiſtola ad Epiſcopos per Picenum, contra Senecam delirum ſenem Pelagianum: „ De „ parvulis autem quod aſſerit ſine baptiſma„te pro ſolo originali peccato non poſſe „ damnari, ſatis impia, ſatis profana pro„poſitio eſt.

Nempe repugnat Apoſtolo ad Rom. 5. „Judicium quidem ex uno in condemnatio„nem . , . . . ſicut per unius delictum in „omnes homines in condemnationem, ſic „ & per unius juſtitiam in omnes homines „ in juſtificationem vitæ.

Repugnat Catechiſmo Romano in 2. Articulum Symboli, num 3. „in illa damna„tione humani generis quæ ſtatim peccatum „ conſecuta eſt &c.

„Repugnat Auguſtino de correptione & gra-

gratia cap. 7. „ Non sunt ab illa conspersio-
„ ne discreti, quam constat esse damnatam,
„ euntibus omnibus ex uno in condemnatio-
„ nem . . . . . quicumque ergo ab illa ori-
„ ginali damnatione istâ divinæ gratiæ largi-
„ tate discreti sunt &c. „ & lib. 13. de civitate Dei cap. 14. „ Sponte depravatus ju-
„ stèque damnatus, depravatos damnatosque
„ generavit. „ & ibidem lib. 22. cap. 22,
„ Quod ad primam originem pertinet, om-
„ nem mortalium progeniem fuisse damna-
„ tam, hęc ipsa vita, si vita dicenda est,
„ tot & tantis malis plena testatur.

Propterea Bellar. lib. 6: de amissione gratiæ cap. 2. „ Fide Catholicâ tenendum est,
„ parvulos sine baptismo decedentes, abso-
„ lutè esse damnatos & non solâ cœlesti sed
„ etiam naturali beatitudine perpetuò cari-
„ turos.

VI.

„ Rationibus addi etiam illa potest, videli-
„ cet peccatum originale nullam reprehensi-
„ onem mereri pag. 118. lin. 1.

VII.

„ Quis ergo tam absurdè sentiat, ut dicat
„ posse torqueri parvulos, qui non possunt re-
„ prehendi. ibid. lin. 16.

RESPONSIO.

Jam oſtenſum eſt juxta Apoſtolum, Catechiſmum Romanum & Auguſtinum, parvulos ob ſolum peccatum originale condemnari: ergo multò magis ob illud poſſunt reprehendi; cum reprehendi, argui & accuſari minus ſit, quam condemnari, „ Intelligamus Apoſtolum (ait Aug. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 124.) & videamus ideo dictum judicium ex uno delicto in condemnationem, quia ſufficeret ad condemnationem, etiamſi non eſſet in hominibus niſi originale peccatum. „ Idem de correptione & gratiâ cap. 6. docet de hac pravitate peccati originalis: „ corripiatur & in ſingulis quod eſt omnium.

VIII.

"Si non fecit beatos, quia perduellium parentum filios, & culpâ originali aſperſos, at nec fecit miſeros. pag. 112. lin.

RESPONSIO.

Imo tam miſeros fecit, ut meritò teſtetur Cardinalis Noriſius in Vindiciis Auguſtinianis cap. 3. §. 3. „ Inter cætera argumenta celeberrimum invenit magnus Doctor, quo peccatum originis perſuaderet, deducens nempe illud ab infinitis humanæ vitæ

"tæ miseriis: ita appellans illam Ecclesiasti-"ci sententiam cap. 40. initio: „ *Jugum grave super filios Adam à die exitus de ventre matris eorum.* „ arguebat ad salvandam "Dei justitiam aliquod in nascentibus cri-"men asserendum esse, ne tot miseriis pu-"niri innoxii crederentur. Hoc argumen-"tum ubique in Augustini non dicam libris "sed librorum paginis occurrit. Sic lib. 6. "operis imperfecti contra Julianum cap. 27. "Ubi est, inquit, justitia Dei? quam si co-"gitares, numquam crederes sine ullo meri-"to peccati originalis tam miseros esse na-"scentes." Harum verò miseriarum cumulum exhibet lib. 22. de civitate Dei cap. 22. Nimirum juxta definitionem Tridentini Sess. 5. & 6. cap. 1. nascuntur parvuli cum peccato quod est mors animæ, immundi, naturâ filii iræ, servi peccati, Diaboli & mortis. Er post hæc, quî fieri potest, ut aliquis neget eos esse miseros. Meritò igitur fatetur Bellarminus de amissione gratiæ lib. 4. c. 2. „ Catholici Theologi non do-"cent peccatum originis non distingui ab "actuali, neque dicunt esse actionem sce-"leratam propriâ volontate commissam, & "tamen sentiunt esse verè, proprièque pec-"catum, quod hominem non solùm miserum "sed etiam peccatorem & reum damnatio-"nis efficiat.

IX.

IX.

Ut taceam illum, qui ſolo originali tenetur, dici non poſſe Deum deſerere. pag. 98. lin. 29.

RESPONSIO.

Qui ſolo originali tenetur, juxta Apoſtolum ad Rom. 5. in Deum peccavit peccato quod eſt mors animæ, quo Dei inimicus & Diaboli factus eſt ſervus, adeòque juxta fidem Catholicam Deum deſeruit. Accedit, quod, uti ſupra ad propoſitionem 1. dictum eſt ex Bellarmino, Catholici agnoſcunt in homine, ex Adami ſemine propagato, juſtitiæ privationem & habitualem quamdam ab ipſo Deo averſionem.

X.

„ Quantùm ergo ex parte Dei eſt, non eſt
„ barbarus, non eſt Scytha, non eſt repro-
„ bus, non eſt damnatus, ſed omnes filii,
„ omnes dilecti, omnes chari, ſolâ culpâ
„ (actuali, ſicut declarat pag. 68.) inter ma-
„ los bonoſque, inter electos rejectoſque
diſtinguente. pag. 3. lin. 21.

RES-

RESPONSIO.

Cum Auctor ille non aliud originale peccatum esse putet, quam spoliationem juris ad regnum cœleste, doceatque hanc spoliationem factam, non ob peccatum eorum proprium, sed paternum, nemo miretur secundùm ejus principia parvulos non baptizatos ante omnem culpam actualem, omnes esse Deo dilectos, omnes charos; sed manifestè contra Apostolum ad Ephesios 2. *Eramus naturâ filii iræ*: contra Tridentinum definiens eos nasci cum peccato „*quod est* „*mors animæ* „ quo Deo redduntur, *exo-* „*si & inimici.*

XI

„ Fatendum tamen quia numquam par„vulis ante baptismum sublatis Deus æter„nam vitam voluit, istos ad alium finem „classemque providentiæ pertinere pag. 48. „lin. 25.

RESPONSIO.

Hoc est quod de Semipelagianis scribit Hilarius Augustino num 8. „ Parvulorum „ autem causam ad exemplum majorum non „ patiuntur adferri, „ cum tamen omnes reprobi, tam parvuli quam adulti ad eamdem pertineant classem providentiæ divinæ, quæ reos culpæ justissimè damnat. XII.

XII.

„Non damnantur. „ Ait de parvulis morientibus aute baptiſmum pag. 164. lin. 6.

XIII.

„In eum ſtatum bonorum naturalium „ transferuntur &c. ibid. lin. 7.

RESPONSIO.

Parvulos ob ſolum peccatum originale juſtè damnari ſupra ad propoſitionem 5. ex Apoſtolo & Catechiſmo Romano & Auguſtino oſtenſum eſt. Præterea Cardinalis Bellarminus lib. 6. de amiſſione gratiæ cap. 2. de ſententia hac *Nodi* diſſoluti, quam 2. loco numeraverat aſſerit: „ Ex „ enumeratis ſententiis prima] & ſecunda non „ ſolum falſæ, ſed etiam hæreticæ æſtiman- „ dæ ſunt, & contra fide Catholicâ tenen- „ dum eſt, parvulos ſine baptiſmo deceden- „ tes abſolutè eſſe damnatos; & non ſolùm „ cæleſti, ſed etiam naturali beatitudine per- „ petuò carituros. Hæc repetit & confirmat Thomas-Lemos de peccato originali tract. 1. cap. 23. & Walemburgici tom. 2. in compendio controverſiarum cap. 51. „ Convenit inter Catholicos & Proteſtantes, „ hominem per culpam peccati originalis in „ hac vita non remiſſam, damnationi ſub- „ jectum eſſe, neque infantibus non baptizatis

nec

"nec regeneratis vitam æternam esse tribu-
"endam, aut naturalem beatitudinem, uti
"multis rectè probat Bellarminus lib. 6. de
"amissione gratię.

XIV.

"Constat sensibilis pœnæ immunes fore;
"id enim ratio omniumque Theologorum
"authoritas convincit. pag. 719. lin. 11.

RESPONSIO.

Reclamat sæpènumero Augustinus ut Ser. 294. editionis PP. Benedictinorum: "qui non in dextra, procul dubio in sini-
"stra: ergo qui non in regno procul dubio
"in igne æterno.

Similiter ex Augustino Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 27. „Firmissimè tene,
"& nullatenus dubites, non solum homines
"jam ratione utentes, verùm etiam par-
"vulos, qui sive in uteris matrum vivere in-
"cipiunt & ibi moriuntur, sive cum de ma-
"tribus nati sine Sacramento sancti baptis-
"matis, quod datur in nomine Patris &
"Filii & spiritus sancti, de hoc sæculo trans-
"eunt, ignis æterni sempiterno supplició pu-
"niendos; quia etsi propriæ actionis pecca-
"tum nullum habuerunt, originalis tamen
"peccati damnationem carnali conceptione
"& nativitate traxerunt.

Hæc

„Hæc itaque [ait Cardinalis Norisius in „Vindiciis Augustinianis] antiquę Ecclesiæ „ac sanctis Patribus de infantium pænis „sententia stetit, donec post ducentesimum „supra millesimum annum Christianæ epo- „chæ, novæ opiniones à scholasticis procusæ „sunt„ Interim pro sententia antiqua non solùm cumulum Patrum, sed etiam scholasticorùm ibidem allegat. Ex quo patet, quam immeritò *Nodus dissolutus* suam opinionem omnibus Theologis adscribat, & sententiam antiquam hac censurâ perstringat primâ p. pag. 118. „ Quis ergo tam absurdè „sentiat, ut dicat posse torqueri parvu- „los &c.

XV.

„Vides sententiam mediam ab Augustino „parvulis non baptizatis inter supplicium „meritumque constitui, neque hanc sen- „tentiam umquam Augustinus retractavit. pag. 115. lin. 1.

XVI.

„ Parvulos quod attinet qui sine baptismo „decedunt, cælesti quidem regno, quippe „paternæ culpæ reos nec expiatos exclusit, „non tamen naturalibus bonis pag. 48. lin. 17.

RESPONSIO.

Sic nodus dissolutus asserere nititur locum medium, quem parvulis sine baptismo

morientibus assignat in statu bonorum naturalium sine miseriâ, sed extra regnum cælorum. Verùm Augustinus in epistola 166. ad Hieronimum de tertio suo libro de libero arbitrio quem *Nodus* pro se adducit, ait: „De baptismo parvulorum in eodem libro „non quidem sufficienter, sed quantùm illi „operi satis esse videbatur, utcumque respon-„di . . . . non tamen de damnatione illo-„rum parvulorum, qui sine illo baptismo „ex hac vita emigrant, tunc aliquid dicen-„dum putavi, quia non quod nunc agitur, „agebatur.„ Præterea lib. 1. de anima & ejus origine cap. 9. asserit: „Non baptizatis par-„vulis nemo promittat inter damnationem „regnumque cælorum, quietis felicitatisve „cujuslibet atque ubilibet quasi medium „locum; hoc enim eis hæresis Pelagiana „promisit. Damnavit locum illum medium Pelagianorum, Synodus Carthaginensis anni 418. Damnavit eumdem S. Gelasius Papa in Epistola ad Episcopos per Picenum: „Nihil, *inquit*, est ergo, quod dicant quod „non renati infantes tantummodò in re-„gnum cælorum ire non valeant, non au-„tem perpetuâ damnatione puniantur . . . , „tollant ergo de medio nescio quem ipsi „tertium, quem decipiendis parvulis fa-„ciunt, locum.„ Damnavit locum illum medium tamquam hæreticum Cardinalis Bel-

Bellarminus lib. 6. de amiſſione gratiæ cap. 1. & 2. quem uti aſſertum a Pelagianis deſcribit hoc modo: „Parvulos non baptizatos excludebant à regno cælorum, & „vitâ beatâ ſanctis promiſſâ: tamen eis dabant vitam æternam & naturalem beatitudinem ſine ulla moleſtia aut dolore extra „regnum Beatorum, & procul a carcere „damnatorum, hoc eſt, loco medio inter „gehennam & cælum, qualis locus vix „poteſt fingi alius quam terræ convexum. „Ita ſenſiſſe olim Pelagianos docet S. Au„guſtinus in libro de hæreſibus cap. 88.

XVII.

„In hac parvulorum cauſa conſiderandum eſt, licet Deus ad cæleſtem gloriam „non eos admiſerit, alio tamen multòque „majori beneficio affeciſſe pag. 120. lin. 5.

RESPONSIO.

Inaudita hactenus & aliena ab omni veri ſpecie doctrina utriuſque propoſitionis. An poteſt bonum aliquid eſſe majus aut pretioſius ſummo bono, quod per cæleſte regnum obtinetur? ſi, uti *Nodus* contendit, ideò parvuli ſine baptiſmo morientes majus regno cœleſti bonum accipiunt, quia à peccato perſonali præſervantur, & votum omnium eſſe debeat potius carere cœlo quàm

peccato involvi, ſequitur parvulos illos beneficium accipere majus etiam ſanctitate & beatitudine Deiparæ & Chriſti, quod blaſphemum eſt, ſiquidem votum omnium eſſe debet potius carere beatitudine Deiparę & Chriſti, quam peccato involvi. Ratio ſophiſmatis inde oritur, quod pro nullo vel ſummo bono obtinendo liceat Deum offendere, ſed ex eo non ſequitur eſſe majus beneficium præſervationem ab offenſa Dei ſummo bono ſeu beatitudine. Sanè ſi dogma Pelagianorum concedentium parvulis ſine baptiſmo morientibus beneficium minus regno cœleſti, damnatum ſit ab Eccleſia Catholica tamquam hæreticum, evidens eſt, quid mereatur dogma novum concedens iiſdem parvulis beneficium regno cœleſti majus pretioſiuſque.

XVIIII.

"Cum ſola præſervatio à peccato pluris
"valeat, majoriſque meriti ſit quam regnum
"ipſum cœleſte pag. 48. lin. 21.

Responsio.

Multiplex ſophiſma ſub illa propoſitione latet. Mirum in modum abutitur æquivocatione vocum ejuſmodi, *à peccato præſervari*, *carere peccato &c* verè Deus peccandi periculo excipit juſtos, quos *rapit ne malitia mutet intellectum illorum;* quia ipſe

illos

illos primùm creat in justitia & sanctitate veritatis, ac postmodum ne ex illa excidant, non solùm eosdem subducit cadendi periculo, dæmonis artibus, conversationis mundanæ contagio, per mortem opportunam: sed per continuatam miserationem, mundat & munit, ut loquitur Ecclesia, & operatione non interruptâ eosdem creat in justitia & in operibus bonis. At parvulos ante baptismum morientes, quibus justitiæ donum non impertiit, quique illâ reapse privantur, quando permittit ut immatura mors rapiat, tantùm abest ut eosdem à peccato servare dici possit, ut potiùs in peccato eosdem servare dicendus sit & à justitia adipiscenda arcere, occulto quidem, sed justo & adorando judicio. Stultum porro est & aliquo modo impium, adorandæ ejusmodi justitiæ effectus, sub fictitiæ alicujus misericordię velo abscondere velle, contra sapientissima ęternæ providentiæ consilia, quæ utrosque effectus, utramque perfectionem, geminam inquam justitiæ & veritatis viam, pariter vult nobis admirationi esse: *Universa enim via Domini misericordia & veritas.*

Exemplo rem illustro ex humanis rebus assumto. Supponamus principem aliquem virum à potentissimo Rege magnis ac sublimibus muneribus jam jam ornandum, & etiam pro genero vel filio adoptandum, in

morbum incidere. Medicus qui illum à morbi periculo liberet, accitur. At is à principis illius viri competitore, pretio & promissis corruptus, non solùm principem à morbo non curat, sed ab eo sinit opprimi. Cum autem idem Princeps, qui ad supremum honorum apicem adsciscendus à rege fuerat, si supervixisset, in ejus odium & indignationem potuisset incurrere: quis adeò ridiculus fuerit, ut beneficii loco ducat quod à medico morti sit traditus, eo nimirum prætextu, quod ipsum ab incurrendo principis odio liberasset? Quis potiùs hominis scelus non horreat ac detestetur, qui & principem vitâ exuit, & eâdem operâ impedivit ne ad summa quæque, Regis liberalitate ac benevolentiâ ascenderet? quis adulanti & sceleratè crimen dissimulanti, sub beneficii nomine, meritò non irascatur? Discrimen quidem summum inter Deum & Medicum statim occurrit. Ille quidem justissimo etsi occulto judicio, immaturæ morti peccatorem tradidit; hic per horrendum nefas virum innocentem morbo opprimi permisit. Judicium illud adorandum; scelus istud horrori habendum: sed utrobique par & ęqualis præservatio ut ita dicam, ab offensa & odio seu Dei seu Regis. Neutra vel à Deo vel à Medico intenta, neutra ullius meriti aut utilitatis, utraque chimæræ simillima. Nam ut ait Augustinus, de prædest. cap. 14. „Hæc est tota causa, cur dictum est,
Rap-

Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus. „Dictum est enim secundùm pericu-
„la vitæ hujus, non secundùm præscientiam
„Dei: qui hoc præscivit quod futurum erat,
„non quod futurum non erat &c.

Etsi ergò præservatio à peccato & offensâ nominari posset illa immaturæ mortis largitio in parvulo sine baptismate decedente, non tamen beneficii loco haberi potest, quia non est ex intentione seu operis seu operantis, sed ex accidenti. Alterum igitur est sophisma quod *fallaciam ex accidenti* appellant, illi simillimum, quo crudelitas tyrannorum bona ac meritoria probaretur ; quia inde sanctis martyribus & ingens meritum & æterna gloria provenit, & multitudo innumera Sanctorum in Cœlum translata, Dei gloriam mirum in modum promovet. Immatura igitur parvulorum non baptizatorum mors, imaginarium est beneficium, verus autem justissimi judicii Dei effectus, qui specioso beneficii titulo perperam ac falsò adornatur. Illa enim prætensa præservatio à peccato, & offensę carentia talis non est in parvulis non regeneratis, qualis in justis eo consilio rap-ptis ne malitia mutet illorum intellectum. Non enim omnis peccati carentia beneficii aut meriti loco habenda est, alioquin & in bruto animante & in lapide talis esset : Uterque enim peccato caret. Tunc tantum-

 modo

modò æſtimanda venit carentia peccati, quando ex amore juſtitiæ naſcitur, quemadmodùm & in juſtis viatoribus & in Beatis in cœlo ex eo naſcitur. In damnatis verò ſeu dæmonibus abſtinendi a quibuſdam peccatis neceſſitas, ſeu carentia quorundam ſcelerum quibus obnoxii erant peccatores dum inter mortales vivebant, nihili facienda eſt, quia nec ex propria electione, nec ex juſtitiæ amore profluit, ſed ex ſtatus ſui neceſſitate, ac circumſtantiis. Ita carentia actualium peccatorum in parvulis cum originali noxâ mortuis, tantùm abeſt ut haberi poſſit pro *bono quod cœleſti regno majus ſit*, ut ne poſſit quidem inter inferioris ordinis bona numerari: quia ex neceſſitate ſui ſtatus eam habent, non ex amore juſtitiæ, qui in iis nullus eſt: cum potiùs intus gerant cor juſtitię inimicum & a Deo qui ſumma juſtitia eſt, averſum. Ecquî enimverò carere peccato illi dici poſſint, in quibus regnat peccatum & omnis peccati radix concupiſcentia, quę etiam poſt mortem vivit, dominaturque ac in æternum dominabitur. Cum igitur nulla poſſit agnoſci vera pręſervatio, quâ Deus per aliquam operationem poſitivam ac ſalutarem parvulos in amore juſtitiæ conſtituat ac conſervet, non vera illa præſervatio putanda eſt: Ac tertiâ fallaciâ, *quæ dicitur non cauſæ ut*

cauſæ

causæ laborat *Nodi* ratiocinatio & argumentum; cum non præservatio, sed necessitas status inducat illam qualemlibet carentiam peccati. Inde patet quid de proposit. 19. & 20. dicendum, in quibus illa peccati carentia amori, gratiæ ac Christi meritis deputatur.

XIX.

„Certum est etiam in parvulos (morientes sine baptismo) maximam Dei misericordiam elucere, quamvis enim Dei visione æternâque gloriâ priventur, at præservantur ne peccent, hoc est ne Deum ipsi offendant, ne jacturam innocentiæ faciant, ne perpetuis ignibus crucientur, quę omnia & maxima beneficia esse, & cælesti gloriæ certâ ratione præferri, & consequenter ad Christi merita & redemptionem pertinere jam supra ostendimus. pag. 164. lin. 9.

XX.

„Quę planè magna portio amoris & gratiæ est, ait de conditione parvulorum morientium sine baptismo pag. 48. lin. 20.

Responsio.

Adeò conditio parvulorum sine baptismo morientium ad Christi merita & redemptionem & gratiam non pertinet, ut Augustinus

epist 217. ad Vitalem inter duodecim sententias, quas dicit se scire ad fidem Catholicam pertinere statuat hanc quarto loco: „Scimus (gratiam Dei) non omnibus hominibus dari, & quibus datur non solùm secundùm merita operum non dari, sed nec secundùm merita voluntatis eorum quibus datur: quod maximè apparet in parvulis. Deinde inferius: „Quomodo dicitur omnes homines eam fuisse accepturos, si non illi, quibus non donatur, eam sua voluntate respuerunt, quoniam Deus vult omnes homines salvos fieri, cum multis non detur parvulis & sine illa plerique moriantur, qui non habent contrariam voluntatem, & aliquando cupientibus festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus ac paratis, Deo volente non detur, cum repente, antequam detur expirat; pro quo ut acciperet, currebatur?„ Hactenus inauditum est Christum sanguinem fudisse & mortuum fuisse ut mereretur parvulis hoc beneficium quo morerentur sine baptismo: & hoc beneficium magnam esse portionem amoris & gratiæ Christi, imò majorem regno cælesti ubi tamen cum Augustino universa Ecclesia hujusmodi parvulos pro exemplo assignavit eorum, qui mortis Christi non recipiunt beneficium. Atque præ cæteris Expositio Fidei per Episcopum

Con-

Condomensem laudata ab Innocentio XI. & pluribus Cardinalibus tradit sequentia de baptismo: „Cum parvuli nequeant supplere „defectum baptismi per actus Fidei, Spei & „Charitatis, nec per votum suscipiendi Sa-„cramenti, credimus quod nisi revera illud „suscipiant, nequaquam participes gratiæ „redemptionis fiant, quodque ita in Adamo „morientes nullam cum Jesu Christo par-„tem habeant.

XXI.

„Quod si Deus id egit (in parvulis sine „baptismo morientibus) quod & ipsi & ne-„mo alius non optaret, ergo nulla dolendi, „nulla conquerendi sed magna laudandi „gratesque agendi causa est pag. 120. lin. 20.

Responsio.

Sic communem parentum Catholicorum & Ecclesiæ luctum de parvulis sine baptismo mortuis corrigere studet *Nodus dissolutus*: sic audet aliquid ultra dogma Pelagianum: nempe pro parvulis illis nulla dolendi, nulla conquerendi, sed magna laudandi, gratesque agendi causa est. Sed sanos omnes plus movebunt Ecclesiæ matris lacrymæ, quam *Nodi* vana solatia. Patet interim quam periculosa sit ejusmodi doctrina, quæ pro baptizandis parvulis solicitudinem nata est

aut tollere aut minuere, & efficere ut plurimi sine baptismo moriantur. Patet insuper quam affinis sit doctrina illa errori Vincentii Victoris de parvulis sine baptismo morientibus, de quo refert Aug. lib. 1. de anima & ejus origine cap. 9. „Videns ergo „in quam se profunditatem naufragosi „gurgitis jecerit, sanè, (inquit) pro eis obla„tiones continuas & offerenda sanctorum ju„giter censeo sacrificia sacerdotum: Ecce „aliud unde numquam exiturus est, nisi „eum dixisse pœniteat.

De Prædestinatione & Reprobatione.

XXII.

„Quatuor ergo in hoc argumento de„monstranda suscipiam: primò Deum seriò, „impensissimè ac quantùm in se est, effica„citer omnium hominum salutem velle. pag. 2. lin penultim.

XXIII.

"Hæc inquam voluntas, quantùm ex "parte Dei, efficax & absoluta est pag. 5. lin 9.

XXIV.

"Hæc ipsa & efficacissima omnes salvandi "voluntas magis magisque demonstrabitur pag. 22. lin. 20.

RES-

RESPONSIO.

Scriptura ſacra quamdam Dei voluntatem docet ſemper impleri, juxta illud Pſalmi 113. *Omnia quæcumque voluit fecit:* atqui ſi ulla talis ſit, neceſſe eſt talem eſſe voluntatem Dei abſolutam, impenſiſſimam & efficaciſſimam: ergo Deus non habet voluntatem ſalvandi omnes abſolutam, impenſiſſimam & efficaciſſimam, quia conſtat voluntatem Dei ſalvandi omnes non impleri. Hinc Auguſtinus Ench. cap. 95. ait: „Tunc „in clariſſima ſapientiæ luce videbitur, „quod nunc piorum fides habet antequam „manifeſtâ cognitione videatur, quam cer„ta, immutabilis, efficaciſſima ſit voluntas „Dei: quam multa poſſit & non velit, nihil „autem velit quod non poſſit: quamque ſit „verum quod in Pſalmo canitur: „ *Deus* „*autem noſter in cœlo ſurſum, in cœlo &* „*in terra, omnia quæcumque voluit, fecit.* „ „Quod utique non eſt verum ſi aliqua vo„luit & non fecit, & quod eſt indignius, „ideo non fecit, quoniam ne fieret quod „volebat omnipotens, voluntas hominis „impedivit.„ Et Epiſ. 217. ad Vitalem: „Manifeſtum eſt eos, qui huic reſiſtunt tam „perſpicuæ veritati, non intelligere omnino „qua locutione ſit dictum, quod omnes „homines vult Deus ſalvos fieri, cum tam

„ multi ſalvi non fiant, non quia ipſe ſed quia „ Deus non vult, quod ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis „ Imo a *Nodo ipſo* agnoſcitur pag. 48. „ Fatendum tamen ait, „ quia nunquam parvulis ante baptiſmum „ ſublatis Deus æternam vitam voluit.

XXV.

„ Cum Deus ſit omnium Dominus, omnium Mediator, non poteſt non omnibus, „ quantùm ex ſe eſt, æternam vitam & felicitatem velle. Pag. 10. lin. 8. . . .

XXVI.

„ Alioquin partibus ſuis deeſſet, ſicut deeſſet medicus, qui cum decem ægrotorum „ curam ſuſcepiſſet, non omnibus, ſed tribus tantùm ſanitatem efficaciter cuperet. Pag. 10. lin. 10.

XXVII.

„ Ergo qui omnium Deus & Mediator eſt, „ aut oportet officio ſuo deſit, aut omnium ſalutem & vitam efficaciter velit. „ Ibid lin. 15.

RESPONSIO.

Igitur juxta doctrinam illam Deus, non ſolùm omnium ſalutem efficaci & abſolutâ voluntate vult, ſed nec poteſt non velle, alioquin partibus ſuis & officio deeſſet: ergo tenetur, & debet omnium ſalutem effi-

efficaci & absolutâ voluntate velle: ergo voluntas divina salvandi homines non ad gratuitam Dei amorem, sed ad naturam officiumque ejus spectat: juxta illud Augustini Sermone 293. num 8. edit. Benedict. „Si debitum est, gratis non est; si gratis „non est, gratia non est.„ Ergo cum fateatur Autor pag. 48. quod „Nunquam parvulis ante baptismum sublatis Deus æternam vitam voluit„ sequitur circa illos Deum suis partibus & officio deesse, quod vel cogitare nefas est.

XXVIII.

„Quod si nihil Scriptura, nihil Patres de „hoc Dei omnes homines salvandi propo„sito loquerentur, id ipsum apertissima ra„tio convinceret, & cui nemo nisi ex„pers rationis repugnare possit. Pag. 18. lin. 18.

XXIX.

„Plane qui aliter sentiunt, nescio an ex „Deo vero Deum mimicum & scenicum „faciant pag. 11. lin. 1.

XXX.

„Si quis Princeps moriturus ultimis ta„bulis, disponat ut ex regio immensoque „thesauro, quem heredi relinquit, omnes to„tius regni captivi redimantur, qui triremi-

bus

"bus & servituti addicti sunt, hæres vero "non de singulis generum, sed de generibus singulorum, hoc est non de omnibus, sed de paucis tantùm id intelligi "vellet, quis non infidelem, prævaricatorem, hostemque paternæ voluntatis diceret? pag. 15. lin. 29.

RESPONSIO.

Ita non satis erat à nullo hactenus Theologo assertam asserere doctrinam, Deum impensissimâ, efficacissimâ, & absolutâ voluntate omnium hominum salutem ex debito & officio suo velle, nisi contra sentientes passim omnes Theologi tam iniquâ censurâ percellerentur, ut rationis expertes & ex Deo vero Deum inimicum & scenicum facere censeantur. Nec Augustino, Fulgentio, Prospero, Gregorio Magno, Divo Thomæ, aliisque antiquis & recentioribus Theologis parcitur, qui similia loca Scripturæ, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, de generibus singulorum rectè explicari tradiderunt, ac ideò tamquam infideles, prævaricatores, tamquam divinę voluntatis hostes traducuntur.

XXXI.

„Ursi, Leones, Tigrides in ferrum & „mortem ruunt, ut catulos servent. Amant „etiam dracones & basilisci, quæ genuerunt

„runt . . . eum ſolum (Deum) & dracones „& Baſiliſci amore ſuperabunt?„ (Scilicet niſi, omnes velit efficaciter & abſolutè ſalvari) pag. 25. lin. 10.

XXXII.

"Ille qui amorem filiorum omnium ho-"minum, imo omnium leonum tigri-"dumque animis impreſſit, ille inquam, "filios ſuos non amavit? aut ſi amavit; "non ſerio non officioſè, non efficaciter; "ſed vel ſimulatè, vel perfuuctoriè tantùm? "ſicque in illo amoris affectu, quo nullus in-"nocentior, nullus juſtior, vinci ſe ab ho-"minibus, imo a brutis & ſerpentibus feret? "planè tam hæc ſunt Deo jndigna, ut ne "cogitari de illo quidem ſine ſcelere poſſint. Pag. 144. lin. 15.

RESPONSIO.

Ergo Urſis, Leone & Tigride, Draconibus Baſiliſcis & ſerpentibus ferocior Deus erit, niſi abſolutè & efficaciter velit omnes ſalvari? & tamen teſtatur ipſe *Nodi* Autor, *Fatendum tamen quia nunquam parvulis ante baptiſmum ſublatis Deus æternam vitam voluit.* Ergo juxta hæc jam Deus (quod horrent aures Chriſtianæ) reus actus eſt plus quam ferinæ feritatis. An divinâ bonitate magis indignum eſt, quod hominem adultum, reum

reum peccati originalis ſimul & blaſphemiarum & homicidii, & nefandarum libidinum non efficaciter & abſolutè velit ſalvari, quam quod non ita velit ſalvari unius diei infantem? „Atque ita, (ait Aug. lib. 4. contra „Jul. cap. 8. n. 43.) te intolerabilior ſequetur abſurditas. Illo enim modo benevolentiorem facis Deum omnibus impiiſſimis & ſceleratiſſimis hominibus, quam innocentiſſimis & puriſſimis ab omni labe „peccati: quandoquidem illos, quia vult „eos omnes ſalvos fieri, vult etiam intrare „in regnum ſuum: hoc eſt enim illis conſequens ſi ſalvi fuerint: ſed qui nolunt, „ipſi ſibi obſunt. Immenſum verò numerum „parvulorum, qui ſine baptiſmate moriuntur ſuo regno adjici non vult, quos neque ulla peccata, ſicut putatis impediunt, „&, quod nullus ambigit, ejus reſiſtere voluntati contrariâ voluntate non poſſunt.

An hæc Doctrina quæ Auguſtini & Thomæ & communis Theologorum eſt, meretur atrocem cenſuram illam: „Planè tam hæc ſunt Deo indigna ut ne cogitari de illo quidem ſine ſcelere poſſint?„

XXXIII.

"Quantùm ex parte Dei eſt, omnes dilecti, omnes ad vitam æternam, aut aliquid, "quod ipsâ vitâ æternâ melius ſit, (ut de infan-

" infantibus baptismo non tinctis postea di-" cemus) destinati. pag. 14. lin. 21.

XXXIV.

" Si ergo neminem deserit, cujus Domi-" nus & Creator est, sequitur ne illâ quidem " prædestinationis causâ, quæ omnium ma-" xima est, & ex qua reliqua pendent, ul-" lum omnino deseruisse, nullumque ab effi-" caci salvandi proposito exclusisse. pag. 12. " lin. 30.

XXXV.

" Si reprobi filii regni sunt, ergo aliquan-" do ad regnum destinati. pag. 108. lin. " 36.

RESPONSIO.

Quis Theologorum umquam vel asseruit vel audivit omnes homines etiam reprobos à Deo ad regnum cœleste esse prædestinatos? reclamante ubique Scripturâ ac præsertim ad Rom. 8. " Quos autem præ-" destinavit, hos & vocavit, & quos voca-" vit, hos & justivificavit: quos autem ju-" stificavit, illos & glorificavit. " Reclamante Augustino per communem prædestinationis definitionem de dono perseverantiæ cap. 14. " Hæc est prædestinatio sancto-" rum, nihil aliud: præscientia scilicet &

" præ-

" præparatio beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.

XXXVI.

Eodem modo 1. ad Ephes. S. Paulus omnes Christianos Ephesios & consequenter etiam reprobos, qui inter illos versabantur, prædestinatos & electos vocat pag. 109. lin. 7.

RESPONSIO.

Sicut in propositione præcedenti Christum, ita in hac Apostolum quoque sui erroris complicem reddere conatur. „ Nulla tamen (ait Augustinus de simili difficultate Quæst. 111. in Genesim) est facilior solutio quæstionis hujus, quàm ut per synecdochen dictum accipiatur. Ubi enim pars major est aut potior, solet ejus nomine etiam illud comprehendi, quod ad ipsum nomen non pertinet . . . . . eo modo locutionis puto & illud à Domino dictum, *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est*, " ut non ad electionem etiam ipse pertinere videatur. Non enim facile invenitur electorum nomen in malo, nisi quando mali eliguntur à malis . . . . . ac per hoc illud quod dictum est, *ego vos duodecim elegi*, per synechdochen dictum est, ut nomine majoris

" me-

" meliorisque partis etiam illud complecte-
" retur quod ad ipsum nomen non perti-
" net.

XXXVII.

"Si verum est, quod dicit Apostolus, "nullam apud Deum (quantùm videlicet ad "salvandi propositum) distinctionem esse "Judæi & Græci, Barbari & Scythæ quia est "Dominus omnium. pag. 13. lin. 8.

XXXVIII.

"Nec in illo prædestinationis negotio, "quantùm in se est, inter Caïn & Abel; "inter Paulum & Judam distinxit Deus, sed "omnibus æqualiter salutem voluit. pag. 3. liû. 13.

RESPONSIO.

Multum inter electos & reprobos, quantùm ad salvandi propositum, in Deo esse discrimen, tamquam dogma Ecclesiæ adversùs Pelagianos docuit ex Apostolo Augustinus. Præsertim lib. 5. contra Jul. cap. 4. "Omnia cooperantur in bonum, sed his "qui secundùm propositum vocati sunt. "Non enim omnes qui vocati sunt, secun-"dùm propositum sunt vocati. Multi enim "vocati, pauci verò electi, qui ergo electi, "hi secundùm propositum vocati . . . . . "cum dixisset, *omnia cooperantur in bo-*

num

num his qui secundùm propositum vocati sunt, continuò subdit *quoniam quos ante præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini Filii ejus, ut sit primogenitus in multis fratribus quos autem prædestinavit, illos & vocavit, & quos vocavit, ipsos & justificavit, quos autem justificavit, ipsos & glorificavit*, " si sunt se-" cundùm propositum vocati. " Similia repetit lib. de correp. & gratia cap. 7. lib. de prædest, Sanctorum cap. 18. Propositum illud, uti nunc *Nodus*, ita olim impugnabant Semipelagiani, quorum professio erat teste Prospero in Epis. ad Aug. " Hoc au-" tem propositum vocationis Dei, quo vel " ante mundi initium, vel in ipsa conditione " generis humani, eligendorum & rejicien-" dorum dicitur facta discretio, ut secun-" dùm quod placuit Creatori, alii vasa hono-" ris, alii vasa contumeliæ sint creati, & " lapsis curam resurgendi adimere, & sanctis " occasionem teporis adferre.

Sanè si inter Paulum & Judam nihil in prædestinationis negotio distinxit Deus: si utrique æqualiter salutem voluit, ergo non Deus sed Paulus se a Juda discrevit, ergo non plus gratiarum Deo debet Paulus quàm Judas; quæ omnia Scripturis & veritati & Sanctorum sensui manifestè adversantur.

XXXIX.

XXXIX.

"Quâ veritate posset Christus Math. 8. 12.
"ubi de regno cœlesti agit, vocare repro-
"bos filios regni, si ab æterno exclusit: si
" numquam filii, numquam hæredes, num-
"quam jus ad regnum habuere? pag. 108.
lin. 27.

XL.

" Sicut enim apud homines non potest
" filius citra culpam (actualem intelligit) &
" in ultimis tabulis a Patre omitti, aut si o-
" mittatur, querelam Testamenti inofficiosi fi-
" lius opponet, ita, multòque fortius apud
" Deum pag. 13. lin. 27.

Responsio.

Parvuli sine baptismo mortui, & adulti qui numquam fuere justificati, quandonam fuerunt Dei filii aut hęredes? quandonam jus ad regnum habuere? quot verba, tot errores. Quomodò predestinatio Sanctorum erit gratuita, sicut est, si omnes etiam reprobi jus ad regnum habuere? Si Deo querelam Testamenti inofficiosi potuerint opponere quicumque citra actualem culpam ex ultimis tabulis fuerint omissi? Aliter profectò Augustinus epist. 186. ad Paulinum num. 18. „ Hæc massa (inquit de homi-
" nibus

„nibus citra actualem culpam ſpectatis) ſi „eſſet ita media, ut quemadmodum nihil „boni ita nec mali aliquid mereretur, non „fruſtra videretur iniquitas, ut ex eâ fierent „vaſa in contumeliam. Cum verò per li- „berum arbitrium primi hominis in con- „demnationem univerſa defluxerit, procul „dubio quod ex ea fiunt vaſa in honorem, „non ipſius juſtitiæ, quæ gratiam nulla prę- „ceſſit, ſed Dei miſericordiæ: quod verò „in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ „abſit ut ſit apud Deum, ſed juſtitiæ de- „putandum eſt. Hoc quiſquis cum Eccle- „ſia Catholica ſapit, non contra gratiam „pro meritis diſputat, ſed miſericordiam & „judicium cauſat.

XLI.

„Sicut ergo in arbitrio tuo eſt, ut non „turpis ſed formoſus in ſpeculo appareas, „ſi videlicet maculam tergas, ita in arbi- „trio tuo eſt, ut non reprobus ſed electus „apud Deum ſis. pag. 36. lin. 19.

XLII.

„Sicut ergò in arbitrio tuo eſt oblatam „a Deo gratiam recipere (quæ ut poſtea pro- „babitur, nemini deeſt] ſicque a peccatis „mundari, ita quoque in arbitrio tuo eſt

„vas

" vas gloriæ aut contumeliæ, hoc est electum
" aut reprobum esse. pag. 36. lin. 36.

XLIII.

" Vides in arbitrio operantium esse, ut e-
" ligantur. pag. 41. lin. 7.

Responsio.

Reclamat Augustinus Tractatu 86. in Evangelium Joannis num. 2. „ Hic certè
" vacat vana illorum ratiocinatio , qui
" præscientiam Dei defendunt contra gra-
" tiam Dei, & ideò dicunt nos electos ante
" mundi constitutionem, quia præscivit nos
" Deus futuros bonos, non seipsum nos fa-
" cturum bonos. Non hoc dicit qui dicit,
" *Non vos me elegistis.* Quoniam si prop-
" terea nos elegisset, quia bonos futuros es-
" se nos præsciverat, simul etiam præscisset,
" quod eum nos fuissemus prius electuri ,
" non enim aliter esse possemus boni. Nisi
" fortè dicendus est bonus, qui non elegit
" bonum. Quid ergo elegit in non bonis?
" non enim electi sunt quia boni fuerunt,
" qui boni non essent nisi electi essent...
" audi ingrate, ingrate audi : *Non vos me e-*
" *legistis, sed ego elegi vos.*

Idem de patientia cap. 20. " Si propterea
" sunt electi, quia jam justi erant, ipsi pri-
" ores jam Dominum elegerant. Quis e-

"nim potest esse justus, nisi eligendo justi-
"tiam?

XLIV.

„Secunda erroris causa est, quod homi-
"nes sibi persuadeant, non esse amplius in
" eorum potestate ut inter electos numeren-
" tur, quæ persuasio planè falsissima est pag.
46. lin. ult.

XLV.

„Cum prædestinatio & reprobatio ex so-
"la Dei voluntate pendeat, credunt nihil
" amplius homini superesse, quo fatalem &
" insuperabilem hanc voluntatem mutare in
" aliam magisque propitiam possint. Sed
" hoc iterum a veritate alienissimum est. pag.
47. lin. 10.

RESPONSIO.

Eamdem doctrinam inter Semipelagianorum errores numeravit S. Prosper in Epis. ad Aug. qua refert juxta Semipelagianos, Augustini prædestinationem „ lapsis curam
" resurgendi adimere & sanctis occasionem
" teporis adferre: eo quod in utraque parte
" superfluus labor sit, si neque rejectus ullâ
" industriâ possit intrare, neque electus ullâ
" negligentiâ possit excidere, quoque enim
" modo se egerint, non posse aliud erga
" eos, quam Deus definivit, accidere . . . . .

nec

" nec acquiescunt prædestinatum electorum
" numerum nec augeri posse nec minui?

Sed eos variis locis refellit S. Augustinus: " Hæc de his loquor (ait cap. 13. de correp. " & gratia) qui prædestinati sunt in regnum " Dei, quorum ita certus est numerus ut nec " addatur eis quisquam nec minuatur ex eis. " Quia omne [inquit, de prædestinatione " sanctorum cap. 16.] quod dedit ei Pater, " non perdet ex eo quidquam. Quisquis er- " go inde est, omnino non perit: nec erat " inde qui perit: " nimirum juxta promissa Christi Joan. cap. 10. v. 28. " *Ego vitam " æternam do eis, & non peribunt in æter- " num, & non rapiet eas quisquam de ma- " nu mea.*

XLVI.

"Hæc ipsa Augustini sententia fuit, cu- " jus perpetua fere & constans doctrina est, " non dari electionem unius præ alio, ubi " non sit distantia meritorum pag. 13. lin. 31.

XLVII.

"Ideo enim Paulus præ Juda electus; " quia Paulus vocationi consensurus, Judas " dissensurus prævidetur, sicque unus præ- " mio, alter supplicio dignus. pag. 14. lin. 26.

RESPONSIO.

Scribit Augustino Prosper, Semipelagianorum definitionem ac professionem esse: "Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse prævidit." Sed eos disertè refellit de prædestinatione Sanctorum cap. 18. „ Intelligamus ergo vocationem, "qua fiunt electi, non qui eliguntur, quia "crediderunt, sed qui eliguntur ut credant. "Hanc enim & Dominus ipse satis aperit "ubi dicit, *Non vos me elegistis sed ego elegi vos.* „ Nam si propterea electi erant quia crediderant: ipsi eum priùs utique elegerant credendo in eum, ut eligi mererentur . . . . . hæc est immobilis veritas prædestinationis & gratiæ. Et de dono perseverantiæ cap. 9. „ Hoc "scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas Sanctas defendimus, nisi errando disputare "potuisse.

Addit Cardinalis Norisius in Vindiciis Augustin. cap. 3. §. 7. *Sententiam illam de gratuita prædestinatione ad gloriam ante prævisa*

visa merita docuere S. Prosper, S. Fulgentius, Patres Africani in Epistola Synodica, aliique tanta certitudine, ut hæc dixerit S. Fulgentius, imo cum Fulgentio Patres Synodi Sardiniensis in fine libri de Incarnatione & Gratia:
„Deus enim qui hominem condidit, ipse
„prædestinatione sua, & donum illumina-
„tionis ad credendum, & donum perseve-
„rantiæ ad proficiendum, atque permanen-
„dum, & donum glorificationis ad regnan-
„dum quibus dare voluit, præparavit. Qui-
„que non aliter perficit ex opere, quam in
„sua sempiterna atque incommutabili habet
„voluntate dispositum: cujus prædestinationis
„veritatem, quâ nos ante mundi constitu-
„tionem prædestinatos in Christo testatur
„Apostolus, si quis detrectat cordis credu-
„litate recipere, vel oris confessione pro-
„ferre, si ante ultimum diem vitæ præsentis,
„impietatis suæ contumaciam, qua Deo
„vivo & vero rebellis obsistit, non abjece-
„rit, manefestum est eum non pertinere
„ad eorum numerum, quos Deus in Christo
„ante mundi constitutionem gratis elegit &
„prædestinavit ad regnum.

Addit ex Cardinali Baronio ad annum 490. „Cum igitur Fausti sententiæ ubique
„ab Ecclesia fuerit contradictum, videant
„quanto periculo quidam ex recentioribus,
„dum in novatores insurgunt, ut eos con-

„ futent, a Sancti Augustini de prędestina-
„ tione sententia recedunt, cum alioqui
„ arma non desint, quibus adversarii pro-
„ fligentur.

Præterea ex Claudio Aquaviva Societatis Generali de Opinionum delectu: „ Item
„ definitum est, prædestinationis nec ratio-
„ nem nec conditionem esse ex parte nostra.
„ Id ad pietatem parum pertinere dicet ali-
„ quis. At hanc Augustini doctrinam non
„ modò communiter Theologorum schola
„ jam recepit, sed & Ecclesiæ Patres per
„ mille & ducentos circiter annos, qui id
„ contendunt probare ex Scripturis & respon-
„ sis Pontificum Romanorum, nempe Zosi-
„ mi, Sixti, Cælestini, Leonis, Gelasii: apud
„ quos Massilienses, Cassianus, Faustus, alii-
„ que hujus prędestinationis oppugnatores
„ malè semper audierunt.

Accedit quod Card. Bellarminus lib. 2 de gratia & libero arbitrio cap. 11. de eodem dogmate Augustini testetur: „ Neque
„ solùm Sancti Patres hoc affirmant, sed
„ antiquiores & doctiores ex ipsis, quos
„ cæteri postea secuti sunt, ad fidem Ca-
„ tholicam hanc sententiam pertinere tra-
„ dunt & contrariam ad Pelagianos
„ rejiciunt.

XLVIII.

XLVIII.

„Quæ igitur Paulus de gentium vocatione „prosequitur, vera quidem sunt, sed diffi- „cilia intellectu & ideò obscura, non ergo „probationi obnoxia. Pag. 70. lin. 18. agit de cap. 9. ad Rom. v. 12. *non ex operibus sed ex vocante &c.*

RESPONSIO.

Scribit Augustinus Sixto Epis. 194. num 7. „De cujus [gratiæ] commendatione maxi- „mè ad Romanos Apostolica Epistola lo- „quitur, ut inde se prædicatio ejus velut a „Capite orbis toto orbe diffunderet, Quid ergo Apostolo, & veritati Fidei, & Ecclesiæ Romanæ potest esse injuri- riosum magis, quam asserere, ea quæ Paulus ad Romanos, ad Caput orbis de voca- tione gentium locutus est, ut inde hæc præ- dicatio toto orbe diffunderetur, esse obscura & probationi non idonea.

Quin eadem tamquam probationi maxi- mè idonea, præcipuè adhibet Augustinus: nec obscura sed aperta esse testatur in præ- dicta ad Sixtum Epis. num. 35. „Mirum "est autem [inquit] cum his coartantur "angustiis, in quanta se abrepta præcipitent "metuentes retia veritatis: ideo, inquiunt, non- "dum natorum alium oderat, alium dili-

 gebat,

" gebat, quia eorum futura opera prævide-
" bat. Quis iſtum acutiſſimum ſenſum de-
" fuiſſe Apoſtolo non miretur? hoc quippe
" ille non vidit, quando ſibi, velut adver-
" ſantis objectâ quæſtione, non id potius
" tam breve, tam apertum, tam (ſicut iſti pu-
" tant) verum abſolutumque reſpondit: cum
" enim rem ſtupendam propoſuiſſet, quo-
" modo de nondum natis, nec aliquid agen-
" tibus boni aut mali, rectè dici potuerit,
" quod unum Deus dilexerit, alium odio
" habuerit, ipsâ ſibi objectâ quæſtione mo-
" tum exprimens auditoris, *Quid ergo di-*
" *cemus inquit? numquid iniquitas apud*
" *Deum, abſit.* Hic ergo erat locus ut di-
" ceret quod iſti ſentiunt, futura enim Deus
" opera prævidebat, quando minori majorem
" ſerviturum eſſe dicebat. Non autem hoc
" Apoſtolus dicit, ſed potius, ne quiſquam
" de ſuorum operum audeat meritis gloriari,
" ad Dei gratiam & gloriam commendan-
" dum voluit valere quod dixit. Cum enim
" dixiſſet, *abſit* ut ſit iniquitas apud Deum,
" tamquam ei diceremus, unde hoc oſten-
" dis, cum aſſeras *non ex operibus ſed ex vo-*
" *cante dictum eſſe, major ſerviet minori: Moyſi*
" *enim dicit* (inquit) *miſerebor cujus miſertus*
" *ero &c.* Nonne apertam protulit Apoſto-
" lus de gratiæ hoc eſt veræ gratiæ com-
" mendatione ſententiam? Nonne ſtultam
" fecit Deus hæreticorum ſapientiam?

XLIX.

XLIX.

"Non ergo hic (ad Rom. 9. v. 11. & se-"quentibus) disputat Apostolus cur uni ma-"jor, minorve gratia tribuatur? cur unus "ad fidem non alius perveniat? cur unus "ad electos, alter ad reprobos pertineat? "nihil inquam istorum propositum Aposto-"lo fuit, sed tantùm cur Deus voluerit po-"tius per fidem in Christum, quam per "opera legis, in quibus Judæi tantopere "gloriabantur justificari? pag. 79. lin. "penult.

RESPONSIO.

Vetat Tridentinum Seſſ. 4. ne quis contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat: atqui prædicta interpretatio nova est & hactenus inaudita & contra consensum unanimen Augustini, Prosperi, aliorumque Patrum qui Ecclesiæ fideique causam contra Pelagianos & Sempelagianos vindicarunt. Videri potest Augustinus lib. de prædestinatione sanctorum & Ench. cap. 98. & Episſ. 194. ad Sixtum, & Episſ. 186. ad Paulinum, ubi ait: "Quid Apostolo responsuri sunt, qui "cum & hos geminos ad documentum gra-"tuitæ gratiæ commemorandos videret, "*nondum enim natis* inquit &c." Deinde inferius: "Quod quidem in ætatibus majo-

„ ribus adversus contentiosos, non tam evi-
„ denter apparet, ubi pro meritis hominum,
„ qualicumque velut protecti obscuritate, con-
„ fugiunt. Sed ideo contra eorum conten-
„ tionem illos invehit Apostolus, in quibus
„ nondum natis, neque agentibus aliquid
„ boni aut mali, non ex operibus sed ex vo-
„ cante dictum est, major serviet minori.

Præfata *Nodi dissoluti* interpretatio repugnat quoque Scripturis ipsis, totique contextui capitis 9. Quid enim sola verba inspicienti manifestius esse potest, quam ibidem agi de largitione & negatione gratiæ, de electione & reprobatione ubi dicitur:
„ Cum enim nondum nati fuissent aut ali-
„ quid boni egissent aut mali (ut secundùm
„ electionem propositum Dei maneret) non
„ ex operibus sed ex vocante dictum est, quia
„ major serviet minori, sicut scriptum est, Ja-
„ cob dilexi, Esau autem odio habui. Quid
„ ergo dicemus, numquid iniquitas apud
„ Deum? absit, Moysi enim dicit miserebor
„ cujus misereor, &c. ergo cujus vult miseretur,
„ & quem vult indurat. Dicis itaque mihi,
„ quid adhuc queritur? voluntati enim ejus
„ quis resistit? O homo tu quis es qui respon-
„ deas Deo? numquid dicit figmentum ei
„ qui se finxit, quid me finxisti? An non ha-
„ bet potestatem figulus luti ex eadem massa
„ facere aliud quidem vas in honorem, aliud
verò in contumeliam? &c. His omnibus,
si

si *Nodo* credimus, non agitur de largitione aut negatione gratiæ, de electione aut reprobatione, sed solùm, cur Deus voluerit potius per fidem in Christum, quàm per opera legis hominem justificari.

De Gratiâ.

L.

"Fixum ergo ratumque sit, nihil aliud ex "sententia S. Augustini gratiam effectricem "esse, quam cognitionem congruam. pag. 217. lin. 4.

LI.

"Unicornem quamvis indomitum, visâ "virgine mansuescere & in genua procum- "bere, elephantem naturâ mitem, aspectu "purpuræ in rabiem agi, vertique in fugam "certissimum est, quid ergo mirum aliquid "esse quod etiam voluntatem, si ostendatur, "certissimè in aliam mutet? ostendere verò "ad gratiam pertinet. pag. 213. lin. 12.

LII.

"Si ergo in mollienda flectendaque vo- "luntate tanta vis cantûs, quantò major vis "gratiæ? & si ad eam superandam tantùm "valet proportio soni, quantò magis vale-

"bit proportio & cognitio boni, quod proprium illius objectum est. pag. 214. lin. 32.

RESPONSIO.

Quatuor sunt in materia gratiæ, quæ contra inimicos ejus singulari curâ defendit Ecclesia & tutor gratiæ Augustinus: nempe 1. natura & essentia gratiæ. 2. ejus efficacia. 3. quod non detur omnibus. 4. quod non detur secundum merita. Quæ omnia Auctor *Nodi dissoluti* eo studio impetit, quo propugnare debuerat: ac quidem quod ad 1. ad naturam gratię attinet, in cognitione boni eam constituit, sicut manifestum est, tum ex tribus propositionibus præfatis: tum ex objectionibus & responsione pag. 217. ubi contra suam doctrinam objicit: „Dices voluntas hominis est intrinsecè ac physicè impotens ad actum supernaturalem, v. g. amoris, veræque contritionis, at per solam propositionem objecti, sanctasque inspirationes & illustrationes (quæ tantùm moraliter movent) non potest phisicè fieri potens, debet ergo fieri talis non solùm per objecti propositionem, hactenus a nobis explicatam, sed per aliquam qualitatem ordinis supernaturalis &c. Rursus, bonitas objecti quamvis infiniti, quamvis clarissimè & vivacissimè propositi, extra visionem

bea-

"beatificam, voluntatem relinquit indiffe-
"rentem & indeterminatam ad amandum &
"non amandum, debet ergo præter cogni-
"tionem objecti aliud principium effecti-
"vum admitti, a quo determinetur &c.
"Resp. nec nobis [inquit] nec aliis
"quibuscumque, rem bene citraque affectum
"ac privatum explicandi studium conside-
"rantibus, hanc explicandi gratiæ efficacis
"rationem probari posse.

Hinc etiam admonitiones, & res externas, doctrinam, exempla, divina supplicia, stimulos & remorsus conscientię quibus perditissimi agitantur in furias rabiemque, pro gratiis Christi computat. Atque inde operosè probat, gratiam nec Pharaoni, nec Herodi, nec Neroni aut Tiberio, aut sceleratissimo cuiquam defuisse. Quid inter gratias Christi numeret, clarè ostendit pag. 106.
„Comparet enim aliquis (ait) gratias ex una
„parte Zachæo, ex aliâ Judæ datas, vide-
„bitque longè majores fuisse quibus hic re-
„probus ad pœnitentiam vocatus est. Za-
„chæum enim semel tantùm Christus invi-
„sit, cum eoque pransus est, & tamen so-
„lo aspectu & colloquio in alium mutavit,
„at Judam & amicum,& Apostolum,& Thau-
„maturgum, & convivam, & testem omnium
„miraculorum actionumque suarum habuit,
„quarum vel una durissimis cordibus in a-

„morem rapiendis sufficere poterat. Illum „beneficiis, illum minis, illum osculis, il„lum tot annorum convictu, velut perpetuâ „obsidione pulsavit, nec tamen vicit. Ne„gari ergo non potest, plura huic reprobo „auxilia quam prædestinato Zachæo impen„sa fuisse.

Ecce *Nodi Dissoluti* gratia, Christi aspectus, colloquium, accubitus, exhibitio miraculorum & actionum, minæ, convictus; quę omnia ad solam boni cognitionem pertinent, quam Augustinus tamquam Pelagianis charam meritò rejecit, tum alibi sæpius, tum lib. de spiritu. & litera cap. 19. „Ne„mo ergo Christianorum aberret ab hâc fi„de quæ sola Christiana est, neque quis„quam cum verecundatus fuerit dicere, per „nos ipsos fieri nos justos, non hoc in no„bis operante gratiâ Dei, quia videt hoc a „fidelibus & piis ferri non posse cum di„citur, ad hoc se convertat ut dicat (scili„cet cum Pelagianis) ideò sine operatione „gratiæ Dei nos justos esse non posse, quia „legem dedit, quia doctrinam instituit, quia „bona præcepta mandavit. Illa enim sine „adjuvante spiritu procul dubio est litera „occidens: cum verò adest vivificans spi„ritus, hoc ipsum intus conscriptum, facit „diligi quod foris scriptum lex faciebat ti„meri. „ Inde & S. Prosper Carmine de in-

ingratis hanc pelagianam gratiam explodit.

„Vincente obſtantes animos pietate ſubegit :
„Non hoc conſilio tantùm, hortatuque benigno
„Suadens atque docens, quaſi normam legis haberet
„Gratia : ſed mutans intus mentem atque reformans . . . .

„Dumque aliud non eſt vobiſcum gratia quam lex
„Quamque Propheta monens & quam doctrina miniſtri . . . .

„Quid prodeſt verbis commentum pelagian.
„Reſpuere & ſolâ damnatos plectere voce,
„Cum paucis ſqualidâ ſublatis de cute nervis,
„Intima viperei foveantur viſcera ſenſus ?

LIII.

„Voluntas enim non appetit niſi aliquod „bonum, neque fugit & averſatur niſi ali„quod malum : ſi ergo impudico propona„tur caſtitas, non ſolùm ut bonum ſed e„tiam ut magnum bonum, magniſque præ„miis donandum, nec cum Dei auxilio dif„ficile (ut revera non eſt) impuritas verò „non ſolùm ut res vana brevique ceſſatura, „verùm etiam ut maximum malum, & gra„viſſimis pænis cum æternis tum tempora„libus obnoxium, voluntas hanc averſabitur, „quia propoſitam inſtar maximi mali, il-

„lam

„ lam verò amplectetur, quia propositam in-
„ star maximi boni, pag. 211. lin. 13.

LIV.

„ Hoc enim est voluntati bonum & malum, quod lanci majus minusque pondus, sicut ergo majus pondus lancem ad se trahit, ita majus bonum volnntatem. ibidem lin. 21,

LV.

„ Sicut ergo parva scintilla magis urit, quam magnum incendium, non quia major, sed quia vicinior, ita aliquod bonum sæpe voluntatem plus movet, non quia majus sed quia notius. ibid. lin. 29.

RESPONSIO.

Ita Auctor prosequitur systema suum, quo gratiam Christi in congruâ boni cognitione constituit, quasi ad amplectendam v. g. castitatem, sufficeret bonum & pretium ejus novisse, nec requireretur insuper, quod requirit doctrina Fidei & Ecclesiæ, ut gratia cor & affectum ad eam inclinaret & flecteret.

LVI.

„ Idem de gratia dicendum, numquam videlicet gratiam & vocationem externam sine interna esse pag. 131. lin. 36.

Quod

LVII.

„ Quod tantò certius eſt, ſi & ordinem „naturæ & officium Angeli tutelaris attendas: ordinem quidem naturæ, quia cum „objecta externa ſenſum, ſenſus phantaſiam, phantaſia intellectum, intellectus voluntatem quodam nexu ac ſerie cauſandi „naturaliter moveant, fieri non poteſt, ut „ex iis quæ foris audiuntur, & ſpectantur, „non proportionatæ pareſque illis externis „in intellectu & voluntate ipſâque conſcientiâ „cogitationes, cognitiones, trepidationes, alii que motus & affectus animi exiſtant. ibid. lin. penult.

RESPONSIO.

En totum novi ſyſtematis myſterium, ſpiritum, ſeriem: nempe phantaſia movet intellectum, & intellectus naturaliter voluntatem; ergo fieri non poteſt ut non exiſtant in animo proportionati rebus ſpectatis cognitiſque affectus, ergo fixum ratumque ſit oportet, gratiam Chriſti nihil aliud eſſe quam cognitionem congruam. Ergo gratia & vocatio externa numquam eſt ſine interna, cum tamen veritas ipſa teſtetur Marci 4. v. 11. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: illis autem qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt, ut videntes videant & non videant*

deant, & audientes audiant & non intelligant, nequando convertantur & dimittantur eis peccata. Quod apud Matth. cap. 13. ita exprimitur *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum &c.*

LVIII.

"Zachæum enim semel tantùm Christus "invisit, cum eòque pransus est & tamen "solo aspectu & colloquio in alium mu"tavit. pag. 106. lin. 35.

Responsio.

Sunt quidem illa satis conformia novo systemati, sed non satis consona doctrinæ Scripturarum & Ecclesiæ, juxta quam non solo aspectu & colloquio Zachęus conversus est, sed per gratiam interiorem intellectûs & voluntatis, quæ abstulit ei cor lapideum, deditque cor carneum.

LIX.

"Ita omninò sentiendum est, nullum in "Europa, nullum in Asia, nullum in Afri"ca Americaque hominem esse, qui viso "pulcherrimo hoc mundi opere, non quo"dam naturali instinctu ad Opificem cog"noscendum, amandum, colendumque mo"veatur? aut si fingas contra quam in brutis

"brutis experimur, tantùm hominis natu-
"ram & rationem non posse &c. pag. 148.
lin. 12.

RESPONSIO.

Aliter profectò Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio num. 37. Unde est
" in hominibus charitas Dei & proximi, ni-
" si ex ipso Deo? nam si non ex Deo,
" sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si
" autem ex Deo, vicimus Pelagianos.

LX.

„Sciendum enim hanc esse libertatis
„creatæ naturam, ut quamcumque etiam
„efficacissimam gratiam possit eludere
„cassamque reddere, quod si potest, quid
„mirum est, si aliquando agat pag. 9.
„lin. 7.

RESPONSIO.

Imo tam mirum, ut omnium scholarum, etiam Molinianæ, lingua ac sententia constanter neget, a libertate creata efficacissimam gratiam aliquando eludi cassamque reddi, quamquam fateantur omnes voluntatem posse gratiæ dissentire si velit, sed dum est efficacissima, nunquam dissentire volet. „Hoc
„nisi credamus (ait Aug. Ench. cap. 96.)
„periclitatur ipsum nostræ Confessionis ini-
„tium, quâ nos in Deum Patrem omni-
po-

„ potentem credere confitemur, neque enim „ ob aliud veraciter vocatur omnipotens, „ nisi quoniam quidquid vult potest, nec „ voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis „ omnipotentis impeditur effectus.

Exhibitam propositionem refellit quoque Augustinus in Vitali Carthaginensi Epist. 217. ad eundem: „ Quid est ergo inquit quod „ ait Apostolis: *Deus in vobis operatur & „ velle & perficere?* Respondes per legem „ suam, per Scripturas suas Deum operari ut „ velimus, quas vel legimus vel audimus: sed „ iis consentire vel non consentire ita nostrum „ est, ut si velimus fiat, si autem nolimus, „ nihil in nobis operationem Dei valere fa-„ ciamus. Operatur quippe ille, dicis, quan-„ tùm in ipso est, ut velimus cum nobis „ nota fiunt ejus eloquia: sed si eis aquiescere „ nolumus, nos ut operatio ejus nihil in „ nobis prosit, efficimus. Quæ si dicis, pro-„ fectò nostris orationibus contradicis „ Addit num. Hanc „ esse illam Pelagianorum malam „ malè diffamatam, meritòque reprobatam „ sententiam.

XLI.

Pag. 121. pro §. 4. titulum statuit: „ Sæpe „ reprobis & renuentibus æquales aut etiam „ majores gratias dari quam electis & con-„ sentientibus, neque tantùm externas, verùm „ etiam, multòque magis internas.

LXII.

„Comparet enim aliquis gratias, ex una „parte Zachæo, ex altera Judę datas, videbitque longè plures & majores fuisse quibus hic reprobus ad pœnitentiam vocatus „est . . . negari ergo non potest plura huic „reprobo auxilia, quam prædestinato Zachæo “impensa esse. Pag. 106. lin. 33.

LXIII.

„Plura remedia Judæ reprobo adhibita, „quam Petro electo pag. 107. lin. 29.

RESPONSIO.

Addit Auctor conformem propositionibus probationem, dignum patellâ operculum: „Zachæum enim, (inquit,) semel tantùm „Christus invisit, cum eoque pransus est, „& tamen solo aspectu & colloquio in alium mutavit, at Judam & amicum, & „Apostolum, & Thaumaturgum, & convivam, & testem omnium miraculorum „actionumque suarum habuit, quarum vel „una, etiam durissimis cordibus in amorem „rapiendis sufficere poterat. Illum beneficiis, „illum minis, illum osculis, illum tot annorum convictu, velut perpetuâ obsidione „pulsavit, nec tamen vicit: negari ergo non „potest, ait, plura huic reprobo auxilia „quam prædestinato Zachæo impensa esse.„ Sci-

Scilicet si prandia, aspectus Christi, colloquium, convictus, miracula, minæ, oscula juxta novellum systema pro Christi gratiis computentur.

Sed omninò negandum est reprobum plus veræ Christi gratiæ, quam prædestinatum accipere, *Quoniam diligentibus Deum*, ait Apost. ad Rom. 8. *omnia cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.* Et hæc sola gratia longè omnibus reproborum gratiis præponderat. Omnes insuper electi accipiunt, quod reproborum nemo, magnum illud perseverantiæ donum, pignus & introitum æternæ beatitudinis, quod rursus temporales reproborum gratias immensum superat.

Profectò si reprobus & renuens æquales vel majores gratias accipiat, quam electus & consentiens, ergo electum a reprobo non discernit gratia, sed liberum arbitrium: ergo electus non potius quam reprobus accepit a Deo donum perseverantiæ, quandoquidem uterque supponatur accepisse æquè multum: ergo electus non tenetur plus gratiarum referre Deo, quam reprobus, quæ omnia Scripturis, & Fidei, & Sanctorum sensui clarè adversantur.

LXIV.

LXIV.

" Augustinus lib de prędestinatione & gra-
" tia cap. 15. quærens quid causę fuerit ut
" Nabuchodonosor non Pharao rex punien-
" tem Deum agnosceret, respondet: id non
" ad Dei præscientiam referendum esse, non
" ad disparem causam, non ad conditio-
" nem & dignitatem inæqualem, non ad
" defectum externæ aut internę vocatio-
" ni, sed ad solum merumque arbitrium
pag. 136. lin. 9.

RESPONSIO.

Tripliciter hic erratur 1. quia Augustino tribuitur libellus de prędestinatione & gratia, quem post Lovanienses PP. Benedictini in appendice inter subdititia opuscula rejiciunt, præmonentes : " Præterire non licet, " quod observatu dignum Bellarminus, " Possevinus, aliique existimarunt, nimirum " in eo libro quædam reperiri doctrinæ Au- " gustini contraria, quæ Cassiani sensus re- " dolere videantur. " 2. Citatus libellus disparem Nabuchonosoris agnitionem non mero arbitrio, sed divino tribuit subsidio, quod illi affuit, defuitque Pharaoni : nam post verba in *Nodo* pag. 137. relata ,, Pugnavit ,, arbitrio ,mox, sequitur : Hic quicumque res- ,, pondet, illi ut mutaretur, affuisse divinum, huic

" huic ut induraretur, defuisse præsidium, & " hoc contendit injustum, propter quod re" rum ipsarum fines in Dei voluntate con" stituens dixit Apostolus, *cujus vult mise" retur & quem vult indurat* dicente Domi" no *sine me nihil potestis facere*, in" telligat illa omnia vel adjuvante Domino " perfici (scilicet agnitionem Nabuchodono" soris) vel deserente permitti (videlicet in" durationem Pharaonis.)

3. Etsi suspectum opusculum de prædestinatione & gratia traderet, quod ei falsò adscribitur, referendum esse ad solum merumque arbitrium, quod Nabuchodonosor non Pharao Rex punientem Deum agnosceret, nequaquam a *Nodo Dissoluto* probandum sed improbandum erat, cum directè adversetur Scripturis: *Quis te discernit? sine me nihil potestis facere.* Nec his contraria docet Augustinus sive lib. 12. de Civitate Dei, sive alibi, sed id solùm, quod de prædestinatione Sanctorum cap. 6. tradit " Multi audi" unt verbum veritatis, sed alii credunt alii " contradicunt. Volunt ergo isti credere, no" lunt tamen illi. Quis hoc ignoret, quis " hoc neget? sed cum aliis præparetur, aliis " non præparetur voluntas a Domino, di" scernendum est utique, quid veniat de mi" sericordia ejus, quid de judicio.

LXV.

" Nemo paria ab iis exigit quibus paria
" non dedit. pag. 134. lin. 2.

LXVI.

" Ut verò quis arguatur comparativè ad
" alium, necessaria est paritas virium, com-
" paratio enim est æqualium, non inæquali-
" um. ibid. lin. 16.

RESPONSIO.

Sæpius in Scripturis aliqui comparativè arguuntur quamvis nullo, significetur indicio paritas virium & gratiarum in comparatis: Sic Christus Lucæ 7. arguit Pharisæum comparatum peccatrici mulieri: Sic Paulus ad Rom. 2. arguit perfidos Judæos cum fidelibus gentilibus comparatos: *judicabit*, ait, *id quod ex natura est præputium legem consummans, te qui per literam & circumcisionem prævaricator legis es.* Sic latro impius pendenti in cruce Christo maledicens, præ latrone bono arguitur. Imo Ecclesia, Christi nomine in Officio feriæ 6. in Parasceve arguit Judæos comparativè ad Christum, & tamen hæresis foret iis tantas, quantas Christo gratias tribuere: *Popule meus*, ait, *quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi. Ego te exaltavi magnâ virtute, & tu me suspendisti*

in patibulo crucis. Postremò per illustrem admodum comparationem malos a sinistris, bonos a dextris constituendos fore prædicit Christus Matth. 25. & illos præ his arguendos & damnandos his verbis : *Discedite a me maledicti in ignem æternum : esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Cum tamen ab omni veri specie alienum sit fore, ut omnes reprobi æquales gratias habuerint ac omnes electi, v. g. ac Diva virgo & Apostoli. Itaque ut alter præ altero justè arguatur, satis est quod uterque bonum facere debuerit, potueritque, & alter fecerit, alter voluntariè ac liberè omiserit. At nequaquam requiritur virium aut gratiarum paritas.

LXVII.

" Non posset Judæis impænitentia præ Si-
" doniis exprobrari, si utrisque æqualiter
" quidem Christus prædicaret, æqualiter mi-
" racula ederet, sed non utrisque gratiam
" internam æqualiter daret. pag. 131. lin. penult.

LXVIII.

" Aut ergo injusta exprobratio Judæorum
" præ Sidoniis fuit: aut si justa, non minus
" per internam vocationem Judæi quam Si-
" donii ad exeundum & pœnitendum adjuti. pag. 133. lin. 12.

LXIX.

„Dicunt alii ideò Judæos præ Sidoniis
" objurgatos esse, quia pares Sidoniis quoad
" gratiam sufficientem erant, quâ poterant
" pænitere, licet impares essent quoad gra-
" tiam efficacem & ad actum prædetermi-
" nantem, quæ solis Sidoniis destinabatur.
" Sed planè si affectus vel præventio absit,
" nemo non videt quàm parum hæc res-
" ponsio ad rem præsentem faciat. ibidem
lin. 25.

RESPONSIO.

Jam ostensum est, a Scripturis alterum præ altero argui, etsi minori gratiâ interiori præventum, ergo justè Judęis sua fuit impœnitentia exprobrata, etsi Sidonii non nisi per majorem gratiam eam erant evitaturi.

LXX.

„Aut ergo ex mente Augustini nemini
„ hæc gratia (orandi) deest, aut si alicui de-
„ est, erit aliquis sanæ mentis, qui furando,
„ occidendo, adulterando, blasphemandoque
„ nihil peccabit. pag. 184. lin. 16.

RESPONSIO.

Fatetur Auctor absurdissimum esse consequens, sed tamen rectè se qui ex illo ante-

tecedente, *Deest alicui orandi gratia*, quod proinde æquè absurdum judicat, cum tamen infidelibus gratiam orandi deesse doceat Apostolus ad Rom. 10. *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodò credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Quomodò gratiam orandi habebant, qui certissimum tenebant, virtutem non a Deo, sed a seipso petendam, de quibus Cicero lib. 3. de Nat. Deorum, Cottæ nomine: „ Jovemque optimum Maximum ob eas res appellant, non „ quod justos, temperatos, sapientes efficiat, sed quod salvos [incolumes] opulentos, copiosos . . . . . . judicium hoc omnium mortalium est, fortunam a Deo petendam, a seipso sumendam sapientiam. Sic quoque Seneca Epis. 41. „ Quid votis „ opus est? fac te ipse felicem. Facis rem „ optimam & tibi salutarem, si, ut scribis, perseveras ire ad bonam mentem, quam „ stultum est optare cum possis a te impetrare. „ Communem generis humani præsumptionem canit Horatius lib. 1. Epist. 18.

„ Hæc satis est orare Jovem, quæ donat & aufert

„ Det vitam det opes, æquum mî animum ipse parabo.

LXXI.

LXXI.

„Nullo peccato omnis gratia ſufficiens „& remota, hoc eſt gratia petendi, amittitur. pag. 184. lin. 21.

LXXII.

„Sine qua in ſtatu naturæ corruptę nulla „poteſtas eſt obſervandæ legis divinę. ibidem lin. 15.

RESPONSIO.

Ergo juxta hoc ſyſtema, nequidem eo peccato gratia ſufficiens amittitur, quo impius aliquis in odium Dei omnem gratiam ſpernit, nullamque vult accipere. Ergo etiam invito cogitur Deus ſuas gratias infundere. Ergo mortuus eſt Chriſtus, ut redderet homini liberum arbitrium, quandoquidem addat Autor, ſine gratia ſufficiente tolli libertatem & poteſtatem obſervandæ legis divinę. Ergo juxta hunc Auctorem, mortales omnes, qui ſine gratia Chriſti non poterant actualiter peccare, nec damnari, nec eſſe miſeri, nec innocentiam perſonalem amittere, quod cęleſti regno putat anteponendum, facti ſunt per mortem & ſanguinem Chriſti peccatores, damnati, miſeri & rei infelicis æternitatis, puſillo grege excepto.

Aliter ſanè Auguſtinus Epiſ. 194. ad Sixtum, ſimili excuſationi, quæ ex defectu

gratiæ fingitur, respondet: „Sed excusabunt „se [inquit] homines, qui nolunt rectè & „fideliter vivere dicentes, quid nos fecimus „qui malè vivimus, quandoquidem gra- „tiam unde benè viveremus non accepimus? „non possunt veraciter dicere nihil mali se „fecisse, qui malè vivunt: si enim nihil „mali faciunt, benè vivunt: si autem malè „vivunt, de suo malè vivunt, vel quod ori- „ginaliter traxerunt, vel quod insuper addi- „derunt.

LXXIII.

„Quibus ergo credendus est Deus gratiam, „& misericordiam negare, quam non An- „tichristo, non Pharaoni, non perfidissimis „Judæis negat? pag. 177. lin. 22.

LXXIV.

„Tertiò (observetur) Deum quamvis de- „sertum, numquam tamen ita hominem li- „cet obstinatissimum deserere, ut non ei „gratiam tribuat, qua & possit pœnitere, „imo & qua actu pœniteat si velit: ut Pha- „raonis exemplo patuit, qui Deo flagellante „jam in Moysen exarsit, eique mortem „minatus est, jam pœnituit, suumque pec- „catum & agnovit & palam confessus est. pag. 99. lin. 5.

RES-

RESPONSIO.

Non potuiſſet Autor quamvis datâ operâ evidentius contradicere Apoſtolo, quàm ſtatuendo pro exemplo miſericordiæ divinæ, & negandæ nemini gratiæ Pharaonem, quem pro exemplo obdurationis & negatæ miſericordiæ ſtatuit orbi univerſo Deus & Apoſtolus ad Rom. 9. *Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra: ergo cujus vult miſeretur & quem vult indurat.*

LXXV.

„Planè tam portentoſa illius (Tiberii) flagitia, tam diuturna fuêre, præſertim ubi in Capreas inſulas toto ſeptennio ſe abdidit, ut nullus æquè deſeri a Deo mereretur, & tamen tantùm abfuit deſertum eſſe, ut maximis argumentis ad Dei cognitionem & ſcelerum pœnitentiam vocaretur. pag. 95. lin. 18.

LXXVI.

„Poſtquam vidimus Deum etiam Tiberio ac Neroni peſſimis omnium tam propitium fuiſſe, nihil opus eſt alios Imperatores adjicere, quis enim ſuſpicari poſſit Deum alicui defuiſſe, qui non defuit Neroni?

„roni ? nemo isto pejor, nemo indignior, „nec tamen desertus pag. 197. lin. 29.

RESPONSIO.

Quosdam in pœnam peccatorum a Deo deseri docet manifestè Apostolus ad Heb. 6. v. 7. *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem spinas ac tribulos reproba est & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.* Et ad Rom. cap. 1. refert Deum in punitionem superbiæ tradidisse quosdam in *desideria cordis eorum*, *in immunditiam*, *in passiones ignominiæ*, *in reprobum sensum*. Hi non censendi sunt fuisse a Deo deserti? Dum definit Tridentinum Sess. 6. cap. 11. *Deus namque suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*, quid aliud docet, quam aliquos a Deo deseri, si prius eum deseruerint?

LXXVII.

„Omnes omninò ad pœnitentiam invitat, „ergo dat etiam auxilium quo possint pœ„nitere, alioquin ad impossibile invitaret, „hoc est ad volandum, non datis alis, ad „transfretandum, non datâ navi pag. 178. lin. 3.

LXXVIII.

LXXVIII.

„Omnia ſupponunt hæc fieri poſſe, & „conſequenter gratiam ſaltem remotam, hoc „eſt orandi & petendi, omnibus dari, alio- „quin fruſtra peccatores ad rem impoſſibi- „lem invitarentur pag. 184. lin. 3.

RESPONSIO.

Reſpondet cum S. Auguſtino D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 5. ad. 1. „Si in poteſtate „hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio „gratiæ, ſic ad multa tenetur homo, ad quæ „non poteſt ſine gratia reparante, ſicut ad „diligendum Deum, & proximum, & ſi- „militer ad credendum articulos Fidei. Sed „tamen hoc poteſt cum auxilio gratiæ; „quod quidem auxilium quibuſcumque di- „vinitus datur, miſericorditer datur: qui- „bus autem non datur, ex juſtitia non da- „tur, in pœnam præcedentis aut ſaltem ori- „ginalis peccati. Ut Auguſtinus dicit lib. „de correptione & gratia.

Cæterùm etiam orandi gratiam quibuſdam, ac præſertim infidelibus, deeſſe, ſupra ad propoſitionem 71. oſtenſum eſt, nec tamen ideò eis eſt impoſſibilis pœnitentia, ſicut eſt impoſſibile volare non datis alis, & tranſfretare non datâ navi, cum inter hæc ſit immenſa diſparitas: „Non enim (ait

" Aug. lib. 3. de lib. arbitrio num. 7.) pos-
" ſes aliud ſentire eſſe in poteſtate noſtra,
" niſi quod dum volumus facimus. Qua-
" propter nihil tam in noſtra poteſtate quam
" ipſa voluntas eſt. „ Atqui deſtitutus gratiâ
pænitentiam agit quando vult, & ſatis vult,
ſed deſtitutus alis non volat, quando vult,
etſi ardentiſſimè velit.

LXXIX.

„ Quæ omnia eò ſpectant, ut oſtendam
„ omnibus qui ad legem Evangelicam invi-
„ tantur, reprobis videlicet electiſque, gratiam
„ non qualemcumque ſed talem offerri, quâ
„ lex Evangelica ſuavis, faciliſque obſerva-
„ tu fiat, quod niſi eſſet, gratia vix dici
„ poſſet, cum difficultas diuturna opus cui
„ annexa eſt, moraliter impoſſibile reddat.
pag. 128. lin. 18.

LXXX.

" Eas gratias & auxilia omnibus promit-
" tunt (Moyſes & Apoſtolus) quibus non
" utcumque, ſed tam facilè commodèque
" legem obſervarent, quàm facilè ea vide-
" mus & tangimus, quæ nobis vicina & an-
" te oculos poſita ſunt. pag. 116. lin. 4.

RESPONSIO.

" Vis audire (ait Hieronymus lib. 2. adver-
" ſus Pelagianos cap. 5.) facilitatem præ-
" ceptorum Dei? auſculta quod dicitur:
" *Quam arcta via & anguſta eſt quæ ducit ad*
" *vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam.*
" Non dixit qui gradiuntur per eam, hoc
" enim difficillimum eſt, ſed qui inveniunt
" eam: pauci enim inveniunt, multò pau-
" ciores ingrediuntur per eam. „ Quam procul hæc diſtant ab illa facilitate, qua ea videmus & tangimus, quæ nobis vicina & ante oculos poſita ſunt. Utraque inſuper propoſitio clarè repugnat Evangelio Mat. 11. v. 12. *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud.* Et Luc. 13. v. 24. *Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare & non poterunt.*

LXXXI.

" Quis ergo, niſi planè deſipiat, ſuſpi-
" cari poſſet in omnes creaturas tam copio-
" ſum, tam ſplendidum, in ſolos homines;
" tam parcum modicumque fuiſſe, ut eis
" quæ ad animæ ſalutem neceſſaria ſunt,
" aut ſubtrahat, aut tam inclementer avarè-
" que ſuppeditet, ut difficilimè ægerrimèque
" conſequi eam poſſint . . . . pag. 141.
lin. 20.

LXXXII.

"Quæ si tam absurda sunt, ut in nullum "hominem cadant, quantò minùs cadent "in Deum? aut ergo Deus talis non est, "qualem nobis Scripturę & ratio depingunt, "aut si talis est, non minùs in homines "quam in alia benignus, quæ homini servi- "unt. pag. 142. lin. 8.

RESPONSIO.

Talia inurit stigmata doctrinæ quæ censet non dari omnibus sufficientes gratias. Judicet Ecclesia an tam acerbas inclementesque censuras mereantur dogmata Augustini: "Quæ (inquit Epis. 217. ad Vitalem) ad fi- "dem veram & Catholicam pertinere fir- "missimè scimus. Scimus (gratiam Dei) "non omnibus hominibus dari, & quibus da- "tur, non solùm secundùm merita ope- "rum non dari, sed nec secundùm merita "voluntatis eorum quibus datur, quod maxi- "mè apparet in parvulis. Scimus eis qui- "bus datur, misericordiâ Dei gratuitâ dari. "Scimus eis quibus non datur, justo judicio "Dei non dari." Tantas censuras merentur tutissima & inconcussa dogmata?

LXXXIII.

"Id verò quod Augustinus ex professo con-

" contra Pelagium defendit, non aliud fuit " quam gratiam non ex præcedente merito, " sed ex solo Dei proposito, meroque bene- " placito conferri. pag. 56. lin. 30.

LXXXIV.

" Reliqua, quæ velut incidenter & hanc " causam comitari poterant, Augustinus aut " omisit tamquam occulta, aut incerta, aut " se ignorare professus est; aut disputando, " aut inquirendo potiùs, quam decidendo " scripsit. ibid. lin. 34.

RESPONSIO.

Id quidem optarent illi, qui multa docent opposita manifestè iis, quæ Augustinus cum plausu Ecclesiæ contra Pelagium defendit. Verùm contra eumdem se alia plura defendisse, tanquam indubitata, testatur ipse Augustinus Epis. 217. ad Vitalem, cui duodecim de gratia articulos tradit, „ Quos " ad fidem veram & Catholicam pertinere, " [inquit] firmissimè scimus." Et inter eos quidem sequentes quoque statuit uti jam dictum est: „ Scimus majoribus ad singulos " actus dari. Scimus non omnibus homini- " bus dari. Scimus eis quibus non datur, " justo judicio Dei non dari.

Præterea de gratiæ natura, & efficacia lib. de gratiâ Christi cap. 10. defendit contra

Pelagium sequentia : „ Nos eam gratiam „ volumus iste aliquando fateatur, quâ futu„ ræ gloriæ magnitudo non solùm promitti„ tur, verum etiam creditur & speratur; nec „ solùm revelatur sapientia, verùm etiam ama„ tur. Nec solùm suadetur omne quod bo„ num est, verùm & persuadetur . . . . hanc „ debet Pelagius (quidni & Autor *Nodi dissolu*„ *ti*) gratiam confiteri, si vult non solùm vo„ cari, verum etiam esse Christianus.

Deinde inferius cap. 47. „ Quapropter „ quantùm attinet ad istam de Divina gratia „ & adjutorio quæstionem, tria illa quæ aper„ tissimè distinxit, attendite, *posse*, *velle*, „ *esse*: id est *possibilitatem*, *voluntatem actio*„ *nem*. Si ergo consenserit nobis non so„ lam possibilitatem in homine, etiamsi nec „ velit nec agat benè, sed ipsam quoque volunta„ tem & actionem, id est ut benè velimus & „ benè agamus, quæ non sunt in homine ni„ si quando benè vult & benè agit : si ut dixi „ consenserit etiam voluntatem & actionem „ divinitus adjuvari, & sic adjuvari ut sine il„ lo adjutorio nihil benè velimus & agamus, „ eamque esse gratiam Dei per Jesum Chri„ stum Dominum nostrum, in qua nos suâ, „ non nostrâ justitiâ justos facit, ut sit vera „ nostra justitia, quæ nobis ab illo est, nihil „ de adjutorio gratiæ Dei, quantùm arbitror, „ inter nos controversiæ relinquitur. „ Ergo

plu-

plura alia tamquam certa & indubitata Fidei dogmata de gratia contra Pelagium defendit Augustinus præter illud, gratiam non ex precedente merito dari.

LXXXV.

" Planè ipsa divinæ bonitatis ratio exigit, ut " in dandis majoribus aut minoribus gratiis, " major minorve necessitas & infirmitas pecca- " toris attenderetur, ideo enim plura remedia " Judæ reprobo adhibita quam Petro electo, " quia illi gravior morbus, & ideò pluribus " remediis curandus pag. 107. lin. 26.

RESPONSIO.

Nunc videndum, quantùm Autor impingat in articulum, de quo ipse pag. 56. tradit sequentia: " In iis ergo quæ Augusti- " nus contra Pelagianos aut Semipelagianos " de gratia disputavit, certum est neminem " illo pulchrius, fortius, eloquentius, ac " verius scripsisse, adeo ut quidquid Eccle- " sia de gratia credendum proposuit, id " totum non ex sententia tantùm, sed etiam " ex verbis Augustini definiverit. Id verò " quod Augustinus ex professo contra Pela- " gium defendit non aliud fuit (falsum id quidem sed nobis modò non inopportunum) " quam gratiam non ex præcedente merito, " sed ex solo Dei proposito meroque bene- " placito conferri; hic cardo, hic scopus om-

"omnium Augustini de gratia disputatio-"num." Et hunc quidem articulum Augustinus quoque inter duodecim numerat in Epist. 217. ad Vitalem, quos dicit se firmissimè scire ad fidem Catholicam pertinere.

Verùm in hunc cardinem multipliciter & durè impingit Autor *Nodi dissoluti*, si Augustino, qui de hoc articulo tam gloriosè scripsit, credimus, fatenti lib. 1. ad Simplic, n. 22. „Non enim habeo quod intuear "in eligendis hominibus ad gratiam saluta-"rem, si ad examen hujus electionis aliquâ "cogitatione permittor; nisi vel majus in-"genium, vel minora peccata, vel utrum-"que; addamus etiam si placet, honestas, "utilesque doctrinas. Quisquis ergo fuerit "quam minimis peccatis irretitus atque ma-"culatus (nam nullis quis potest) & acer "ingenio, & liberalibus artibus expolitus, "eligendus videtur ad gratiam. Sed cum "hoc statuero, ita me ridebit ille, qui in-"firma mundi elegit ut confundat fortia &c. Sed aliud reperit *Nodus Dissolutus*, quod Deum urgeat dare majores gratias: nimirum non minora, sed majora peccata, quæ majorem inferunt necessitatem. Propter illa censet divinæ bonitatis rationem planè exigere, ut conferat majoribus peccatoribus majores gratias. Imò, quod stupendum est, summam deliberatissimamque Judę impie-

tatem,

tatem, perfidiam, venditionem Christi & Deicidium censet causam fuisse, ut divinæ bonitatis ratio exigeret plures conferri gratias illi reprobo quam Petro electo. Sed quomodo gratis, quomodo non secundùm meritum conferentur, si eas conferri exigat divinæ ratio bonitatis? hactenus putatum fuerat, quod Scripturæ sæpius inculcant, majora peccata causam esse ut Deus suas gratias neget aut subtrahat; at juxta novum systema, efficiunt ut ratio divinæ bonitatis exigat majores gratias conferri etiam Judam imitantibus aut superantibus.

LXXXVI.

„Sine qua (orandi gratiâ) omnem quo„que libertatem tolli necesse est. pag. 184. lin. 22.

RESPONSIO.

Addit idem Autor, sine illa gratia nullam esse potestatem observandæ legis, imo præceptum pœnitentiæ esse impossibile, uti supra fuit exhibitum. Verùm quantùm hæc doctrina repugnet Fidei asserenti gratiam non secundùm merita dari, iterum Augustinus docet Epis. 194. ad Sixtum num. 29. " Ac per hoc universi qui se in nequitiis & " iniquitatibus excusatos volunt, ideò ju" stissimè puniuntur, quoniam qui liberan" tur, non nisi gratiâ liberantur: nam si ex-

" excusatio illic justa esset, non inde jam
" gratia sed justitia liberaret. Cum vero non
" liberat nisi gratia, nihil justum invenit in
" eo, quem liberat, non voluntatem, non
" operationem, non saltem ipsam excusa-
" tionem: nam si hæc justa est, quisquis eâ
" utitur, merito, non gratiâ liberatur.

Accedit quod divina providentia, sicut debet homini libertatem, ita & gratiam illam; sine qua omnem quoque libertatem tolli necesse est. Atque hinc iterum non gratis, sed secundùm meritum dabitur.

LXXXVII.

" Si enim Deus quantùm ex se est, vult
" omnes efficaciter, impensèque salvari,
" sequitur non minus efficaciter impensèque
" media & gratias homini dari, quibus hunc
" finem obtinere possit pag. 122. lin. 21.

LXXXVIII.

„ Prolixè ostensum est Deum, ut omni-
„ bus & quantùm ex se est, efficaciter vult
„ salutem, ita ad illam obtinendam omni-
„ bus copiosissima media tribuere. pag. 183. lin. 6.

RESPONSIO.

Junge illa superius exhibitis propositionibus 26. & 27. quod Deus suis partibus & officio deesset, nisi absolutè & efficaciter salu-

ſalutem omnium vellet, quodque aliàs filius querelam teſtamenti inofficioſi poſſet opponere, & clarum evadet doceri a *Nodo Diſſoluto* gratiam ſecundùm merita dari; quandoquidem niſi eam Deus dederit, partibus ſuis & officio deſit, ſicut deeſſet „medicus, in„quit, pag. 10. qui cum decem ægrotorum „curam ſuſcepiſſet, non omnibus ſed tri„bus tantùm ſanitatem efficaciter cuperet: „& advocatus, cui cum ex officico octo „clientum cauſę & quidem capitales com„miſſæ eſſent, duos tantùm tueretur, reli„quis aut neglectis, aut non ſeriò obiterque „defenſis.

LXXXIX.

„Magis plantis providebit quam filiis? .. á „planè id nihil aliud foret quam nobiliſſi„mam Dei perfectionem, quæ amor eſt, pe„nitus deformare, & inordinàtiſſimam red„dere, quippe qui minimis rebus maximam „curam, maximis vero minimam impen„dat, ſicque contra leges juſtę charitatis „viliſſima impenſè diligat, pretioſiſſima „verò, qualia animæ ſunt, aut omniò negli„gat, aut cordi non habeat: puerorum vide„licet amores imitatus, qui rerum ignari „pomum præ auro, vitrum præ margaritis „eligunt, chariuſqus habent pag. 141. lin. 27.

auro anteponentium. Quin & facit inconsultissimè, sicut si opulentissimus Princeps domum, familiam, aulam splendidè instrueret, filio algenti interim, seminudo & esurienti. Quis consequenter non videat Deum, quem nil hujusmodi vitiorum potest attingere, debere gratias sufficientes homini; ac proinde has non gratis, sed secundùm merita dari.

XCI.

" Quoad initia sua primosque gradus (gra-" tia orandi) a Deo non petitur pag. 182. lin. 9.

Responsio.

Nempè juxta Auctorem hunc, nullo peccato gratia illa amittitur, sine qua tollitur omnis libertas & observandæ legis potestas; quæ proinde si tollitur, ab homine etiam tollitur peccandi periculum. Ergo a Deo hujusmodi gratia, quæ tam salutare privilegium tollit, non petitur. Sed refellit eum Augustinus ex precibus Ecclesiæ Epist. 117. ad Vitalem: „ Numquid & orare prohibe-" bis Ecclesiam pro infidelibus ut sint fideles, " pro iis qui nolunt credere ut velint crede-" re . . . . . loquimur autem nunc *de ipsis* " *initiis*, cum homines qui erant aversi, & ad-" versi, convertuntur ad Deum & velle in-" cipiunt quod nolebant; & habere fidem quam non

„ non habebant, quod ut fiat in eis, oratur „ pro eis, quamvis non oretur ab eis. Ipsi „ enim quomodo invocabunt in quem non „ crediderunt.

XCII.

„ Sola externa (gratia) beneficium dici „ non potest, cum juxta S. Doctorem ad „ literam occidentem pertineat. pag. 139. lin. 17.

Responsio.

Gratia externa Autori huic, aliisque est v. g. prædicatio veritatis, instructio per legem & Evangelium. Quæ omnia magnum esse beneficium, etiam secundùm se sine gratia interiori spectata, Scripturæ testantur. Nam Deut. 4. v. 8. Moyses ait: *Quæ est enim alia gens sic inclyta ut habeat ceremonias justaque judicia & universam legem.* & Apostolus Rom. 3. v. 1. *Quid ergo amplius Judæo est, aut quæ utilitas circumcisionis? multùm per omnem modum. Primùm quidem quia credita sunt eis eloquia Dei.* Deinde cap. 7. studio præfatam propositionem refellit, *Quid ergo dicemus* [inquit] *lex peccatum est? absit, sed peccatum non cognovi nisi per legem .... Itaque lex quidem sancta & mandatum sanctum, & justum & bonum* (adeòque & beneficium) *quod ergo bonum est, mihi factum est mors?*

absit

absit, sed peccatum ut appareat peccatum per bonum operatum est mihi mortem. Scilicet litera legis & sola gratia externa occidit, non suo vitio sed occasione concupiscentiæ. „ Vides (inquit Aug. lib. 15. contra Faustum cap. 8.) „ non reprehendi legem, cum dicitur *litera* „ *occidit*, *spiritus autem vivificat* sicut non „ reprehenditur scientia, cum dicitur *scientia* „ *inflat*, *charitas vero ædificat* . . . . . . ergo „ lex semper est bona; sive obsit inanibus gra- „ tiâ, sive prosit plenis gratiâ, semper est bo- „ na, sicut Sol semper est bonus. (Imo & be- „ neficium) quia omnis creatura Dei bona est, „ sive dolentibus oculis noceat, sive sanos „ mulceat. „ Igitur refutata propositio non „ parùm errorem Fausti manichæi redolet negantis legem veterem esse Dei beneficium.

De Fide, Peccato Philosophico, & Moralibus.

XCIII.

„ Sive ergo id (Deum existere) naturæ, sive „ gratiæ instinctu homines agnoscant, semper „ agnoscunt. pag. 155. lin. 20.

XCIV.

„ Quam superstitiosam insaniam (idololatriæ) adjuvabant & dæmonum artes per simu-

„ mulacra loquentium, ac futura vaticinantium,
„ & magorum ludibria (nam iſta cum idolola-
„ tria cœpere) & Sacerdotum avaritia, qui
„ quæſtum & authoritatem ex religione capta-
„ bant, & Principum exempla, imo juſſa, po-
„ pulos Deorum metu coercentium, ac deni-
„ que & præſertim corruptiſſimi hominum
„ mores, qui cum nihil amplius quam cor-
„ porea & mortalia cogitarent, amarentque,
„ nullos quoque alios Deos agnoſcere pote-
„ rant, quam corporeos & cupiditatibus ac
„ ſceleribus ſuis ſimillimos. pag. 189. lin. 4.

RESPONSIO.

Poſterior propoſitio refellit priorem; ſed tamen utraque falsa eſt, & Scripturis contraria, tum illa quæ aſſerit omnes ſemper agnoſcere Dei exiſtentiam: tum poſterior aſſerens aliquos eam agnoſcere non potuiſſe; nempe plurimi Deum non agnoverunt, ſed omnes potuere agnoſcere. „ Vani au-
„ tem ſunt omnes homines (inquit Sapiens cap.
„ 13. v. 1.) In quibus non ſubeſt ſcientia Dei,
„ & de his quæ videntur bona, non potuerunt
„ intelligere eum qui eſt, neque operibus at-
„ tendentes, agnoverunt quis eſſet artifex, ſed
„ aut ignem, aut ſpiritum aut citatum aerem,
„ aut gyrum ſtellarum, aut niniam aquam, aut
„ ſolem & Lunam, rectores orbis terrarum
„ Deos putaverunt, & ad Rom. 1. v. 20. Invi-
ſibi-

" ſibilia enim ipſius, a creatura mundi per ea
" quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur:
" ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas,
" ita ut ſint inexcuſabiles.

XCV.

„S. Juſtinus Martyr cap. 28. Apologiæ, „Socratem Philoſophum non tantùm ſalvum, verùm etiam Martyrem eſſe docet. Pag. 155. lin. ult.

XCVI.

„Inſigniores Philoſophos, & quotquot de „gentilibus cum ratione vixerunt, Chriſtianos appellat: idem de Platone, Seneca, „Triſmegiſto alii dicunt „ pag. 156. lin. 3. Hæc approbando dicit, ut probet omnibus dari gratiam ſufficientem.

RESPONSIO.

Quo ſenſu Juſtinus Martyr quædam in Philoſophorum favorem dixerit, non opus eſt inquirere. Satis eſt, quod juxta communem Patrum interpretationem, Apoſtolus ad Romanos 1.v. 18. de ſanctis illis (ſi ſuperis placet) Philoſophis teſtetur: *Revelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.* „Hæc de græcorum Philoſophis „dicit, (ait ibidem Eſtius) quorum etſi qui„dam, uti mox dicetur, ad unius Dei noti„tiam Philoſophando pervenerint, ut Py-

„ thagoras, Socrates, Plato, Ariſtoteles & alii, „ quibus adde Hermetem Triſmegiſtum, Sa„ cerdotem & Philoſophum Ægyptium, Sene„ cam Philoſophum & Senatorem Romanum, „ nemo tamen omnium Deum cognitum aut „ coluit ut debuit, aut colendum prædicavit. Præterea de Philoſophis ethnicis generatim Auguſtinus lib. de vera Religione cap. 5.. „ Eadem ſacra ſuſcipiebant cum populis, & „ de ſuorum Deorum natura ac ſummo bo„ no, diverſas contrariaſque ſententias in „ ſcholis ſuis, eâdem teſte multitudine per„ ſonabant. „ De iiſdem Lactantius lib. 3. cap. 21. affirmat quod generaliter omnes Dei cognitionem & cultum aſſequi non valuerint, „ quia religionem (inquit) aut pravam tenue„ runt, aut totam penitus ſuſtulerunt.

Quod ad Socratem ſpeciatim attinet, Minutius in Octavio vocat eum „ Scurram at„ ticum, nihil ſe ſcire confeſſum, teſtimonio „ licet fallaciſſimi dæmonis glorioſum. „ Et Lactantius lib. 3. cap. 20. de falſa ſapientia: „ Quis jam ſuperſtitiones Ægyptiorum aude„ at reprehendere, quas Socrates Athenis „ authoritate confirmavit ſuâ? illud verò „ nonne ſummæ vanitatis, quod ante mor„ tem familiares ſuos rogavit, ut Æſculapio „ gallum, quem voverat, pro ſe ſacrarent? „ . . . cum verò hoc ſanus fecerit, EST IPSE „ INSANUS QUI EUM PUTET ESSE SAPIEN„ TEM.

Quod

Quod Gallum Jovi Æſculapio Socrates proximus morti litari juſſerit, teſtatur quoque ejus diſcipulus Plato in Apologia; additque in Theages, quod a prima pueritia dæmonium familiare habuerit. Adjungit Ariſtoteles lib. 2. polit. cap. 4. „ de paucis ad„ modùm determinavit Socrates, ut de mu„ lierum & natorum communitate. „ Quis tali Sancto dicat ORA PRO NOBIS?

Ipſe Plato Dæmoniis & Diis plurimis ſacra facienda eſſe cenſuit in libris de legibus & repub. idem teſtatur quoque Auguſtinus lib. 8. de civitate Dei cap. 12. ſtatuit etiam pro ſuâ repub. uxorum communitatem. Inſuper a Philoſophis optimis, Socrate ac Platone, approbatos fuiſſe nefandos maſculorum amores, refert Plutarchus de educatione liberorum.

De Seneca teſtatur Auguſtinus lib. 6. de civitate Dei cap. 10. „ Colebat quod re„ prehendebat, agebat quod arguebat, quod „ culpabat adorabat . . . . eo damnabilius, „ quo illa quæ mendaciter agebat, ſic ageret „ ut eum populus veraciter agere exiſtima„ ret.

Generalem cauſam deficientis in Philoſophis ethnicis juſtitiæ hanc ex eorum præſumptione aſſignat Auguſtinus Epiſt. 155. ad Macedonium: „ Apud eos vera pietas, id „ eſt verax veri Dei cultus (unde omnia re-

„ ctè vivendi duci oportet officia) non invenitur, non ob aliud quantùm intelligo, nisi „ quia beatam vitam ipsi sibi quodammodo „ fabricare voluerunt, potiusque patrandam „ quam impetrandam putaverunt, cum e„ jus dator non sit nisi Deus.

XCVII.

„ Sicut ergo nullum peccatum est non „ contra rationem, ita nullum non contra „ conscientiam, quæ nihil est aliud quam „ ratio practica dictans in particulari quid „ non liceat liceatque pag. 161. lin. 12.

XCVIII.

„ Omne peccatum est contra conscien„ tiam: ibidem lin. 15.

Responsio.

En errorem Pelagianorum, quo negantur peccata ignorantiæ; quem apud Hieronymum lib. 1. adversus Pelagianos, his verbis Pelagianus exprimit: „ Rogo quæ est „ ista justitia, ut in peccato tenear erroris, „ cujus reatum non habet conscientia? „ Cui respondet Hieronymus: „ Stulta imo impia sciscitatio tua in perpetuum conticescat. Eundem errorem damnavit Synodus Palæstina, & variis locis Augustinus, qui lib. 4. contra Jul. cap. 8. refert hunc errorem a Juliano fuisse etiam Manichæis adscriptum: Mani-

" Manichæos dicere affirmas, si quis homi-
" cidium conscientiâ formidante commise-
" rit, reus est quia timuit. Si autem ali-
" quod facinus exultante perpetraverit auda-
" ciâ, velut credens se ex fide (hoc est ex
" conscientia) facere quod malè facit, evasit
" culpam.

Is quoque unus erat ex erroribus Abaëlardi de quibus Gulielmus Abbas Gaufridum Carnotensem Episcopum, & S. Bernardum seriò monuit: „ Dico vobis pe-
" riculosè siletis, tam vobis quam Ecclesiæ
" Dei. „ Eumque errorem Bernardus Epist. ad Hugonem de Sancto Victore strenuè ex Scripturis refellit: „ Verendum,
" [ait] ne si vel breviter non respondeatur
" stulto juxta stultitiam suam, putans forte
" sapientiam, securius spargat seminarium
" vecordio in auribus insipientium . . . .
" Si inquam ignorantiâ nunquam peccatur,
" quid ergo causamur adversus occisores
" Apostolorum, quoniam quidem non so-
" lùm malum esse nescierunt interficere il-
" los, sed insuper quoque id faciendo
" arbitrati sunt obsequium se præstare
" Deo?

XCIX.

"Demus ita ignorasse (Deum invincibili-
"ter Brasiliæ incolas) id quoque magna be-
"neficii & gratiæ pars fuit., pag. 152. lin.
32.

C.

"Ergo cum hac ignorantiâ impeccabiles
"redderentur, alioquin certissimè peccaturi,
"si agnoscerent, sequitur hoc ipsum benefi-
"cium esse: ibidem lin. 36.

CI.

"Ergo sive Barbari agnoscant (Deum)
"sicque invocare illum, & salutem conse-
"qui possint: sive penitus ignorent, & ideo
"nec possint peccare, semper verum erit, ne
"illis quidem misericordiam deesse. pag.
153. lin. 2.

RESPONSIO.

Quęsivisse videtur Auctor singulares, pingues, & inauditos errores: quid enim potest cogitari enormius, quam Dei ignorantiam, hominibus esse magnam beneficii, & gratiæ divinæ partem, quæ eos impeccabiles reddat. Imo si sua principia rectè sequitur, agnoscat necesse est, hanc ignorantiam in iis, qui cum ea creverunt & mortui sunt, tam pretiosum esse beneficium, ut ipsi regno

cœlesti anteponendum sit. Nam huic beneficio convenit quoque, quod de parvulorum sine baptismate morientium beneficio tradit pag. 120. Nempe hujusmodi ignorantia " innocentiæ suę personalis securos reddidit, & " quamplurimis peccatis cum venialibus, " tum mortalibus, ac præsentissimis infinitisq. " peccandi periculis subduxit, quibus procedentibus annis certissimè implicandi erant, " addicendique perpetuis gehennæ incendiis . . . . . . Hoc verò innocentiæ per-" sonalis donum, & immunitatis a peccato, " tantùm est, ut ipsi millies cœlo carere " malint, quam vel uno peccato involvi, " nullusque Christianorum est, cujus non " idem votum esse debeat. Quid ergo con-" queri de Deo possunt, aut quid ipsis mali " fecit, si non quidem cœlo, sed alio bene-" ficio donavit, quod multò præstantius cœ-" lo est, quodque & ipsi & omnes sapientes, " si potestas eligendi daretur, longè cælo " præferrent? quod si Deus id egit, quod " & ipsi & nemo alius non optaret, ergo " nulla dolendi, nulla conquerendi, sed " magna laudandi gratesque agendi causa " est." Sic quidem ratiocinari oportet Autorem, si sui systematis amussim sequatur.

Sed alirer sensus communis, & sana do-

ctrina sentit: atque in tribus prefatis propositionibus tres enormes errores arguit. 1. Quod ignorantia illa Dei, beneficium Dei sit. 2. Quod sit magna pars gratiæ divinæ 3. Quod hominem impeccabilem reddat.

Siquidem Ecclesia universa cum Augustino lib. 22. de civitate Dei cap. 22. ignorantiam illam agnoscit gravissimam esse peccati originalis pœnam, qua nimirum ignorat homo a quo creatus sit, ad quem finem destinatus, quâ viâ ad summum bonum eundùm, & fugiendum ab infinita miseria infelicis æternitatis.

Quomodo ignorantia Dei magna pars esse potest divinæ gratiæ, cum hæc ex natura sua cognitionem Dei amoremque inspiret, cumque dici nequeat, quod alias dicendum foret, Christum esse mortuum, ut suo sanguine promeretetur hominibus ignorantiam Dei?

Quomodo fieri potest, ut Dei ignorantia reddat hominem impeccabilem, quę juxta Scripturas gravissimum peccatum est, etsi ab Authore *Nodi Dissoluti* vocetur (sed absque fundamento) invincibilis, qualis juxta ejus principia propositionum 98. & 99. semper erit dum non est contra conscientiam.

Mira profecto principia, juxta quæ sola ex-

externa gratia v. g. prædicatio Evangelii, & existentię divinę beneficium Dei dici non potest, quod ad literam occidentem pertineat, sed ignorantia Dei magna beneficii, & gratiæ divinæ pars est, quę hominem etiam impeccabilem reddat. Mira quidem & multùm a Fide Christiana aliena, sed valde conformia propositioni 99. *Omne peccatum est contra conscientiam.*

CII.

"Cum enim peccatum sit essentialiter of-"fensio, & injuria Dei; sublatâ Dei cog-"nitione, necessariò sequitur, nec injuri-"am, nec peccatum, nec æternam pœnam "esse. pag. 152. lin. 33.

RESPONSIO.

☞ Hoc deerat damnato ab Alexandro VIII. peccato philosophico, ut ei talis Autor coronidem imponeret, asserendo ipsum philosophismum, vel pejus aliquid. Docet enim peccatum esse essentialiter offensionem, & injuriam Dei: docet insuper omne peccatum esse contra conscientiam, ac proinde non posse esse offensionem, & injuriam Dei in eo, qui nullam habet Dei conscientiam: nec intersit sive vincibiliter sive invincibiliter id contingat. Ergo *sublatâ Dei cognitione* (inquit) *necessario sequitur, nec*

injuriam, nec peccatum, nec æternam pœnam esse.

Atque his principiis tria Philosophismo pejora continentur. 1. Quod in rationis compote, qui Dei conscientiam non habet, nec adulterium, nec homicidium, nec ulla legis naturalis, aut divinæ, aut humanæ trangressio sit ullum peccatum, cum Philosophistæ interim admitterent esse peccatum Philosophicum, contra rationem,

2. Cum talem transgressionem dicat nullum esse peccatum, fateri consequenter debet nullâ esse pœnâ dignum, cum philosophistæ interim temporali pœnâ eam mulctarent.

3. Est quod ignorantia Dei magna sit beneficii, & gratiæ divinæ pars, quod nullus umquam Philosophista ausus fuit asserere.

Itaque *Nodo Dissoluto*, si cum philosophismo, & probabilismo aliisque erroribus conferatur, dicere liceat. *Justificasti errores tuos.* Ezech. 16. v. 51.

CA-

CAPUT II.

Quam infeliciter citentur Authores, *in* NODO PRÆDESTINATIONIS DISSOLUTO.

AD judicandum de libri hujus pretio sufficere possent innumeræ citationes, quibus parum accuratè, & valde infeliciter passim citantur Authores, ac præsertim Augustinus: quamquam nec sacris Scripturis parcitur uti ex multis pauca specimina manifestum facient.

I. Pag. 2. citatur Osee 13. v. 9. *Perditio tua ex te Israël, ex me tantùm auxilium tuum.* Habet autem Scriptura, *perditio tua Israël, tantummodò in me auxilium tuum.*

II. Pag. 9. habet „ Apos. 1. ad Timot. 2. „ ita loquitur: „ *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes pro omnibus, ut in omni pietate & honestate vitam geramus &c.* Habet autem locus ille: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate &c.*

III. Pag. 15. citatur 2. ad Corint. 5. *Si*

unus pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt non sibi vivant, sed illi qui pro omnibus mortuus est: Habet autem locus; *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.*

IV. Pag. 125. ut Apostolum trahat in suam sententiam de gratia sufficiente in omnes abundè profusâ, citat 1. ad Timot. 6. *Sperate in Deo vivo qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum.* Cum locus habeat: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum.*

V. Pag. 130. ut facilius probet Christum Matth. 11. v. 2. loqui non de sola gratia externa, sed & interna, citat: *Væ tibi Bethsaida, væ tibi Corozaim, quia si in Tyro & Sidone facta fuissent, quæ facta sunt in vobis &c.* Habet autem locus: *Si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes* (hoc est signa & miracula) *quæ factæ sunt in vobis, &c.*

VI. Crassiora sunt quæ passim in citatis Augustini locis occurrunt. Nam pleraque aut talia citat, quæ in Augustino non exstant, aut alio sensu, aut verbis quam habet Augustinus; aut ex opusculis quæ non sunt Augustini, sed ipsorum Semipelagianorum, ut rursus ostendunt specimina sequentia.

VII.

VII. Pag. 32. citat ex Augustino in Ps. 101. hæc verba: "Sanabit te Christus, sed "opus est ut sanari velis. Sanat omnino "ille quidem, sed non sanat invitum, quid "enim in te beatius, quam ut tamquam in "manu tuâ vitam, sic in voluntate tuâ habeas sanitatem." Verùm nec illo loco, nec his verbis, nec quo sensu applicat, id habet Augustinus, sed in Ps. 102. n. 6. edit: Benedictinorum sic habet: "Sanabit te, "opus est ut sanari velis. Sanat omnino "ille quemlibet languidum, sed non sanat "invitum. Quid autem te beatius, quam "ut tamquam in manu tua, sic habeas in "voluntate sanitatem tuam?" Sed non aliud ibid significat Augustinus, quam quod mox subjungit: "Hanc salutem si volueris, "obtinebis; honores & divitias cum requi- "sieris, non continuò, si volueris, habebis. Quæ procul distant ab intento authoris, quo probare nititur, quod Deus efficaciter velit omnium salutem, & quod omnes habeant gratiam moliniſticè sufficientem ad conversionem.

VIII. Pag. 58. citat locum ex Aug. de spiritu & litera c. 13. quem eundem locum pag. 30. citaverat ex Aug. de spiritu & litt. c. 3. & tamen nec uno, nec altero loco citato habetur, sed c. 33. habetur aliter quam citatur.

IX. Pag. 61. citat ex Aug. de Spiritu & lit. c. 34. "Cui ista non sufficiunt, quærat "alium me doctiorem, sed caveat ne in"veniat præsumptiosiorem:" Habet autem Augustinus: "Cui responsio ista displicet, "quærat doctiores, sed caveat ne inveniat "præsumptores.

X. Pag. 92. citat Augustinum in libro, inquit, 84. quæstionum, cum omnibus, qui Augustini opera eminus viderunt, notum sit, hunc librum vocari & esse 83. quæstionem.

XI. Pag. 64. citat quædam ex Sermone 22. Augustini de verbis Apost. quæ non ibi, sed Sermone 20. editionis antiquæ aliter habentur quam citantur. Est autem hic Sermo in edit. Patrum Benedictinorum 27. Similitèr quæ pagina 78. citat ex Augustino lib. de gratia & lib. arbitrio cap. 6. planè ibid. aliter habentur quam citentur. Quamvis autem hac levia sint, si comparentur subsequentibus, clarè tamen demonstrant authorem aut nequaquam, aut saltem non suis oculis legisse Augustinum.

XII. Pag. 72. citat ex Aug. lib. 1. ad Simplicanum Quæst. 2. sequentia: "Ut scili"cet non se quis arbitretur percepisse gra"tiam, quia benè operatus est, sed benè "operari non posse, nisi per gratiam, nec "enim ut ferveat calefacit ignis &c." Habet

bet autem ibid Augustinus: " Ut scilicet "non se quisque arbitretur ideò percepisse "gratiam quia benè operatus est, sed benè "operari non posse nisi per fidem perceperit "gratiam; incipit autem homo percipere "gratiam ex quo incipit Deo credere &c." Hæc tam corruptio quam mutilatio Augustini gravissima est, ubi tam clarè refellit authorem largientem omnibus infidelibus copiosissimè gratias Molinisticè sufficientes ad benè operandum.

XIII. Pag. 111. citat ex Aug. libro 1. de Civit Dei cap. 28. " Optandum tibi potius "est, ut salvandorum amplior sit numerus, "quam ut inter paucos emineas.„ Sed nihil simile ibidem habet Augustinus, sed sequentia: " Quarum vero corda interrogata "respondent, numquam se de bono virgini-"tatis vel viduitatis, vel conjugalis pudi-"citiæ superbisse . . . optasse potius ut earum "amplior numerus esset, quam ut ipsæ in "paucitate amplius eminerent.

XIV. Pag. 128. citat ex Aug. lib. de de perfectione justitiæ: " Anima ergo, quæ "illa gravia sentit, oret gemitu voluntatis, "ut impetret donum facilitatis:" Habet autem ibid. Augustinus cap. 10.: " Nec aliam "ob causam Scriptura commemorat non "esse gravia divina præcepta, nisi ut anima, "quæ illa gravia sentit, intelligat se non-

dum

" dum accepisse vires quibus talia sint præ-
" cepta Domini, qualia commendantur, le-
" via scilicet atque suavia, & oret gemitu
" voluntatis, ut impetret donum facilitatis.
En rursus manifestam & gravem Augustini corruptionem, ut eo contradiente defendatur gratia Molinisticè sufficiens, quam in omnes author profundit.

XV. Tamquam basim doctrinæ suæ, qua in perditissimos quosque gratias Molinisticè sufficientes profundit, citat pag. 104. ex Aug. libro 1. (ait) de Sermonibus Domini (vult dicere de Sermone Domini in monte) cap. 15. „Nulla est anima, quam-
„vis perversa, in cujus conscientia non lo-
„quatur Deus.„ Hunc locum pro sua sententia putavit tam convincentem, ut sæpissimè eum repetat: nam pag. 153. rursus eumdem citat, non ex libro 1. ut ante, sed ex libro 2. de Serm. Dom. cap. 15. & denuò illum citat pag. 162. & 176. At neutro loco quem citat habetur, sed libro 2. de Sermone Domini in monte cap. 9. n. 32. hæc habentur: " Quando illi valent intelligere
" nullam esse animam, quamvis perversam,
" quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, in
" cujus conscientia non loquatur Deus? Quis
" enim scripsit in cordibus hominum natu-
" ralem legem, nisi Deus?" Ita manifestum est, tum ex loco, tum ex verbis, & sensu,

qui-

quibus citat, ſententiam Auguſtini, nunquam eam in Auguſtino legiſſe. Ecce gratiam Eminentiſſimi Domini Sfondrati, legem naturalem: nempe planè conformiter ad alia ſua principia, quibus gratiam docet nihil aliud eſſe præter cognitionem congruam, & Tiberium, Neronem, Pharaonem, Judam, docet habuiſſe gratias ſufficientes, hoc ipſo quo monitionem aliquam habuerunt aut conſcientiæ remorſum, quo in deſperationem acti ſunt.

XVI. Quis ſatis mirari poterit quod pag. 37. dicat: "Cum Pelagiani objicerent Au-"guſtino docere illum, non eſſe Dei vo-"luntatem ut omnes ſalventur, S. Doctor "ex inſtituto & profeſſo hanc calumniam "refutans hæc ſcribit art. 2. ad articulos "ſibi oppoſitos:" *Cum veritas dicat* &c. & infra. "Hic apertiſſimè oſtendit Auguſtinus "ex iis quos Deus vult ſalvos eſſe, multos "perire, ſicque illam Pauli ſententiam de "voluntate omnes ſalvandi, non ſolos præ-"deſtinatos, verum etiam reprobos com-"plecti, nullumque a Deo excipi: ſi enim "aliqui exciperentur, ii reprobi eſſent. Cur "ergo alibi Auguſtinus docet de ſolis præde-"ſtinatis dictum eſſe? Quia id ex inſtituto "non agebat Auguſtinus, ut hic agit, quan-"do calumnias ſibi ab adverſariis impoſitas "unicè & ex profeſſo refellit." Ecce quo-

modo.

modò urgeat quod in hoc Tractatu, quem rursus citat pag. 50. Augustinus ex instituto & professo tractet locum Apostoli: ecce quomodo Theologis omnibus regulam promulget, quod ex hoc Tractatu mens Augustini sit colligenda & ad hunc Tractatum cætera omnia ejus scripta sint explicanda. Verum, cum venia, fallitur Cardinalis Sfondratus: nam Tractatus ille quem citat, non est Augustini, sed, sicut nemo dubitat, sicut novit quivis tyro Theologus, sicut titulus præfert, est Prosperi Aquitanici ad capitulta objectionum Vincentianarum.

XVII. Insuper citat locum illum Prosperi planè aliter quam habet: „ Quomodo " fieri potest ut Deus nolit aliquos salvari, " qui etiam salvari volunt, nisi aliquæ cau" sæ existant &c. " Habet autem Prosper ibid. ad objectionem secundam: " Quî fie" ri potest, ut Deus, qui etiam illos salvat " de quibus dici non potest, quod salvari " velint, nisi aliquæ causæ existant &c.

XVIII. Citat quoque iteratò pag. 35. & 73. Augustinum libro Hypognosticon: sed, ut supra dictum est, jam ab 800. circiter annis Remigius Archiepiscopus Lugdunensis demonstravit authorem illius Tractatus non esse Augustinum: " Addens quod " manifestissimè prædicti Doctoris sensibus

" imo

" imo Catholicæ ſinceritati probatur adver-" ſus. " Et tamen cum hujuſmodi doctrina ſuam probat convenire Cardinalis Sfondratus.

XIX. Pag. 136. & 137. Fusè citat Auguſtinum de prædeſtinatione, & gratia, ſed rurſus infeliciter : nam Tractatus ille non eſt Auguſtini, ſed ſuſpecti Authoris, ut declatant Patres Benedictini in admonitione ante hunc Tractatum in appendice Tomi 10. ubi adjungunt : " Præterire non licet, quod " obſervatu dignum Bellarminus, Poſſevinus, " aliique exiſtimarunt, nimirum in eo libro " quædam reperiri doctrinæ Auguſti contra-" ria : quæ Caſſiani ſenſus redolere videantur. " Nam ubi Author explicare ſtudet, quid ad " bona opera gratia Dei conducat, quid verò " pro ſua parte conferat liberum hominis " arbitrium in cap. 9. Sic totum inter Deum " & hominem partitur, ut Deo primum tri-" buat vocare & illuminare (ſcilicet per cog-" nitionem congruam) homini deinde libe-" roque ipſius arbitrio, eligere vias mandato-" rum Dei, tum Deo rurſus in fine obe-" dientiam coronare. " Ergo *Nodus Diſſolutus* tam meritò contendit ſe convenire cum hoc Authore, quam immeritò cupit convenire cum Auguſtino.

XX. Pag. 41: Laudat pro ſe locum lib. 2. de vocatione omnium gentium cap. 35. *Cum ad hoc operentur ut electi ſint*, cum tamen

men ſcire debuiſſet locum iſtum jam ante viginti annos reſtitutum eſſe ſuæ integritati in editione poſtrema operum S. Leonis, quibus libellus ille aureus inſertus eſt. Nam unius voculæ tranſpoſitione ſententia illa ex Moliniana facta eſt Auguſtiniana hoc modo: *Cum ad hoc, ut operentur, electi ſint.* Hæc emendatio unius Thuanęi codicis authoritate tunc vindicata eſt: duo vaticani codices illi poſtmodum acceſſêre indicati tomo 1. Traditionis Eccleſiæ Romanæ de gratia & prædeſtinat. pag. 334. & 1637. Duos inſuper alios vaticanos codices adjecit Joſephus Anthelmus qui anno 1689. diſſertationes criticas emiſit in lucem Pariſiis de veris operibus SS. Patrum Leonis & Proſperi. pag. 144.

XXI. Scatet libellus etiam in citationibus aliorum Authorum erroribus hujuſmodi, ſed pauca ſpecimina ſufficiunt ad judicandum de reliquis.

XXII. Interea videat quilibet æquus rerum æſtimator, an hoc ſit ſequi, & docere ſententiam Auguſtini, cujus *Doctrinam* ut ait Innocentius XII. ad Facultatem Lovanienſem, *ſecundùm Prædeceſſorum ſtatuta Romana ſequitur ac ſervat Eccleſia.* Videat an ſic tractari deceat præcipua Fidei Chriſtianæ Myſteria de gratia & prædeſtinatione: an hujuſmodi Tractatus nati ſint Calviniſtas alioſ-

liosque hæreticos excitare ad conversionem, ad æstimationem, venerationemque Romanæ Ecclesiæ, vel potiùs ad ejusdem vilipendium & irrisionem.

CAPUT. III.

Exhibentur variæ contradictiones NODI PREDESTINATIONIS DISSOLUTI.

NOdus ille multo me in respondendo labore levat, dum ubique sibi contradicit ac ita seipsum refellit, prout ostendunt specimina sequentia.

I. Pag. 241. Parti 2. præfigit hunc titulum: *Nodus prædestinationis triplici ictu solutus*, & in eadem parte pag. 246. mox subjungit: "Ut olim literas Augustus, ita nunc Deus "grande prædestinationis chirographum "sphynge notavit, voluitque ænigma esse "mortalibus insolubile . . . . . Quoties "ergo prædestinationem audis, toties cogi-"ta ænigma esse hominibus inaccessum, so-"lique Deo notum, ac ideò nec humano "ingenio tentandum." Quæ porro magis contraria esse possunt, quam *Nodus Prædestinationis solutus*, & *prædestinationis ænigma mortalibus insolubile, inaccessum, solique Deo notum?*

II.

" natura gratiæ, ſcire aliquid melius velle " quam ſciverit Auguſtinus, aut velle quæ- " rere quod tanto ſtudio, tanto ingenio, " tantâque oratione nunquam Auguſtinus " invenit?

Et tamen pag. 164. ait: " Quamvis enim " nemo melius de gratia, & contra Pela- " gium Auguſtino ſcripſerit, non ſcripſit ta- " men omnia, quippe haud neceſſaria Cal- " vino necdum exorto, & hominis arbi- " trium, Deique bonitatem impugnante, " aliis nunc armis opus eſt, alio hoſte, bello- " que inſtantibus: " Manifeſtè ſignificans ſe alia argumenta de gratia, aliaque arma contra Calviniſtas tradere, quæ tanto ſtudio, tanto ingenio, tantâque oratione nunquam Auguſtinus invenit: v. g. quod Deus abſolutè & efficaciter velit omnium ſalutem, etiam reproborum; quod etiam reprobi ſint prædeſtinati; quod reprobi aliquando habuerint jus ad regnum cæleſte, quod gratia Chriſti non aliud ſit quam cognitio congrua; quod gratia detur omnibus etiam obduratis, & infidelibus, & quibuſcumque perditiſſimis.

IV. Pag. 2. ait: „ Quatuor ergo in hoc ar- „ gumento demonſtranda ſuſcipiam. Pri- „ mò, Deum ſeriò, impenſiſſimè ac quan- „ tum in ſe eſt, efficaciter omnium homi- „ num ſalutem velle. Et pag. 32. „ Hic

docet

„docet Aug. primò, velle Deum omnes „etiam reprobos ſalvos fieri.„ Et pag. 9. „Cum ergo Apoſtolus de omnibus loqua- „tur, nullumque excludat, cur tu excipias „quos ille non excipit: excludas, quos ille „non excludit? ..... Cum Deus ſit om- „nium Dominus, omnium Mediator, non „poteſt non, omnibus, quantùm in ſe eſt vi- „tam & felicitatem velle, alioquin partibus „ſuis deeſlet .... ergo qui omnium Deus „& Mediator eſt, aut oportet officio ſuo „deſit, aut omnium ſalutem & vitam effica- „citer velit. Altera Apoſtoli ratio eſt, quia „Chriſtus eſt omnium Redemptor.„ Addit pag. 25. aliam rationem, quia omnes homines ſunt Dei imagines, quodque urſi, leones, tigrides, dracones & baſiliſci in amando proles Deum ſuperarent, niſi vellet abſolutè & efficaciter omnes homines ſalvos fieri.

Verùm his manifeſtè contradicit pag. 48. his verbis: „ Nunquam parvulis ante bap- „tiſmum ſublatis Deus æternam vitam vo- „luit, & tamen & horum idem & Deus, „& Dominus, & Mediator, & Redemptor „eſt, & hi imagines Dei ſunt.„ Sic nunc argumentis prædictis ſeipſum refellit: „ Cur „tu excipias quos ille non excipit &c.„ Ergo juxta Sfondratum Deus officio ſuo deeſt; & a draconibus, & baſiliſcis in amando proles ſuperatur. Sic ſemper veriſſimum manet,

net, quod contra hujusmodi doctrinas dixit Aug. Epis. 194. ad Sixtum n. 31. „Verum „isti qui personarum acceptorem Deum fieri „existimant, si in una eademque causa super „alios veniat misericordia ejus, super alios „verò maneat ira ejus, nempe totas vires „argumentationis humanæ in parvulis per- „dunt.

Quintò pag. 11. "Neque dicat (ait) Deum "voluntate antecedente motuque proprio "tam multos regno excludere, ut justitiam "suam ostendat; nam ad hoc quoque respon- "det Ecclesiasticus : *Non sunt Deo necessarii* "*homines impii*, non sunt necessarii Justi- "tiæ, non sunt necessarii potentiæ; perin- "de ac si Deo non millia alia justitię suæ "declarandæ argumenta supersint, citra tot "animarum strages , ac æterna supplicia : "perire enim necesse est, si nolit salvare.

Verùm pag. 102. hæc prioribus contraria tradit : opponentibus enim Judæis & causam flagitantibus cur Deus gentiles in suum populum elegisset, respondet nullum quæstioni, nullum querelæ locum esse : " Tam " enim Judęos, quam gentiles peccatores ... " Et utrumque populum sine omnibus ope- "ribus bonis, & cum multis operibus malis " fuisse &c. Id enim (inquit) tam injustum "non esse , quam injustum non est , " si cum duo tibi centum talenta debeant, " alteri debitum remittas, ab alio exigas :

N "Nam

" Nam quod exigas justitia est, quod re-
" mittas gratia, quam rationem perpetuò
" urget Augustinus.

Sextò, pag. 9, " Paulus dicit *omnes* (sci-
" licet vult salvos fieri) tu dicis *paucos*, cui
" magis credam? Apostolo, an tibi? „ Infra verò pag. 261. " Si ergo a me quæras
" cur Deus hanc imaginem nigram aliam
" candidam pinxit? hunc felicem, illum in-
" felicem, hunc vas in honorem, illum vas
" in contumeliam? Judam desperantem,
" Petrum pænitentem? paucos salvari, mul-
" tos damnari voluit, imo non voluit, sed
" tantùm permisit? quid aliud, inquam;
" respondebo, quam nox est, faces extinctæ
" sunt, non video, &c.

Et pag. 48. " Nunquam parvulis ante
" baptismum sublatis Deus æternam vitam
" voluit.

Septimò pag. 187. pro titulo ponit: *Dei gratiam etiam obstinatissimis peccatoribus non deesse longâ serie multisque exemplis ostenditur.*

Mox pag. 189. Ad id probandum exempla idololatriæ adducit, quibus idem clarè refellit: Superstitiosam insaniam, *inquit*,
" adjuvabant, & dæmonum artes per simu-
" lacra loquentium, ac futura vaticinantium,
" & magorum ludibria (nam ista cum idolo-
" latria cæpêre) & Sacerdotum avaritia, qui
" quæstum & authoritatem ex Religione cap-

" ta-

"tabant, & Principum exempla, imò jussa "populos Deorum metu coërcentium, & "denique ac præsertim corruptissimi homi- "num mores, qui cum nihil amplius quam "corporea & mortalia cogitarent, amarent- "que, nullos quoque alios Deos agnoscere "poterant quam corporeos, & cupiditati- "bus ac sceleribus suis simillimos. Quid "enim avaro, & impudico gratius esset, "quam Deos habere non tantùm non vin- "dices, verùm etiam impudicitiæ, & ava- "ritiæ suæ authores, fautoresque? quan- "tumque non solatii tantùm, verùm etiam "gloriæ, in adulteriis Jovem imitari? . . . "Furor ergo erat, quam religionem voca- "bant, & furor tam publicus, latèque spar- "sus, ut ultra bis mille annos, hoc est, a di- "luvio, usque ad Christi nativitatem to- "tum fere Orbem pervaserit." Illinè gratias copiosissimè sufficientes habebant, qui nullos Deos agnoscere poterant, quam sceleribus suis faventes? qui sua scelera Diis pro cultu & religione offerebant?

Alia insuper in prædictis manifesta contradictio est: Nam clarum est ejusmodi idololatras non contra conscientiam, sed secundùm conscientiam egisse, qui impudicitiæ, aliorumque scelerum suorum putabant se habere authores, fautoresque Deos: quibus multum non solùm solatii, sed & glo-

glorię erat, adulteriis imitari Jovem, qui furorem suum religionem vocabant: & tamen pag. 161. tradit Cardinalis Sfondratus: " Sicut ergo nullum peccatum est non contra rationem; ita nullum non contra conscientiam, quæ nihil aliud est quam ratio practica dictans in particulari, quid non liceat, liceatque.

Adeòque ethnici illi, juxta hoc principium, cum non peccaverint contra conscientiam, nullo modo peccarunt.

Quibus rursus contradicit pag. 184. his verbis. " Aut ergo ex mente Augustini nemini hæc gratia deest, aut si alicui deest, erit aliquis sanæ mentis, qui furando, occidendo, adulterando, blasphemandoque nihil peccabit, quod absurdissimum est: „ quod tamen manifestè sequitur ex ejus principio, nullum videlicet esse peccatum, quod non sit contra conscientiam.

Plures alia contradictiones hujusmodi exhiberi possent, nisi specimina ista sufficerent.

CA-

CAPUT. IV.

Exhibentur variæ cenſuræ, quibus NODUS DISSOLUTUS Auguſtinum, & adverſam ſibi doctrinam immeritò perſtringit.

APprobatio libelli per D. Joannem Mariam Gabriellium, Ordinis Ciſtercienſis S. Bernardi Monachum de Authore teſtatur, *quod ſit nulli adſtrictus parti.* Verùm Author ipſe cui parti fuerit adſtrictus, ſatis fatetur pag, 129. ubi declarat ſe illam gratiam amplecti, *quam*, inquit, *tota Societas Jeſu amplectitur.*

Approbatio per P. Joannem Damaſcenum Ordinis Minorum Conventualium, de Authore ait: „ Nequeo tamen præterire „ modeſtiam, qua taliter in ſcribendo uti„ tur, ut dum ſuam nititur probare ſenten„ tiam, alienam nullatenus ſugillet, aut „ carpat. (Et inferiùs) Totum Auguſtinum „ longis, iteratiſque vigiliis, ut patet, ita „ hauſerat, ut ipſius ore loqui videretur „ Auguſtinus. „ Hęc quam fundata ſint, liquet ex cap. 2. & ex ſequentibus, ubi Author

Nodi dissoluti partem Societatis Jesu, quam se declarat amplecti, non solùm in doctrinis, verum etiam in censuris sequitur, contra Innocentii XI. & XII. frequentes, & justissimas prohibitiones.

Pag. 57. Palam edicit: „ Sanè quam „ difficilis intellectu sit Augustinus, quanto„ que periculo ab iis legatur &c. . . . . . „ Taceo Calvinistarum ac Lutheranorum ex „ Aug. ruinas.

Verum hujusmodi in Augustinum censuras Molinistarum, ante 20. annos strenuè in suis Vindiciis c. 1. refutavit Eminentissimus Card. Noris, ubi ad similem Jesuitæ Adami censuram ait: „ Quid arrogantius, quid „ absurdius, quid indecentius contra Augu„ stinum dici possit non video. At quo „ consilio illa eructarit, satis est manifestum, „ nempe ut Augustini deserendi impositam „ sibi necessitatem ostenderet.

Pag. 114. " Audi Augustinum. Is enim " licet ardore disputandi contra Pelagianos " severius aliquando de parvulis senserit, " alibi tamen mitius pronuntiat.

Pag. 119. " In hac quæstione (ait) evenit " Augustino, quod venatoribus solet, ut " videlicet odore & desiderio prædæ quam " insequuntur, nec capiunt, toties mutent " locum, quoties spem inveniendi.

Pag. 11. de iis qui negant Deum absolutè

tè & efficaciter velle omnium ſalutem, ait: "Planè qui aliter ſentiunt, neſcio an ex "Deo vero Deum mimicum & ſcenicum "faciant.

Pag. 28. De eadem ſententia diſcipulorum SS. Auguſtini & Thomæ ait: " Sacri-"legum foret in operibus gratię tantò illis "ſuperioribus tantique momenti, de Deo "hunc ludum & larvam ſuſpicari.

Pag. 141. De ſententia totius Scholæ Auguſtinianæ & Thomiſticæ, quæ conſtanter docent non omnibus dari gratias Moliniſticè ſufficientes, ait: " Quis ergo niſi planè de-"ſipiat, ſuſpicari poſſit, in omnes creaturas "tam copioſum, tam ſplendidum Deum, "in ſolos homines tam parcum modicum-"que fuiſſe, ut eis quę ad animę ſalutem "neceſſaria ſunt, aut ſubtrahat, aut tam "inclementer, avarèque ſuppeditet . . . . "Planè id nihil aliud foret, quam nobiliſſi-"mam Dei perfectionem, quæ amor eſt, "penitus deformare, & inordinatiſſimam "reddere . . . quæ ſi tam abſurda ſunt ut in "nullum hominem cadant, quantò minus "cadunt in Deum?

Pag. 25. Docet, quod Deus, niſi abſolutè & efficaciter velit omnes ſalvari, id quod conſtanter negat Schola Auguſtiniana & Thomiſtica, a draconibus & baſiliſcis in amando proles ſuperabitur, & pag. 144.

 hæc

hæc habet: " Sicque in illo amoris affectu, " quo nullus innocentior, nullus justior, vin- " ci se ab hominibus, imo a brutis, & ser- " pentibus feret? Planè tam hæc sunt Deo " indigna, ut ne cogitari de illo quidem " sine scelere possint.

Non potuit *Nodi dissoluti* Author adversas sibi sententias Scholæ Augustinianæ & Thomisticæ sugillare acerbius; non potuit ad turbandam pacem a sede Apostolica tam expetitam, accendere flammam aptiorem.

Caput. V.

Undenam Card. Sfondratus suam Doctrinam hauserit.

Multùm miranti quî fieri possit, ut post tot utrimque scripta in hac materia, Card. Sfondratus tam procul recesserit a doctrina S. Augustini quæ Romana est, occurrit viros magnos aliquando deceptos fuisse per scripta Fausti Episcopi Reiensis & Semipelagianorum Principis. Deceptus per ea fuit Tapperus sicut refert Estius. Deceptus per eadem fuit P. Lessius, qui Faustum illum in Theologia sua manuscripta, quæ exstat Lovanii, iteratò citat pro doctrina sua de prædestinatione & gratia, non alium sanè ob finem, quam, prout

prout fieri solet, ut suam cum illius sententia probet convenire: per scripta Fausti deceptus vel potius voluntariè in eorum amorem admirationemque raptus est Sirmondus, quando Historiæ prædestinatianæ Capite 8. ait: „ Admonet hoc loco studium veritatis amorque innocentiæ, ut „ Fausti Reiensis vicem doleamus? sanctoque & clari nominis Antistiti reverentiam „ quâ fas est, deprecemur. Quis enim „ ægrè non ferat, Faustum illum, qui in „ admiratione omnibus ætate sua fuit & honore, quem doctrinę salutaris singularisque virum Sidonius, Doctorem eximium, „ Pastorem egregium Ruricius appellabat „ &c. . . . . Vexari passim a multis traducique tamquam hæreticum? . . . . Maxentii „ porrò in Faustum objectiones fallaces ac „ minimè sinceras multorum judicio habitas „ esse quis nescit? Nec causæ quicquam esse, „ cur illum de Fausto potius audiamus, „ quam Gennadium vel Possessorem, quorum alter opus egregium, alter Catholicos libros istos pronunciavit? Quin & hac „ ætate nostra non desunt, & proximo ante „ sæculo non defuerunt Viri doctissimi „ exactique judicii, qui in illorum irent sententiam.

An etiam ex illorum numero fuerit Card. Sfondratus meum non est temerè judicare:

postquam tamen perlegeram *Nodum Dissolutum*, legi etiam opera Fausti, & quosdam articulos collegi, quos visum est, cùm doctrina *Nodi Dissoluti* exhibere, ut quantùm hæc ab illis differat, & unde hausta sit, ii ad quos spectat, ferant judicium, quod mihi non arrogo.

Doctrina Fausti Rejensis de gratia, & libero arbitrio.	Doctrina Nodi Prædestinationis Dissoluti.
I.	I.
DEus hominem non solùm salvari optat, sed pro ejus purgatione multo labore desudat. Porrò pro ratione Justitiæ per se effectum medentis cura non peragit, quia voluntatem ejus, qui est purgandus exspectat. L. 1. cap. 19.	OBserva efficacissimam, & enixissimam esse hanc de nulla ove perdenda boni Pastoris voluntatem. Si enim non efficaciter vellet, cur peregre proficiscitur? cur ubique terrarum quærit? cur laborat? cur sudat? pag. 12. & pag. 81. Paratus est ergo Deus misereri & inserere modò velint.

II.

II.

Si autem eorum perditionem vero, ut manifeſtum eſt, mærore perdoluit, non voluntatem ſuam homini, ſed conſenſum hominis voluntati ſuæ defuiſſe monſtravit. ibidem

II.

Quis non dicat donare ſeriò, & efficaciter velle, qui totâ die, imò qui triginta tres annos nihil aliud egit, quàm ut manum ad dandum paratam, & porrectam haberet, rogaretque ut vellent accipere? ſi ergo non acceperunt, nulla culpa fuit volentis dare, ſed nolentis datum accipere pag. 81.

III.

Si Legatus aliquis vel Sacerdos interceſſurus pro civitate captiva, largius pretium deferat, & univerſum captivitatis populum de manu ejus recipiat, qui belli jura retinebat, & omnis omnino relaxetur lex, ac neceſſitas ſervitutis, & inter hæc ſi forte illic aliquos de cap-

III.

Statuit Rex aliquis adoleſcentem ſanguine ſibi junctum, ſed ærumnis confectum, & in exilio procul degentem in filium Regnique hæredem adoptare. Miſſis ergo Legatis ad palatium vocat, utque iter facilius nulloque labore abſolvat, jubet ſervos comites, e-

quos

captivis, vel oblectatio consuetudinis, vel malè blandus prædo sollicitet, & gratuitum beneficium unusquisque voluntatis suæ servus recuset, nunquid minoravit gratiam pretii contemptus ingrati? nunquid aliquam benèvolentiæ Redemptoris intulit diminutionem, qui respuit libertatem? ibid l. c. 16.

quos, currus, aut si malit aquâ vectari, navim instructissimam adornari, ac multam pecuniam offerri, darique electionem, curru, equo, an navigio iter aggredi malit & ad thronum capessendum venire. At ignavus adolescens, & otio diffluens, molestiam itineris causatus, domi hærere ac oblatam purpuram recusare . . . . . Quis non meritò irrideret, ac non injustas tantùm, sed insanissimas querelas crederet? at idipsum faciunt, & dicunt peccatores &c. pag. 67.

IV.

Ad conferendum remedium promptissima est bonitas medici, sed intemperantia contradicit infirmi. ibid. lib. 2. cap. 5.

IV.

Vides in arbitrio operantium esse, ut eligantur, Deo quidem gratiam ad opus offerente, sed homine oblatam acceptante, eo ferè

modo

modo quo in arbitrio ægrotantis eſt, ut ſanetur & vivat. pag. 41.

V.

Vivo ego dicit Dominus, nolo mortem impii, ſed ut revertatur impius a via ſua & vivat. Reditum ſe in poteſtate habere cognoſcat, qui a Domino provocatur ut redeat: Vivo ego dicit Dominus: ne de indulgentia reus dubitet, Judex clementiam ſuam, etiam quadam Sacramenti interpoſitione confirmat. lib. 2. cap. 19.

V.

Ita in Deo res ſe habet; ſi enim ejus ſalvandi omnes voluntatem conſideres, tam illa impenſa, & eximia eſt, ut jurejurando proteſtetur ſe nolle mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. pag. 6.

VI.

Quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti. Duas res hîc agit ſermo divinus: nam dum dicit, quoties vo-

VI.

Nullum ergo ut a miſeria, ſic a miſericordia excludit. Cujus ergo non miſeretur Deus, ſi miſeretur etiam Judæ; hoc eſt omnium perfidiſſimi, duriſſimique? & de-

volui, & noluisti, in Deo propositi bonitas, in homine arbitrii est expressa libertas. Dicendo autem, Jerusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, salvare se eos voluisse pronuntiat, cum evidenter proferat caussas, per quas salutem eis negare debuerit. ibid.

denique Christus ipse, *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis.* Matth. 23. Quibus verbis non quemcumque amorem, & providentiam Dei erga Judæos, sed maximam & præcipuam ostendit. pag. 81.

VII.

Prosper in Ep. ad Aug. n. 4. de Fausto & sociis ait: Definiunt quod ......
„ Bonitas in eo appa-
„ reat, si neminem re-
„ pellat a vitâ, sed in-
„ differenter universos
„ velit salvos fieri, &
„ in agnitionem verita-
„ tis venire ... nec
„ vacillare illud, quod
„ Deus omnes homi-
„ nes velit salvos fieri,
„ ... &

VII.

Rationes modò audiamus, quibus hæc ipsa & efficacissima omnes homines salvandi voluntas magis, magisque demonstrabitur. Nam primò Deus ex sua natura est infinita bonitas, infinitus amor; ergo quantùm ex se est omnibus benè vult, omnesque amat, & consequenter nullum perire vult. pag. 22. & pag. 9. Re igitur sic expli-

& in agnitionem veritatis venire. &c.

plicatâ a Sacris Literis ducamus initium. 1. Igitur Beatus Ap. 1. ad Tim. 2. ita loquitur: *Obsecro &c. omnes homines vult salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire: unus enim Deus unus & mediator Dei, & hominum C. J, dans semet ipsum redemptionem pro omnibus:* vides in hac sententia non semel tantùm sed sæpius ac repetitis vicibus Deum omnium salutem velle &c.

VIII.

Apostolus ait: '*Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Aliud est præscire, aliud prædestinare; præscientia itaque gerenda prænoscit, postmodum prędestinatio retribuenda describit: illa prævidet merita, hæc pręordinat præmia,

VIII.

Cùm videat aliquos benè usuros (mediis ad salutem) istos consequente etiam ac executrice voluntate, salvare proponit, & hi solùm ac propriè prædestinati appellantur .... Deus statuit Petro vitam ęternam conferre, quia prævidet præsciptis a se

mia . . . . ac sic nisi prescientia exploraverit, prædestinatio nihil decernit; oculi autem vicem præscientiæ virtus exercet, & quod se aspectui obtulerit, hoc videbit. Nunquid fecisse creditur, quod deprehendisse cognoscitur? Faustus lib. 2. cap. 3.

se mediis bene usurum.

Reprobatio verò nihil aliud est quam voluntas Dei consequens hominem ęternâ pœnâ plectendi, quia prævidet usque ad mortem peccatis inhæsurum, & gratias adeo copiosissimè datas, & cum quibus salvari facillime poterat, recusaturum. pag. 49.

IX.

An non habet potestatem figulus luti
„ ex eadem massa fa-
„ cere aliud vas in ho-
„ norem, aliud verò
„ in contumeliam. Inter hæc cum dicit *ex eadem massa*, quicumque duas humani generis massas arbitraberis, unam sacrâ ex lectione cognosce, duas autem facit pravitas studiorum & di-ver-

IX.

Quantùm est ex parte Dei, omnes dilecti, omnes ad vitam æternam aut aliquid quod ipsâ vitâ æternâ melius sit . . . . destinati, si verò voluntatem Dei consequentem & executricem attendas, hoc est illam, quæ præscientiam meriti, aut demeriti consequitur, jam incipit in communi illâ, parique massa, distinctio Pauli

versitas voluntatum. lib. 1. cap. 13.

li & Judæ esse. Ideo enim Paulus præ Juda electus, quia Paulus vocationi consensurus, Judas dissensurus prævidetur, sicque unus præmio, alter supplicio dignus. pag. 14.

X.

Inter hęc, quicumque a potentissimo ac justissimo Conditore, ita factum hominem dicit, ut unus in sinistram sine proprio crimine, impulsu tantùm præscientiæ deputetur: alter in dexteram indiscussis meritis attrahatur, hoc apertè asserere deprehenditur, inordinatas vel iniquas esse dispositiones & Factoris & Judicis. lib. 2. c. 10.

X.

Ego cum observassem in hac precipua & decretoria salutis & animarum causa, nimis parum divinæ bonitati tribui, & culpam pereuntium non tam reis imponi, quam in ipsum Judicem derivari, quasi partibus addictum & aliquibus tantùm, non omnibus propitium . . . . statui justissimi simul, & clementissimi Judicis causam suscipere. pag. 2.

XI.

Quod autem dicant, ab ineunte ætate præfi-

XI.

Observa tantùm ex sententia Augustini a Deo

finitum, in melius non posse mutari deteriorem hominis statum, hoc illic futurum creditur post vitæ hujus excessum, ubi jam nec emendatio, nec mutatio erit apud inferos: cæterùm usque in finem & ad justitiam transire pessimi, & periculum possunt timere perfecti. lib. 1. c. 12. Et c. 4. Quod si curam impendendam æstimat rationi, indubitanter intelligat, ea quæ imminent, posse mutari.

Deo abesse, ut aliquem voluntate antecedente ac sponte sua salvum nolit, ut potius paratus sit eos, in quos sententiam damnationis tulit, in gratiam, ac numerum prædestinatorum recipere, si vitam mutent & peccatis absistant ..... sicut ergo non speculum sed facies mutatur, ita cum Deus jam vult, jam non vult peccatorem damnare, non Dei sed peccatoris mutatio est: sicut ergo in arbitrio tuo est, ut non turpis, sed formosus in speculo appareas, si videlicet maculam tergas; ita in arbitrio tuo est, ut non reprobus sed electus apud Deum sis, si oblatam gratiam accipas, ac peccatum deponas. pag. 36.

XII.

Recedat hinc origi-

XII.

Cum prædestinatio &

ginalis definitio vel fatalis. lib. 1. c. 12.

& reprobatio ex sola Dei voluntate pendeat, credunt nihil amplius homini superesse, quo fatalem & insuperabilem hanc voluntatem mutare in aliam magisque propitiam possint: sed hoc iterum a veritate alienissimum est. pag. 47.

XIII.

Audi Apostolum, quomodo dealbari posse pronuntiat maculas conscientiæ, ut de vase iniquitatis vas sanctificationis appareat: "In domo, "(inquit) magna non "solum sunt vasa au- "rea & argentea, sed "& lignea & fictilia. Quid enim alia sunt vasa in honorem, alia verò in contumeliam? Attolle cor liberum ab immutabili necessitate humana conditio, & agnosce circa salutem hominis Domini

XIII.

Hæc ipsa S. Pauli sententia fuit 2. ad Tim. Cum enim de prædestinatione loquens dixisset: "Fun- "damentum Dei stat, "Cognovit Dominus "qui sunt ejus: in "magna autem do- "mo non solùm sunt "vasa aurea, & ar- "gentea, sed & lignea "& fictilia, & quædam "quidem in honorem "quædam in contu- "meliam,, mox adjungit: ,,siquis ergo "se emundaverit ab "istis, erit vas in ho- norem

mini tui ineffabilem bonitatem, cum dixiſſet, alia quidem in honorem, alia verò in contumeliam, manum ſpei fidelibus aperuit ac dilatavit, ita dicens: " Quod ſi- " quis ex his ſe ex- " purgaverit, erit vas " in honorem ſancti- " ficatum. lib. 1. c. 12.

" norem ſanctifica- " tum. Sicut ergo in arbitrio tuo eſt oblatam a Deo gratiam recipere (quæ ut poſtea probabitur nemini deeſt) ſicque a peccatis mundari; ita quoque in arbitrio tuo eſt, vas gloriæ aut contumeliæ, hoc eſt electum aut reprobum eſſe, Deo quantùm in ſe eſt, omnes ad gloriam, nullum ad contumeliam parante pag. 36.

XIV.

" Vigilate (inquit) " quia adverſarius ve- " ſter diabolus tan- " quam leo rugiens " circuit quærens " quem devoret." Si huic adverſario jam certos quoſque impoſitos, quomodo aſſeris, originis neceſſitas deputaſſet, non quæreret, quos deciperet, nec deputatis vigilare prodeſ-

XIV.

Sanè ſi hujus dilemmatis (vel ſum prædeſtinatus, vel non) aliqua vis eſſet, nemo eam melius ipſo dæmone intelligeret; & tamen iſte, ac ſi nulla prædeſtinatio eſſet, ſed omnia ex creaturarum induſtria penderent, tentando, inſidiando, perſuadendo, objecta & occaſiones offerendo,

desset. Sed non ita est. lib. 1. c. 10.

rendo, noctu diuque mille nocendi artes moliendo, nihil non agit, ut hominem seducat, trahatque in suas partes. pag. 46.

XV.

Quid enim ultra speret, quem jam gratia suum fecit? in quo è contrario non desperet, quem prȩfinitio violenta damnavit? In hoc culpa, in illo gratia locum non habet. Periclitabitur in utroque justitia, remunerabitur sine fidei merito assumptus; damnabitur sine proprio crimine derelictus. lib. 1. c. 4.

XV.

Si Deus quantùm ex se est, nulloque ad culpas hominum respectu, non vult omnes salvos, sed quam plurimos cæli, ac redemptionis suæ expertes esse; ergo non constat Deum mihi cœlum parasse, mihi quoque redimendo passum ac mortuum esse; imo suspicari possum, me de illorum esse numero, quos voto ac sponte suâ cœlo inter tam multos excludit. Quod si ita est, cadunt totius vitæ Christianæ præcipua fundamenta, Spes videlicet & Amor. pag. 29.

probè de legis operibus intumeſcebant, non in origine Iſmaelis, vel Eſau decretum fatale . . . . . . Legis opera deſtruuntur, & quod gentibus obedientia viam aperuit ad miſericordiam &c. lib. 2. c. 6.

electos, alter ad reprobos pertineat? Nihil, inquam, iſtorum propoſitum Apoſtolo fuit, ſed tantùm cur Deus voluerit potiùs per fidem in Chriſtum, quam per opera legis, in quibus Judæi tantopere gloriabantur, juſtificari. pag. 79.

XVIII.

Si dicis: ſi prædeſtinatio eſt, cur in parvulis alii baptizantur, alii ſine baptiſmi ſanctificatione rapiuntnr: ſerpentinæ fraudis eſt, ad tenebroſas cavernas, relictâ luce, transfugere. Cum per omnia volumina Sacræ Literæ evidenter liberum loquantur arbitrium, quid rationis eſt, ut interrogare velis occulta, cum ſolicitudini tuæ pleniſſimè videas reſpondere manifeſta? Quid ti-

XVIII.

Tres ergo ſunt in hoc aliiſque ſimilibus de prædeſtinatione paralogiſmis hallucinandi cauſæ: prima quod ex iis quæ occulta ſunt, ad ea neganda movearis, quæ manifeſta ſunt: quod planè abſurdiſſimum eſt philoſophandi genus. Oportet enim ex certis ad incerta, ex claris ad obſcura, & non ex incertis ad certa, ex obſcuris ad clara pervenire. Quid enim aliud eſſet certa ex incertis, & clara ex

utilitatis est, certa omittere, & incerta consulere. lib. 1. cap. 14.

ex obscuris velle discere, quam velle cęcum de coloribus interrogare, aut noctuam de sole? pag. 46.

XIX.

Hilarius ad Aug. n. 8. de Fausto, & sociis ait, „parvulorum autem causam „ad exemplum majo„rum non patiuntur „adferri . . . .

XIX.

Fatendum tamen, quia nunquam parvulis ante baptismum sublatis Deus æternam vitam voluit, istos ad alium finem, classemque providentiæ pertinere. pag. 48.

XX.

Quam (causam „parvulorum) & tuam „Sanctitatem dicunt „eatenus attigisse, ut „incertam esse volue„ris, ac potius de eo„rum pœnis malueris „dubitari. Hilarius ibid.

XX.

Aliquando ęternis ignibus cruciari dixit, libro de Fide ad Petrum c. 27. Aliquando pœnâ omnium mitissimâ, Ench. 93. Aliquando se prorsus animi pendêre ostendit, & quid statueret planè ignari. pag. 118.

XXI.

„; Quod in libro tertio de lib. arbitrio „(cap. 23. notatur ad „marg.) ita positum „meministi, ut hanc „eis occasionem potu- „erit exhibere. Hila- „rius ibid.

XXI.

Aliquando: Deum in æterna vita, inque secreto judiciorum suorum, aliquid bonæ compensationis parvulis reservare, quoniam quamquam nihil boni fecerint, tamen nec peccaverint aliquid. lib. 3. de lib. arb. ibid. Ita pro se citat caput 23. indicatum ab Hilario.

XXII.

Nunc veniendum est ad illos, qui dum gratiam aliis dari, aliis negari asserunt, munus gratiæ cum Pelagio perdiderunt. Faustus lib. 1. c. 3. & c. 17. Ille verè impius est, qui eam non omnibus ingeri, non omnibus testatur impendi.

XXII.

Manifestum est Deum non tantùm seriò omnium salutem velle, verùm etiam ad hanc consequendam non avarè, non parcè, sed effusissimè, quantùm est de se, omnia media suppeditare, quæ non sufficiant, imo abundent. pag. 128.

XXIII.

De Fausto & sociis canit Prosper c.10.

„Gratia, quâ Christi populus sumus, hoc cohibetur

„Limite vobiscum, & formam hanc adscribitis illi,

„Ut cunctos voce illa quidem invitetque, nec ullum

„Præteriens, studeat communem adferre salutem

„Omnibus, & totum peccato absolvere mundum,

„Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti

„Judicioque suo, motâ se extendere mente,

„Ad lucem oblatam quę se non subtrahat illi.

Et Faustus lib. 1. c. 17. Dicit *venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos*, ne ullus excusare se possit exclusus, qui convincitur invitatus. Licet enim non omnes

XXIII.

Nemo ergo Deum accuset: quippe nulla insula tam ferrea tamque arida, cui cœlum non pluat; Nulla anima tam deplorata, cui non sufficiens, largumque auxilium. pag. 257. vide plura supra c. 1.

XXIV.

nes obedientiam exhibituros esse prænosceret, omnibus tamen velle & posse donaverat.

XXIV.

Sicut dexteram in omni homine ipse formavit, sed & in potestate hominis posuit, ut eam quo vellet extenderet, & ad diversa conferret; pari modo sensum rationis, & arbitrium voluntatis, in unamquamque animam inseruit. lib. 1. cap. 10.

XXV.

Sicut homini manum, oculum, gressumque donavit, ita similiter omni homini voluntatem, ut eam in quamlibet partem versaret, indulsit. Justitia ergo in homine non personale, sed generale & publicum Dei munus, est aditus capessendæ salutis. lib. 1. c. 10.

XXVI.

XXIV.

Eas gratias & auxilia omnibus promittunt (Scripturæ) quibus non utcumque, sed tam facilè, commodèque legem observarent, quam facilè ea videmus & tangimus, quæ nobis vicina & ante oculos posita sunt. pag. 126.

XXV.

Dati oculi ne impingeret, pedes ne caderet, manus ne torperet, os, dentes, stomachus, ne inediâ consumeretur. Quis ergo, nisi planè desipiat, suspicari possit, in omnes creaturas tam copiosum, tam splendidum, in solos homines tam parcum modicumque fuisse, ut

eis quæ ad animę salutem necessaria sunt, aut substrahat, aut tam inclementer, avarèque suppeditet, ut difficillimè ægerrimèque consequi eam possint. pag. 141.

XXVI.

Tu deteriorem pecude hominem facis. Cur enim ei relinquis peccatum, cui tollis arbitrium? aut si eum subdis peccato, noli privare judicio. Non ergo mentiatur iniquitas sibi. Novit quid in occulto homini dederit cognitor occultorum, & ideò quando ab eo quisque pro malo opere corripitur, & condemnatur, bonum potuisse convincitur. lib. 2. c. 9.

XXVI.

Nihil deest avibus ad volandum, nihil piscibus ad natandum ..... Ergo multòque magis quantùm ex parte divinæ voluntatis est, omnes homines .... ad finem suum, hoc est Dei possessionem diriguntur. pag. 29. & 141. Magis ergo bruta inanimantia, imo creaturas inanimes diligat, quam animas immortales, suique imagine impressas & cælestis regni hæredes? magis plantis providebit quam filiis?

XXVII.

XXVII.

XXVII.

Nunquid velut insensibilis & inepta materies de loco ad locum movendus est, & trahendus? Sed trahenti & vocanti Domino famulus manum Fidei, qua trahatur extendit, & dicit, *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam*, & ita se duo ista conjungunt, attrahentis virtus, & obedientis affectus. Quomodo si æger aliquis assurgere conetur, & facultas animum non sequatur, & propterea porrigi sibi dexteram deprecetur? . . . ideo sicut gratiæ est, quod attrahitur, ita obedientiæ probatur esse quod sequitur . . . . . Ut per quandam voluntatis ansulam comprehendi & attrahi valeat, qui vocatur. Quod si eum putas at-

XXVII.

In arbitrio tuo est oblatam a Deo gratiam recipere (quæ, ut postea probabitur, nemini deest) sicque a peccatis mundari. pag. 36.

Non quod major sit in voluntate virtus resistendi, quam in Deo potentia superandi, sed quod Deus nolit potentiâ, sed gratiâ uti; hoc est non cogere liberam, sed invitare, ac more nobilis, castique amatoris petere consensum, non rapere. pag. 9.

Vides in arbitrio operantium esse, ut eligantur, Deo quidem gratiam ad opus offerente, sed homine oblatam acceptante: eo ferè modo quo in arbitrio ægrotantis est, ut sanetur & vivat, non quod pharmacum ipse præpa-

 ret

attrahere nolentes, cælesti justitiæ iniquitatis pondus imponis. lib. 1. c. 17.

ret, sed quod maximâ arte ac labore a medico paratum accipiat. pag. 41.

XXVIII.

Nihil hîc, ut opinor, redolet præsumptionis, cum & hoc ipsum incessabiliter asseram quod Deo ipsam debeam voluntatem, præsertim cum in omnibus ejus motibus ad opus gratiæ referam vel inchoationis initia, vel consummationis extrema. lib. 2. c. 8.

XXVIII.

Id semper observes, etiam ipsum velle, ipsumque accipere, & hominis esse & Dei, sed Dei magis, quam hominis; sicut sanari, & laborantis est & medentis, sed medentis magis quam laborantis. ibidem

XXIX.

Quid est autem attrahere nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere &c. lib. 1. c. 17.

XXIX.

Fixum ergo ratumque sit, nihil aliud, ex sententia Augustini, gratiam effectricem esse, quam cognitionem congruam; hoc est quæ tale tamque proportionatum objectum, talique modo proponat, ut ad illud amplectendum voluntas mag-

XXX.

magnetiſmo, & ſympathiâ quadam certiſſimè moveatur. pag. 217.

XXX.

De Fauſto & ſociis canit Proſper c. 15.
„Veluti cum voce loquentis
„Aut rerum actarum ſpecies, quas vidimus, aut quas
„Legimus, exoritur ſecretâ cordis in aulâ,
„Nunc amor, aut odium, nunc ſpes, metus, ira, dolorque:
„Nec tamen hos motus ſcriptor, narrator, & Author
„Inſeruêre animis (quamvis forte hoc quoque vellent)
„Sed de præceptis mens judex ſponte movetur,
„Et pro more ſuo, quantùm ſe exercuit iſtis,
Tran-

XXX.

Cum objecta externa ſenſum, ſenſus phantaſiam, phantaſia intellectum, intellectus voluntatem quodam nexu, ac ſerie cauſandi naturaliter moveant, fieri non poteſt, ut ex iis quæ foris audiuntur, & ſpectantur, non propotionatè, pareſque illis externis in intellectu, & voluntate, ipsâque conſcientiâ, cogitationes cognitiones, trepidationes, aliique motus, & affectus animi exiſtant. pag. 132.

Transit in affectum, quem confirmaverit ex se
Illa volendo sequens, istis nolendo resistens.

XXXI.

Hoc ergo agit in hominibus cœlestis misericordiæ dispensatio, quod in terris pluviæ supervenientis infusio. Ad copiosi imbris illapsum, cultus, & edomitus cespes multiplicatur germinum fœtibus; incultus, & crudus inutilibus herbis repletur & sentibus, ac sic unus idemque imber duas res diversas atque contrarias, juxta culturæ aut studium operatur, aut vitium. Faustus lib. 2. c. 1.

XXXI.

Quod verò alius ager proferat frumentum ad horreum, alius spinas ad ignem, id non pluviæ, quæ omnibus dulcis, adscribendum; sed bonę aut malæ agrorum glebæ: Ita quod alii benè, alii malè operantur, sicque quod alii sint electi ad cœlum velut frumentum ad horreum, alii verò sint reprobi, veluti spinæ ad ignem, id non cœli, non pluviæ, hoc est non Dei, non gratiæ defectum, sed peccatorum esse. Quæ omnia falsa sunt, si Deus non vult omnes salvos esse: id enim perinde esset, ac si cœlum in frumen-

XXXII.

frumenta tantùm, non etiam in spinas plueret. pag. 33.

XXXII.

Ad objectionem de obduratione respond. Non utique violentia compellentis, sed clementia relaxantis, obdurationis occasio est. Lib. 1. c. 18. & lib. 2. c. 1. Idem ipse Pharao in decem plagis positus, cum percuteretur mitigabatur, cum relaxaretur ingravabatur; ac sic impium divina severitas inclinabat, bonitas obdurabat, &c.

XXXII.

Hac ergo ratione dicitur Deus obdurare, excæcare, non quod revera id faciat aut velit, aut quod ejus beneficia, & influxus eò spectent, cum potiùs ex natura sua, Deique clementia, ac intentione ad solvendam cæcitatem, & obdurationem dirigantur, (quid enim ad molliendum cor Pharaonis, ad eliminandas tenebras Judæorum aptius, potentiusque Deus facere potuit, quam quod fecit?) sed quod ex Dei longanimitate & clementia, non alius sequatur effectus, quam major cæcitas, majorque obduratio. pag. 91.

XXXIII.

Ego, inquit, *obdurabo cor Pharaonis*. Sic interdum familiariter etiam apud homines hujus elocutionis vim assumimus; sic interdum contumacibus famulis exprobramus mansuetudinem nostram dicentes: ego patientiâ meâ te pessimum feci, ego remissione meâ malitiam tuam, superbiamque nutrivi, ego te contumacem indulgentiâ meâ reddidi, ego dissimulatione meâ cor tuum, vt contra me obduraretur, animavi. Ibid.

XXXIII.

Nec mirum est Deum, qui ut ab hominibus amaretur, humanam naturam induit, voluisse etiam, ut ab hominibus intelligeretur, humanam linguam imitari . . . . sic dicimus magistrum pœnis, & flagellis nihil aliud agere, quam ut contumacem discipulum magis, magisque obduret: Dominum beneficiis, & indulgentiâ servos indomitos, & insolentes reddere; non quod hoc velint, sed quod non alius effectus sequatur, quam si id vellent, datâque operâ molirentur. pag. 91.

XXXIV.

Cum inter medias correptiones profiteatur Pharao, *justus es*,

XXXIV.

Postea tamen flagellis & prodigiis fractus, & Deum agno-

es Domine, ego verò & populus meus impii, non se a Deo, sed a voluntate propria depravatum, conscientiæ suę testis ostendit; & tu Deum circa Pharaonem durum vel iniquum fuisse præsumis asserere, quem circa se justum & pium ipse sacrilegus non potuit abnegare. ibid.

novit, & peccatum suum confessus est: *Misit Pharao, & vocavit Moysem & Aäron dicens, peccavi etiam nunc: Dominus justus est, ego & populus meus impii.* Hæc verò agnitio Dei, sine gratia interna fieri non potuit. pag. 137.

XXXV.

Ad objectionem quod infideles non habeant gratiam sufficientem, respondet varia Faustus lib. 1. c. 15. Non specialem esse circa credentes Dei munificentiam docet, quando & eos quos incredulitas arguit, credere potuisse demonstrat.

XXXV.

Si nulla natio tam remota, tam barbara, cui non sol, non stella, non pluviæ, non omnia, ad vitam corporis necessaria suppetant, quis credat necessaria ad vitam defutura. pag. 47. Et pag. 132. Aut ergo injusta exprobratio Judæorum præ Sidoniis fuit: aut si justa, non minus per internam vocationem Judæi, quam Sidonii, ad exeundum, & pænitendum adjuti.

XXXVI.

XXXVI.

Nam si nihil Deus famulo suo dedit, a famulo quid reposcit? lib. 1. c. 4. & 10. Omnibus itaque oblatum est, quod ab omnibus reposcendum est.

XXXVI.

Quam non potest cæco imputari, quod magis impingat, cadatque, quam ille qui sanis oculis est, quia licet utriq. sol luceat, unus tamen internâ videndi facultate caret, alter non caret: ita non posset Judæis impœnitentia præ Sidoniis exprobrari, si utrisque æqualiter quidem Christus prædicaret, æqualiter miracula ederet, sed non utrisque gratiam internam æqualiter daret. pag. 130.

XXXVII.

Quis dubitet innumeras ejus familias Deo placitas, libertate arbitrii præditas, & ex gentibus fuisse salvatas, de quibus pauci admodum, sed clari atque perfecti, ad illuminationem sæculi sacris produntur elo-

XXXVII.

Postquam *Nodus dissolutus* retulerat a variis Socratem, Platonem, Senecam, multosque Philosophos gentiles cœlo adscribi, ait: Nulla ergo gens, nullus populus, imo nulla hominum tribus,

eloquiis? lib. 2. cap. 7.

bus, ex quo non coloniæ, & delectus in cœlum ducuntur. pag. 156. imo S. Hieronymus tradit neminem eorum qui diluvio absorpti sunt, damnatum esse. pag. 188.

XXXVIII.

Cui offert Propheta comparandæ indulgentiæ occasionem, inesse ei voluntatis asserit potestatem: sed & hoc quod Balthazar gentilis arguitur, dicente Prophetâ, *Laudasti Deos argenteos, & aureos, & ligneos, & lapideos; & Deum in cujus manu flatus tuus est, non laudasti.* Vides quia hic alienigena, & scire potuit, & laudare, sed noluit. lib. 2. c. 10.

XXXVIII.

Adeò sibi defuit (Balthazar) ut vel inertiâ, vel metu suorum, vel usu pristinæ vitæ abreptus, nec Deum quem agnoverat placandum curaret, nec consilium a Daniele, quem in aula habebat, modumque quæreret, utramque mortem temporalem, æternamque vitandi. Quid ergo Balthazar suæ perfidiæ, & ignaviæ obtendet? Et potuit, & debuit, & noluit. pag. 192.

XXXIX.

Oſtendit itaque gens illa Ninivitarum ea quæ ſaluti hominis competunt, ipsâ ordinatione facturæ, Deum intra hominem collocaſſe, & ante munera Redemptoris, circa rationabilem creaturam ſemper Authoris dona viguiſſe ....

Ninivitis ergo evidenter manifeſtata eſt clementiæ, & bonitatis plena vox Domini. ibid.

XXXIX.

Ne hunc quidem, civeſque Ninivitas exemplo Regis ſui flagitioſiſſimos, Dei clementia deſtituit. &c. pag. 198.

XL.

Altius requiramus, quare hoc loco nolle putetur Dominus ut ſanentur (id eſt) ne momen-taneâ converſione ſuſceptâ, conlatis beneficiis abutantur .... is qui poſt acceptam notitiam veritatis, id eſt, poſt collatam (veritatem) ſibi curam

XL.

Sublatâ Dei cognitione neceſſariò ſequitur, nec injuriam, nec peccatum, nec æternam pœnam eſſe. Ergo cum hac ignorantiâ impeccabiles redderentur, alioquin certiſſimè peccaturi, ſi agnoſcerent; ſequitur hoc ipſum bene-

ram salutis, sanguinem Testamenti pollutum duxerat, in quo sanctificatus est, id est, in quo sanatus est, graviora mereri supplicia Apostolo attestante perhibetur. lib. 2. c. 5.

neficium esse juxta illud Apostoli: *Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo quod illis traditum est sancto mandato.* 2 Petri c. 2. Ergo sive Barbari agnoscant, sicque invocare illum, & salutem consequi possint, sive penitus ignorent, & ideo nec possint peccare, semper verum erit, ne illis quidem misericordiam deesse. pag. 152.

XLI.

Dum Pelagii impietatem nescis refugere, ad Manichæorum dogma pestiferum, qui liberum arbitrium totum denegant, te intellige declinare. lib. 1. cap. 6.

XLI.

Nullo peccato omnis gratia sufficiens & remota, hoc est gratia petendi amittitur, sine qua omnem quoque libertatem tolli necesse est. pag. 183.

XLII.

XLII.

XLII.

Igitur dum liberi interemptor arbitrii, in alterutram partem omnia ex prædeſtinatione ſtatuta, & definita eſſe pronuntiat, etiam ſuprema remedia pœnitentiæ ſenſu abruptæ impietatis evacuat. lib. 1. c. 11.

XLII.

Id ipſum ex Sacris Literis conſtat, quæ toties omnes, nullo excepto, ad quærendun, pulſandum, petendum, vitamque mutandum invitant, quæ omnia ſupponunt hæc fieri poſſe, & conſequenter gratiam ſaltem remotam dari omnibus: alicquin fruſtra peccatores ad rem impoſſibilem invitarentur. pag. 184.

LXIII.

Hilarius in Epiſ. ad Aug, n. 3. ſcribit de Fauſto & ſociis, *Quod prædeſtinationem ejus impugnarent etiam ex ejus ſcriptis, ſignanter in Epiſt. ad Rom. prop. 60. hoc loco:* „Æquales omnes „ ſunt ante meritum, „ nec poteſt in rebus „ omninò æqualibus

XLIII.

His verbis teſte Plutarcho utebatur, (Hannibal ad ſuos milites) *Carthaginienſis mihi erit quicumque hoſtem proſtraverit.* Ita Deus mortalibus: prædeſtinatus mihi erit, quicumque peccatum vicerit: Idemque Auguſtinus in expoſitione quarumdam prepo-

„bus electio nominari.

propositionum ex Epis. ad Rom. c. 60. Scribit : *Quid ergo elegit Deus? si enim nullo merito, non est electio : æquales enim omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omninò æqualibus electio nominari*, pag. 14.

XLIV.

Cum dixerint, totum gratiæ Dei est: quis non ad tam reverendum nomen omni cordis inclinetur affectu? sed cum responderimus: totum planè gratiæ est, sed omnibus eam offert, atque ingerit ad salutem omnium Conditor ac Redemptor; ad hæc illi longè a pietatis tramite recedentes respondere præsumunt, non eam Salvator omnibus dedit, quia nec pro omnibus mortuus est. Ecce statim in se-

XLIV,

Si quis Princeps moriturus ultimis tabulis disponat ut ex regio immensoque thesauro, quem hæredi relinquit, omnes totius regni captivi redimantur, qui triremibus & servituti addicti sunt, heres verò non de singulis generum, sed de generibus singulorum, hoc, est non de omnibus sed de paucis tantùm intelligi vellet : quis non infidelem prævaricatorem, hostemque paternæ voluntatis diceret? at quantò

secundis apparet gratiæ impugnator, qui in primis putabatur assertor. Objiciunt nomen gratię, ut rem abominandum sensum operiant blasphemiæ. Faust. lib. 1. c. 4.

tò id justius dicendum de illis erit, qui contra clarissimam Scripturæ sententiam Christi redemptionem angustissimam faciunt, ejusque infinitum in homines amorem, brevissimis terminis coërcent, sicque rivum ex pelago faciunt? pag. 15.

Plura ejusmodi ex *Nodo*, & *Fausto* exhiberi possent, nisi tædium ex copia secutum, & plus secuturum timerem. Hinc ergo quibus convenit, judicent, unde *Nodi dissoluti* Author suam doctrinam hauserit. Illud interim ex dictis videtur manifestum, nequaquam subsistere, quod in approbatione, sua de illo ait F. Damascenus: *totum Augustinum longis iteratisque vigiliis, ut patet, ita hauserat, ut ipsius ore loqui videretur Augustinus.*

FINIS.

VI.

OBSERVATIONES

In Excerpta è Libro, cui titulus,

NODUS PRÆDESTINATIONIS &c.

COLLECTÆ EX ECCLESIÆ DOGMATIBUS DE

GRATIA DEI,

JUXTA EORUNDEM EXPLANATIONEM A SANCTIS PATRIBUS TRADITAM, ET PRÆSERTIM A

D. AURELIO AUGUSTINO:

Cujus disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei Gratia, defæcatissimam, ac saluberrimam Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris.

S. Prosper in fine Epistolæ ad Rufinum.

D. O. M.

Ac Salvatori Nostro Iesu Christo

Votum Collectoris

1 Cor. 2. 12. *Ut sciamus, quæ a Deo*

Donata sunt nobis;

Eph. 1. 6. *In laudem gloriæ*

Gratiæ suæ.

VI.
OBSERVATIONES
In Excerpta è Libro, cui titulus,
NODUS PRÆDESTINATIONIS &c.
COLLECTÆ EX ECCLESIÆ
DOGMATIBUS DE

GRATIA DEI,

JUXTA EORUNDEM EXPLANATIONEM
A SANCTIS PATRIBUS TRADITAM,
ET PRÆSERTIM A

D. AURELIO AUGUSTINO.

CAPUT. I.

Animadversiones quædam præmittuntur, ad tollendas ambiguitates, quæ accidere possunt in usu vocis hujus *Gratia.*

Scriptura, & Patres, quid nomine gratiæ significent.

I. CUm nomine gratiæ Scriptura, & Patres intelligant aliquod bonum quod Creaturis rationalibus à Deo gratis conceditur, vel ipsam operationem, qua Deus illud

illud idem bonum directè & per se in nobis operatur, ac plerumque absolutè gratia referatur ad illud præstantissimum bonum, ad quod cætera tendunt, nempè justitiam, virtutes, salutem, & præcipuè Dei amorem, seu fidem per charitatem operantem, quæ aliorum finis est;

Bona majora & minora. II. Observandum est primò. Nonnulla bona aliis vel eminenter vel formaliter contineri, quæ non adesse nequeunt, cæteris concessis. Ejus generis sunt pleraque inferiora vel peculiaria respectu superiorum, & generalium; ut virtutum omnium affectus, qui charitate, quæ per fidem operatur, continentur &c. Itaque superioribus bonis datis, cætera etiam data esse meritò dicitur; superiora autem bona nunquam inferioribus continentur, nec his concessis, illa data esse dici possunt.

Bona etiam minora ad alia haben-da, vel necessa-ria vel utilia. III. Observandum secundò. Multa bona, etiam minora prævias ad alia comparanda condiditiones, & instrumenta vel auxilia esse, sivè necessaria, sivè utilia: ut legem ad ejus observantiam, prædicationem ad fidem, fidem ad orationem, & dilectionem: tùm verò iis effectum aliquando tribui, sed non accuratè. Quo sensu Apostolus ait, fideles à se in Christo genitos, quod eis Euangelium annuntiasset. Verùm etsi bona illa inferiora sivè externa sivè interna, sivè naturalia,

ralia, sivè spiritualia, & supernaturalia, gratiæ dicantur esse, ad distincta alia bona comparanda, vel efficienda, non tamen hæc ipsa esse vel gratia, vel donum horum. Itaque prædicatio, fides, oratio, dilectio Divina, singuli eorum bonorum gradus, cum totidem bona distincta sint, totidem etiam dona, gratiasque distinctas esse liquet, vel distinctis gratiis, Deique operationibus ea bona tribui, cum seorsim dantur. Quapropter tam ineptè prædicationis gratia diceretur gratia Fidei, aut gratia Fidei dilectionis gratia, aut gratia exiguæ dilectionis gratia magnæ dilectionis, quam prædicationis nomine fides designareiur, aut si fidei nomine charitas, aut exiguæ dilectionis magna & consummata dilectio intelligatur.

Gratia minoris boni inepè dicitur gratia majoris.

IV. Quare cum in Scriptura & Patribus occurrunt ejusmodi vocabula, gratia vel donum humilitatis, gratia conversionis, gratia dilectionis &c. non potest intelligi nisi vel operatio Dei, qua dilectionem operatur, efficitque in nobis, vel ipsa dilectio, quæ nobis inest quatenus à Deo data atque effecta est, atque ita in fide cæterisque virtutibus, singulisque eorum gradibus, & motionibus; uno verbo, in singulis bonis ita res sese habet, ut tùm gratia ejus vel donum adesse dicitur, cum Deus ea ipsa operatur, aut ea Deo operante adsunt.

Gratiæ vocabula quomodo intelligenda apud Scripturam & Patres.

V.

Cautio adhibenda in propositionibus de gratia.

V. Itaque ut ab eis, quæ fiunt de gratia, propositionibus penitus cavillli excludantur, cautio vel consideratio adhibenda est; adversus Pelagianos præcipuè utilis ac necessaria, ut animadvertatur, primò quid sit illa gratia, quale scilicet bonum, vel qualis ipsa sit; cum gratia pro bono dato accipitur; vel per eam adsit, deturque, an prædicatio, an cognitio, an virtutes ipsæ, & aliquæ ex ipsis, vel quo gradu adsint. Idemque faciendum est cum infusionis, inspirationis, auxilii, misericordiæ, virtutis, vel doni, munerisve dati nomina occurrunt, ut nempè semper statuatur cujus boni sit inspiratio, quale bonum datum &c. alioquin cum de gratia agitur, propositiones omnes vagæ, incertæ, implicatæ, innumeris cavillis obnoxiæ sunt.

Eâ ratione Ecclesiæ Patres Pelagianorum artes eluserunt, eos cogendo ut definirent, de qua gratia loquerentur, id est, quod bonum à Deo accipiendum esse dicerent ut haberetur, vel quid Deus efficeret ut bonum aliquod adesset voluntati, an hæc, an alia ad illud necessaria, ab ipso tamen distincta, & quibus non continetur, qualis est cognitio respectu Divinæ dilectionis. Qui enim totam gratiam ad aliquod bonum opus, puta ad Deum amandum necessariam, in minoris boni gratiæ infusione & operatione collocat,

cat, eâque datâ, bonum illud amplius haberi posse putat, nempè perfectum amorem, dilectionemque Dei, acceptâ tantùm à Deo ejus velleitate, is magnum illud bonum, Deo non ipsum dante, haberi posse censet, quæ ipsamet Pelagianorum impietas est. *Pelagianorum impietas.*

VI. Id primò evidens est in illis propositionibus, quæ omnia bona a Deo esse docent, non enim accuratè, sed impropriè penitus Deo tribuuntur, si qui minora tantùm bona acceperunt, majora acquirant; aut si qui paria cum aliis acceperunt, plura comparent, quibus alii (nullo tamen amisso) sint expertes. Hoc idem multò magis in his Scripturæ, Patrumque propositionibus evidens est, quæ omnia & singula bona, dona & gratias esse vel per gratiam haberi docent. Quę non exigua solùm aut media, sed omnia penitus, & maximè quæ singillatim & nominatim ea designant, de quibus aliqui dubitant, & ipsam dilectionem, ipsum opus bonum à Deo esse decernunt. Quæ quibuslibet acceptis, alia quæ desunt, à Deo speranda & petenda esse definiunt. Exponendo enim quid sit bonum quod datum sit, quid desit, per quam operationem datum sit, quis ejus operationis futurus sit terminus immediatus, omnium propositionum sententia explicabitur. *Bona majora non tribuuntur Deo, minora tantùm danti.*

CAPUT. II.

Exhibetur notio Divinæ gratiæ, de qua agebatur cum Pelagianis, juxta expressiones SS. Patrum & Conciliorum ex Scripturis sumptas.

Naturæ humanæ corruptio in duobus defectibus consistit.

I. SCiendum prius est quod Ecclesia Catholica nos docet, corruptionem in humano genere ex peccato originali provenientem, in duobus tantùm defectibus consistere; primus est, quod homo privatur tùm lumine quod ante primum peccatum non sinebat eum falli in cognitione Dei, ejusque legis; tùm amore eidem cognitioni conformi; tùm jure recipiendi inspirationem illorum spiritualium bonorum, quæ Deus primo homini contulit ejusque posteritati destinaverat. Secundus defectus consistit in rebellione carnis contra rationem, & in eo quod ipsâ invitâ sentiatur inclinatio ad peccatum, quæ adeò ad delinquendum incitat, ut nemo, præcipuè in gravibus tentationibus, ei resistat sine ea gratia, quæ fide impetratur; quave etiam obtentâ, nequeunt adeò integrè evitari omnia prorsus peccata, quin in aliqua saltem levia cadatur; nec bonum ipsum sine difficultate aliqua perficitur.

II.

II. Ex primo itaque defectu provenit indigentia recipiendi per Jesum Christum inspirationem illius cognitionis & amoris Dei, quem in Adam perdidimus. Ex secundo autem oritur indigentia externorum auxiliorum, illam efficientium congruitatem, quæ ex favorabilibus circumstantiis oritur, quæve eo magis necessaria est, quò prima gratia debilior, ac tenuior. Itaque Ecclesia consequenter docet, gratiam internam voluntatis, quam Christus nobis meruit, ut bona, quæ in Adamo perdidimus, recuperemus, & quam eadem Ecclesia contra Pelagianos definivit necessariam esse ad omnia opera bona, consistere in inspiratione earundem virtutum, quas Adam peccando amiserat, fidei nempè, & amoris Dei, quibus Divina lex observatur; aut in jure recipiendi eandem inspirationem, cum agendi conditiones adsunt. Item docet remissionem peccatorum, & gratiam habitualem quam in Baptismo recipimus, tribuere nobis jus ad hanc gratiam, Deo nos reconcilians, & nobis obtinens Christi Spiritum, qui eas virtutes nobis inspirat.

Remedia illorum defectuum.

III. Ad hanc Ecclesiæ Catholicæ doctrinam referuntur omnes gratiæ hujus descriptiones, quas Patres ex scriptura desumpserunt, necnon testimonia quibus ad eam comprobandam contra Pelagianos utuntur; vide-

Notiones gratiæ de qua agebatur cum Pelagianis.

videlicet primò; eam esse reparationem imaginis Dei, quam ipse in primo homine sculpserat.

II. Esse gratiam novi Testamenti, quæ in eo consistit, quemadmodum ex Prophetis Apostolus probat, ut scribatur lex in cordibus nostris & spiritui nostro imprimatur.

III. Esse donum Fidei, quæ per dilectionem operatur.

IV. Esse desiderium quod Spiritus Dei in nobis excitat, ut expugnare nos faciat desideria carnis.

V. Esse Spiritum Dei, qui clamare nos facit, Abba Pater, inspirando affectum gemendi, & orandi.

VI. Esse participationem gratiæ, quam Spiritus Sanctus effudit in Christum ut Caput Ecclesiæ, & in Justos ut viventia Capitis illius membra.

VII. Esse Spiritum Sapientiæ & Intelligentiæ, & Pietatis & Consilii, & Fortitudinis & Timoris Dei, quem Christus accepit in tota sua plenitudine, & nos accipimus juxta proportionem unionis quam habemus ad ipsum.

VIII. Esse donum cælestis illius Sapien-
Jacob. tiæ, de qua S. Jacobus loquitur, continet-
3. 17. que omnes virtutes, & omnia vitia debellat.

IX.

IX. Esse singulariter donum virtutum omnium salutarium, quas Deus nobis præcipit, & omnium bonorum motuum voluntatis, quos formamus.

X. Tandem, esse amorem Dei, & proximi, qui est plenitudo legis, quique in tota æternitate perdurat, cum usque in finem vitæ conservatur.

Quæstio inter Catholicos & Pelagianos ad quid redigatur.

Quapropter S. Augustinus omnem controversiam inter Catholicos, & Pelagianos ad unum hoc punctum redigit, an amor Dei, quem utrique admittebant à nostro oriri libero arbitrio, atque esse principium aliarum omnium salutarium actionum quas Deus jubet, an, inquam, esset à Deo aut à nobis ipsis, Deo illam non inspirante.

"Unde est, inquit, in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani, si autem ex Deo, vicimus Pelagianos." Hinc gratiam definiens, ait," Propriè gratia est inspiratio dilectionis, "ut cognita sancto amore faciamus. *Lib. de grat. & liber. Arb. cap. 18. Lib. 4. cont. 2. Epist. Pelagian. cap. 5. n. 11.*

Concilium Africæ universale Carthagine habitum anno 416. eandem prorsus divinæ gratiæ notionem exhibet, nam Can. 5. definiens, quænam gratia confitenda sit adversus Pelagianos; hæc habet: "Quisquis "dixerit, gratiam Dei per Jesum Christum "Dominum nostrum propterea tantùm nos ad- *Vide S. Aug. de grat.*

& lib. "adjuvare ad non peccandum, quia per ip-
arb.cap. "ſam nobis revelatur, & aperitur intelli-
19. de "gentia mandatorum, ut ſciamus quid ap-
grat. "petere & quid vitare debeamus, non au-
Chr. c. "tem per illam nobis præſtari, ut quod fa-
26. lib. "ciendum cognoverimus, etiam facere di-
1. oper. "ligamus, atque valeamus, anathema ſit.
Imp.
cap. 93. "Cum autem dicat Apoſtolus: *Scientia in-*
1 Cor. "*flat, charitas ædificat*, valdè impium eſt ut
8. 1. "credamus ad eam quæ inflat nos habe-
"re gratiam Chriſti, & ad eam quæ ædi-
"cat, non habere, cum ſit utrumque do-
"num Dei, & ſcire quid facere debeamus,
"& diligere ut faciamus, ut ædificante
"charitate, ſcientia non poſſit inflare. Si-
Pſal. "cut autem de Deo ſcriptum eſt: *Qui docet*
93. 10. "*hominem ſcientiam*, ita ſcriptum eſt, *Chari-*
1 Iohan. "*tas ex Deo eſt.*" Apoſtolica quoque Sedes
4. 7. eodem modo veram gratiam expoſuit, ut videre eſt pręſertim in reſponſis à S. Innocentio I. Summo Pontif. ad Africanos Patres datis. Idem ſignificat etiam Concil. Arauſ. 2. dum poteſtatem, & vim ſervandi legem, tentationeſque vincendi, in chari-
Can. tate collocat; "Fortitudinem gentilium, in-
17. ex "quit, mundana cupiditas; fortitudinem
S. Au- "autem Chriſtianorum Dei charitas facit, quæ
guſtino "diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per
lib. 1.
op. Imp. "voluntatis arbitrium, quod eſt in nobis;
cap. 83. "ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt

no-

" nobis, " & clarius in fine : " Hoc etiam ſa-
" lubriter profitemur & credimus, quod ipſe
" (Deus) nobis nullis præcedentibus bonis
" meritis & fidem & amorem ſui prius in-
" ſpirat, ut & Baptiſmi Sacramenta fideliter
" requiramus, & poſt Baptiſmum cum ip-
" ſius adjutorio ea, quæ ſibi ſunt placita,
" implere poſſimus : " Concilium quoque
Trid. eà gratiæ notione tanquam principio
noto utitur ad refellendam impiam aſſertio-
nem Novatorum, de impoſſibilitate ad
implendi præcepta divina, quoad juſtos.
En verba ſacri Concilii. " Deus impoſſibilia
" non jubet, ſed jubendo monet & facere
" quod poſſis, & petere quod non poſſis,
" & adjuvat ut poſſis. Cujus mandata garvia
" non ſunt, cujus jugum ſuave eſt, & onus
" leve. Qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum
" diligunt, qui autem diligunt eum, ut ip-
" ſemet teſtatur ſervant ſermones ejus? " Ecce
quod poteſtatem, quam juſti accipiunt ſervan-
di mandata, reducit Concilium ad amorem
Dei, qui reperitur in filiis ejus & conſe-
quenter in juſtis.

Seſſ. 6. cap. 11. ex S. Auguſtino de nat. & grat. cap. 43.

Caput. III.

Recensentur Ecclesiæ Catholicæ Dogmata de Divina gratia, tum in statu naturæ innocentis, tùm lapsæ, Erroresque eis contrarii.

Gratia naturæ innocentis.

I QUoad innocentis naturæ rationalis statum constat, primò: Angelis, Adamoque in ipso ortu, fidei seù Dei cognitionis; imò & contemplationis, quâ Deum cognoscerent; Amoris, quo ipsum sincerè, purè & perfectè diligerent; omnium virtutum, quibus Dei legem perficerent, gratiam, & inspirationem esse collatam, eâque multò majorem, quam magnis nunc gemitibus implorare necesse est.

Facultas, & facilitas benè agendi.

II. Secundò constat, ex ea gratia Angelo & homini in statu innocentiæ, plenam & expeditam benè agendi facultatem, imò & summam facilitatem adfuisse.

Tertiò constat, eadem bona, perpetuâ Dei operatione & jugi inspiratione, servata, & servanda semper fuisse, nisi prius ipsi, alia potius eligendo à Deo desciscerent.

III.

III. Quartò constat, nullam ipsis necessitatem, imò nec propensionem ad peccandum adfuisse, antequam peccarent; sed integram & cui nihil penitus deesset, à Deo collatam potestatem, ut in accepta dilectione stabiles permanerent; Ita ut nihil eis, qui ceciderunt, opus esset à Deo tribui, ut stantibus similes essent. * * * * *In statu innoc. nulla necessitas quin nec propensio ad peccandum.*
* * * * * * *
* * * * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * * * * *
* * * * *
* * * * * * *
* * *

Constat denique æternam felicitatem, & in bono stabilitatem, quæ potentiori deinde auxilio tribuenda erat, ex hac boni conservatione aut non desertione, quæ penes liberum arbitrium constituta erat, retribuendam fuisse.

IV. Quoad naturam lapsam, constat Primò, naturam humanam per primi hominis peccatum iniquitati & æternæ damnationi obnoxiam esse factam. Ita S. Innocentius Primus, Epistolis inter Augustinianas 181. 182. alias 91. 93. Conc. Arauf. 1. 2. Concil. Trid. Seff. 6. cap. 1. *Dogmata Ecclesiæ de natura lapsa.*

Secundò constat ab ea iniquitate, & damnatione liberari ipsam non posse, nisi per Media-

diatorem ad hoc opus a Deo destinatum, juxta illud: *Nec enim aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Act. 4, 12.

Tertiò constat, justitiæ, charitatisque & consequenter salutis reparationem, juxtà Dei Decretum, ex fide in Deum, & conversione atque oratione pendêre; juxta illa S. Scripturæ testimonia; *Sine fide impossibile est placere Deo. Pænitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cælorum. Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

Quartò constat, naturam humanam ut jam diximus, per hoc Adæ peccatum, cognitione, & amore Dei ita orbatam, mundique amore, ceterisque inde sequentibus peccatis implicatam esse, ut neque ex iis emergere, neque illa, quibus ex singulari misericordia Deus peccati remissionem, justitiam, salutemque pollicitus est, præstare possit, scilicet pœnitere, credere & orare, nisi Deus novâ gratiâ, id est, novâ & singulari potentiæ suæ operatione; illa mala emendet & hæc bona præstet.

Fidem & conversionem divino munere & operatione Dei in nobis effici ostenditur.

V. Quid enim in Scripturis clarius, quam ipsam fidem, ipsam conversionem, cordis mutationem, indurationis seu contumaciæ & obcæcationis emendationem divino munere & potentiâ in nobis effici? Quid familiarius his Dei promissis; *Auferam cor lapideum & dabo cor carneum?* Quis Patrum sivè quis Chri-

Christianorum, humani generis ad verum salutare cognoscendum infirmitatem aut potius impotentiam non agnovit? Quis non eam infirmitatem & cæcitatem ac ad omnia verè virtutis & pietatis studia ineptitudinem, ex Philosophorum cæcitate colligi docuit? Quis non indè Christi ejusque gratiæ & Euangelii necessitatem demonstravit? Quis illam gratiam primùm Judęis concessam, gentibus negatam, ab illis deinde ad gentes translatam, iisdemque Judæis ante mundi exitum communicandam esse non dixit? Quis hoc donum tunc demum concessum esse non observavit, cum jam cætera præ iniquitate inutilia esse compertum esset, cum ad immensum excreverat iniquitas generis humani? Quis Religionis Christianę veritatem ex Christi in convertendis ad se omnibus gentibus potentia, ex promissorum, seù prophetiarum, quibus id futurum prædicabatur, effectu non demonstravit?

VI. Quo pertinent solemniter celebratæ ab omnibus Episcopis, omnibus Sacerdotibus, omnibus Christianis populis orationes pro conversione Gentilium, Judæorum, hæreticorum, pro perseverantia fidelium ac justorum; si ad hoc demonstrandum minimè valent, fidem, conversionem, perseverantiam, specialia & gratuita Dei dona esse, seù ex speciali gratia, quam Ecclesia à Deo *Idem ostenditur ex orationibus.*

Epist. precibus suis exposcit, hominibus inesse?
117. n. Unde Patres Africani in Ep. ad Innocen-
4. al. tium concludunt, *Ipsa igitur oratio clarissima*
95. *est gratiæ testificatio.*

Ex ipsa expe-rientia. VII. Quid denique evidentius illâ omnium sæculorum experientiâ, neminem ex tot Gentibus, ex iis etiam qui minus mali essent, ex tot Philosophis qui summo studio veritatis cognitioni incubuissent, absque peculiari Dei revelatione, qualis Abrahæ contigit, aut illorum quibus concessa esset institutione, qualis Abrahæ posteris accidit, veram Religionem agnovisse, ab Idololatria recessisse? An non omnes gentes, populique orbis terrarum, quò plus pietatis præ se ferebant, eo magis in Idololatriæ iniquitate immersi erant? An non Philosophi & prudentiores quique, quo magis ingenii viribus ad cognoscendam veritatem & errores vulgi repudiandos nitebantur, eo magis ab omni pietate, ab omni Religione, ab omni præcipuè fide, & credulitate alieni erant? Quibus benè perpensis, manifestè dignoscitur insufficientia, inhabilitas, ac etiam impotentia humanę naturæ ad salutaris veritatis cognitionem adipiscendam, & ad quævis opera verę pietatis exercenda, simulque demonstratur necessitas specialis illustrationis, & singularis gratiæ Dei ut ejusmodi bona habeantur. Cumque eadem bona,

fi-

fidei nempè, dilectionis &c. aliis adſint aliis deſint, aliis conceſſa aliis negata eſſe liquet.

VIII. Quintò conſtat, electionem & diſcretionem gratiæ nullis antecedentibus operibus, aut ſtudiis niti, ita ut minus malis negetur aliquando, peſſimis concedatur: quod vel ex Chriſti adventu & Evangelicæ prædicationis munere perſpicuum eſt; a quo magnâ ex parte fidei & pænitentiæ donum pendet, cum hæc cæleſtis inſtitutio peſſimis temporibus conceſſa ſit, melioribus aut minus malis & magis tolerabilibus negata. Item Chriſti tempore iis præſtita ſit qui eam contumaciâ ſuâ repulerunt, ut liquet de Judæis, Corozaim & Bethſaida; iis negata, quos ad fidem & pænitentiam induxiſſet, ut idem Dominus teſtatur de Tyriis & Sidonienſibus. *Electio gratiæ penitus gratuita.*

IX. Sextò conſtat, fide, pænitentiâ & oratione remiſſionem peccati & veram integramque juſtificationem a Deo tribuendam eſſe, illis enim Deus promiſit & præſtat pro ſumma bonitate ſua. Ea verò propriè & accuratè merita non ſunt, ut Synodus Trid. docet, neque enim illi Dei amicitiâ & adoptione digni cenſeri poſſunt, qui adhuc ejus innimici ſunt & Diabolo mancipati, quamvis ab hujus dominio ſolvi & Deo reconciliari cupiant. Ea tamen ſtudia meriti nomine aliquatenus appellare licet, ut notat *Fidei, pænitentiæ & orationis meritum.*

S. Aug. quod ipsis Deus justitiæ & reconciliationis beneficia promiserit. Eoque sensu meriti nomen Patres & Concilia usurpaverunt cum Pelagianos, & Semipelagianos damnavêre, quod fidem ex antecedentibus meritis dari statuerent; Hi enim ea studia & credulitatis exordia, quorum intuitu fidem ipsam seu ejus incrementa dari censebant, meriti nomine indigna esse ultrò profitebantur.

Justificatus non deseritur à Deo nisi prius Deum deserat.

Seß. 6. Cap. 11. ex S. Augustino de nat. & Grat. c. 26.

X. Septimò constat, justificationi id ex Dei justitia promissisque tribui, ut nunquam anima ejus particeps à Deo deseratur, vel ejus dilectionis inspiratio qua cognita sancto amore faciat, eidem subtrahatur, nisi Deum ipsa ante deseruerit. Hanc veritatem Patres docent: & Concil. Trid. definit his verbis: *Deus suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.*

Perseverantia usque in finem speciale donum

XI. Octavò constat, ad naturam lapsam quod attinet, singulari Dei gratiâ & protectione, quæ speciale perseverantiæ donum appellatur, opus esse, ut quis in finem Deum non deserat, ipsique conjunctus ex hac vita migret. Quod pariter statuit Conci. Trid. Atque vel ex iis consideratis evidens est, quæ tum ad istam perseverantiam pertinent, tum à libero non pendent arbitrio, ut tentationes, quibus quisque in malum indu-

cen-

cendus est adsint vel absint, tùm ut opportuno tempore & cum Deo conjunctus est, ex hac vita quisque transferatur vel non transferatur. Hoc autem donum nullis antecedentis justitiæ meritis certâ lege tribui, non solùm fide, sed experientiâ ipsâ notum est; cum iis, qui optimi fuerunt, aliquando negetur, aliis plerisque minus bonis sæpè concedatur. Equidem humilibus, orantibus, vigilantibus &c. semper à Deo præstatur ut Scriptura, Patresque docent, atque etiam ex Dei promissis, vel protectio, quâ tentationes removeantur, vel virtutis incrementum, quo superentur. Verum id non antecedenti humilitati & orationi, sed tum perseveranti præstat. Ipsa autem orationis, humilitatis, vigilantiæ perseverantia nullis meritis, vel comitibus, vel antecedentibus certò tribui potest.

Dei & gratuitum. Ibid. cap 13.

Hæc est igitur, quæ penitus gratuita est. Cur enim alios Deus suæ mutabilitati permittat, ut ab humilitate, oratione, vigilantiâ recedant; alios ita protegat & adjuvet, ut his præditi moriantur, nulla ex antecedentibus studiis ratio peti potest, ita ut illic maximè locum habeat exclamatio Apostoli: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!*

XII. Ista de divina gratia seu de misericordia & justitia Christianæ Fidei Placita

Errores contra-

rii doctrina Ecclesiæ de vera gratia.

ta varii Hæretici contrariis erroribus impugnarunt. Unâ ex parte primò, Veteres illi ut sup. notavimus, qui naturas essentialiter bonas & malas, atque adeò felices, & miseras esse constituerunt, Valentiniani, Manichæi, &c. Secundò, qui voluntati creatæ, etsi natura neque bona neque mala sit, præter ullum virtutis & peccati intuitum, felicitatem, & miseriam à Deo præparatam esse voluerunt. Tùm verò voluntatem ipsam innocentem tam in bonum, quam in malum divinâ potentiâ atque operatione compelli & determinari, cujus impietatis olim incusati sunt, quos Prædestinatianos appellamus. Calvinus & plerique ex ejus Secta ob eandem impietatem meritò damnati sunt. Tertiò, qui naturam lapsam ita per Christum salvari & reparari voluêre, ut nulla ipsi vera justitia, nulla vera merita conferantur; sed manente iniquitate & peccato, fidem de salute per Christum futura, pro justitia, quæ abest, solis electis seu Prædestinatis reputari, atque adeò gloriam non cujusque meritis, sed soli de propria prædestinatione fidei conferri. Denique, qui eos fideles, qui peccatis suis acceptam justitiam seu divinæ dilectionis inspirationem extinguunt, ac propterea damnantur, ex peccati originalis merito vel deseri à Deo vel damnari docent.

XIII.

XIII. Altera ex parte Ecclesiæ de iisdem Capitibus doctrinam contrariis erroribus impugnarunt: Primò, qui creatæ voluntatis arbitrium ante peccatum, & etiam postea tam bonos, quam malos motus exercere posse dixerunt, Deo non ipsos bonos ut nec malos operante, etsi non repugnare putarent, ut bonos Deus operaretur cum libertate. Itaque quemadmodum voluntas bona, Deumque amans ab eo deficere potest, Deo ipsam defectionem minimè operante; ita malam & à Deo aversam ad ipsum converti posse, Deo ipsam conversionem non efficiente: eò tamen difficilius, quo pejor, & à Deo magis aversa atque ad creata conversa sit. Cujus impietatis Origines Autor habitus est, fautores celeberrimi Pelagius & Cęlestius, eorumque discipuli fuêre. *Aliî ex opposito errores.*

Secundò, eodem errore ex parte retento, Ecclesiæ doctrinam de divina gratia impugnarunt, qui a S. Prospero Reliquiæ Pelagianorum, à nobis Semipelagiani vocantur, qui duplicis veluti classis fuêre. Alii magis moderati eandem explicandæ gratiæ rationem sequentes, quam S. Augustinus circa prima conversionis tempora & ad Episcopatum usque tenuerat, omnia quidem bona, ea præcipuè per quæ boni sumus, cæterisque bene utimur, his nunquam malè, omnia

omnia virtutum studia, omnes ad illas motus & progressus, omnes actiones probabiles, omnia & singula liberi arbitrii opera quæ bona & laudabiliora sunt, dona Dei esse, neque à voluntate fieri, nisi Deo totum ejus velle & operari operante. Ex quo etiam sequebatur, quæ semel amissa essent & à peccato extincta, non posse nisi Deo eadem restituente, recuperari. Nec alias voluntatis etiam sanæ & vigentis partes esse, nisi ut accepta bona servet, motumque peccati, quo illa extinguuntur, non exerat. Quocirca isti à Pelagianorum impietate, qui voluntatem ad bonum & ad malum per se producendum, communibus & necessariis ad utrumque auxiliis præsentibus æquè validam & liberam esse statuerunt, sincerè abhorrebant; iidem præterea post primi hominis peccatum salutaris veritatis revelatione aut internâ aut externâ, quæ gratuita penitus erat, ad initium bonorum operum & ipsa Fidei exordia opus esse prędicant. At verò ejusmodi gratiâ antecedente vel accedente, inesse cujusque voluntati tantum gratiæ internæ ac virium ex primævæ justitiæ divinęque imaginis reliquiis, ut qui eas propriis peccatis non corrupisset, aures initio Fidei, hoc est propositæ salutari veritati suscipiendæ haberet idoneas. Cæterum cum Ecclesia Catholica sincerè prædicabant

alias

alias virtutes omnes, veræ pietatis ſtudia, & vires ad legem Dei obſervandam idoneas, originali peccato amiſſas, & ex conſtituto de virtutum origine principio, niſi Deo reſtituente à nemine recuperari poſſe, ita ut nihil boni voluntas deinceps efficeret, niſi Deo per Chriſtum gratiâ id præſtante, ac velle ipſum & operari operante. Sed hęc Divina gratia & operatio ut aliis adeſſet & aliis deeſſet, non ex mera Dei miſericordia & beneplacito accidere, ſed accedente Juſtitiæ Decreto, quo ſe omnibus adjuturum eſſe pollicitus eſt quærentibus, pulſantibus, petentibus, orantibus, ex illa ſcilicet fide, quæ ex illis primævæ gratiæ reliquiis, affulgente prædicationis lumine prodiiſſet.

Alii plerique Semipelagiani in tantùm à Pelagianorum, ut ait D. Proſper, veſtigiis non recedebant, ut nullâ primævæ originalis illius gratiæ, aut novæ per Chriſtum illuminationis habitâ ratione, tantum fere voluntati ad benè, quam malè agendum facultatis ineſſe contenderent; Deo non magis ipſum bonum, quam malum velle in ipſa operante, nihilque ex originali peccato (quod ambitioſè contra Pelagianos ſe admittere profitebantur) mali acceſſiſſe voluntati, præter peccati reatum, niſi aliquantum propter vitioſos con-

concupiſcentiæ motus ad virtutem conſequendam difficultatis, qualem Pelagiani ex propriis cujuſque peccatis accidere ultrò prædicabant. Itaque à vitiis ad virtutes aſſurgere & à virtutibus ad vitia declinare, penes proprium cujuſlibet arbitrium eſſe poſitum.

His pro recta eorum, quę deinceps dicenda erunt intelligentia præmiſſis, incipiam proponere præcipua capita ejus doctrinæ, quam in ſuo libro Emin. Sfond. expoſuit, ut Nodum Prædeſtinationis diſſolveret, eaque poſtea perpendenda erunt.

Caput. IV.

Adducuntur Gratiæ notiones ſeu definitiones, quas Cardinalis Sfondratus tradit, & explicat.

UT melius poſtea conſideremus ea quæ Autor iſte docet, tùm de voluntate Dei circa omnium hominum ſalutem, tùm præcipuè de gratiis & mediis neceſſariis ad illam conſequendam, prius ſcire opus eſt, quam gratiam ipſe profiteatur, quod ex

ejus

ejus definitionibus, quas ille contexuit, manifestum fiet.

Antequam ad definiones suas deveniat, advertit naturam humanam seu voluntatem non moveri nisi gaudio & delectatione, quod verum est: nam sicut voluntas non fertur in objectum suum quod est bonum nisi volitione & amore, ita & delectatione. Quid est enim aliud delectari aliquâ re, quam eam velle & amare? Ista namque re-ipsa eadem sunt, & sicuti non volumus & non amamus nisi quod delectat, ita nihil delectat nisi quod volumus & amamus. Hanc perspicuam veritatem pluribus exponit, & probat nonnullis, ex infinitis quæ adduci possunt, S. Augustini testimoniis ut est illud celebre. *pag.* 205.

"Cum id quod agendum est cæperit non "latere, nisi etiam delectet & ametur, non "agitur, non suscipitur &c." Et aliud lib. 1. ad Simpl. ubi S. Doctor hęc habet. "Quis animo complectitur aliquid, quod "eum non delectat? aut qnis habet potesta"tem, ut vel occurrat quod eum delectare "possit, vel delectet cum occurrerit? Cum "ergo nos ea delectant, quibus profici"mus ad Deum, inspiratur hoc, & pro"batur gratiâ Dei, non nutu nostro, aut "industriâ, aut operum meritis comparatur." *De spi. & litt. cap.* 3. *pag.* 210.

Ex quibus pluribusque aliis; quæ addu-

xe

"boni tam affabrè voluntati depingit ut ra-
"piat in amorem.

Id verò afferit oftendi a S. Doctore exem- *pag.*
plo Efthera Reginæ, de qua Sfondratus ob- 212.
fervat, eam quamvis pulchram ornatamque,
"non tamen flexiffe animum Regis . . . :
"flexiffe autem pallidam, exanguem & in deli-
"quium, finumque ancillæ collapfam, quod
"ergo non forma, non rofeus color, non
"regius ornatus potuit, id pallor & deli-
"quium potuit &c." Et poft multa alia in
eandem rem dicta, tandem infert. "Quid
"ergo mirum, ait, aliquid effe, quod etiam
"voluntatem, fi oftenderetur, certiffimè in *pag.* 213.
"aliam mutet? Oftendere verò, inquit, ad
"gratiam pertinet.

Magnam quoque vim animos commo-
vendi extare demonftrat in cantibus, fonis,
& mufica, & poftea indè colligit, " Si ergo,
"ait, in mollienda flectendaque voluntate, *Ibid.*
"tantùm valet proportio foni, quantò ma-
"gis valebit proportio & cognitio boni,
"quod proprium illius objectum eft? An
"verò poterit peritus muficus reperire fo-
"num, quo certiffimè affectum moveat, &
"non poterit Deus reperire objectum, quo
"certiffimè voluntatem in aliam mutet?
"Aut anima magis cantui fubditur, quam
"veritati?

Denique ad hoc ipfum præftandum *pag.* 215.
plu-

plurimum valere ostendit vim persuadendi seu eloquentiam & inde ita discurrit.

Pag. 216. "Si ergo in ducenda, volvendaque voluntate tanta vis est verbo humano, quanta erit verbo divino? Potest philosophus verba & argumenta reperire, quibus intactâ libertate, voluntatem pleno cursu ruentem non tantùm sistat, verùm etiam in oppositum vertat, & non poterit Deus! Plus dabimus Oratori, quam Creatori? Quibus animadversis, ita gratiam definit.

Ibid. Gratia Sfondratiana. "Nihil aliud est, inquit, triumphatrix gratia, de qua loquimur, quam Oratio & Rethorica Dei humanam voluntatem alloquentis, & alloquendo in quamcumquē partem voluerit persuadentis. „ Quod his Scripturæ verbis declarat : *Liquefacta est anima mea, cum dilectus loquutus est*, inquit aliqua, subjungit Ipse " *quæ amat*; hoc ergo est, ait, cordi duro verbum Dei, quod metallo est ardor ignis, liquescunt igni metalla, & non liquescunt corda Dei verbo? Fac ærea, fac adamantina esse, ad hunc ignem solventur. Quod si in magno hoc mundo, dicente Deo, facta sunt omnia, nihil novi aut insoliti est, si dicamus etiam in mundo minori, hoc est homine, dicente Deo, fieri omnia &c.

Unum

" Unum Dei verbum nutuſque ſufficit: dixit " *Fiat lux*, & facta eſt lux; fiat Cœlum, " fiat mare, factumque Cœlum & mare; " cur non etiam dicente illo, fiat in volun- " tate amor, non fiet amor? fiant lacrymæ, " fiat caſtitas, non fient lacrymæ & caſti- " tas? Ergo ut aliquando concludam: " Deus qui dicendo fecit mundum ex nihilo, " dicendo quoque facit juſtum ex peccatore, " nam & peccatum nihil eſt, & hoc ipſum " ita dicere, ut hoc fiat, eſt gratia Dei, " quam prædicamus, & quam ſemper docuit " Aug. Qui verò aliter explicant, aliter " ſentiunt, pace illorum dixerim, nec ſatis " cum Auguſtino conveniunt, nec tantum " Deo in anima loquenti tribuunt, quantum " Dei verba merentur.,, Hoc modo expoſitâ ſuâ primâ gratiæ definitione, ad aliam devenit, ita abſolutè decernens.

pag. 217.

"Fixum ergo ratumque ſit, nihil aliud "ex ſententiâ Auguſtini gratiam effectricem " eſſe, quam *cognitionem congruam*, hoc eſt, " qua tale, tamque proportionatum objec- " tum, talique modo proponat, ut ad illud " amplectendum voluntas magnetiſmo & " ſympathiâ quadam certiſſimè moveatur." Qua definitione explicata, tandem docet, " Quod nulla cupiditas, nulla conſuetudo, " nullum vitium erit, quod timori omnium " maximi & certiſſimi mali, ac ſpei omni-

Ibid.

"um maximi, & certissimi boni non continuo cedat, gratiâ utrumque validissimè proponente." Hæc celebris ille Vir gratiam Dei definiens, atque declarans. Quæ prolixius, ac prout jacent referre censui, ut manifestius fiat, quodnam ipse principalis gratiæ genus constituat, Augustinoque tribuat.

CAPUT V.

Allatas definitiones non continere notionem ejus gratiæ, de qua agebatur cum Pelagianis: Easque non esse Juxta mentem S. Augustini ostenditur ex ejus testimoniis.

REctè quidem & juxta Augustini sententiam Sfond. ex ejusdem S. Patris, quas retulerat, assertionibus colligit gratiam Dei manifestatione ęternæ veritatis, & infusione delectationis seu dilectionis summi boni, nempe Dei, efficere ut homo peccare non velit; sed optandum erat, ut collectam do-

doctrinam integram retineret ac deinceps suam sententiam exponendo, definitionesque gratiæ formando, meliorem ejus partem imò totam illam, de qua cum Pelagianis disputabatur, non omitteret, si illi cordi erat Augustinum sequi.

I. Hic namque eo, quem ipsemet citat, loco ad simplicianum docet, ad credendum duo requiri, ut scilicet veritas salutaris repræsentetur, & ut delectet; " Ut autem delectet, inquit, inspiratur hoc, & præbetur gratiâ Dei non nutu nostro &c. " Id præclarè, & generaliter tradit citato lib. de spir. & litera: Ubi hęc habet c. 3. "Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via & cum id quod agendum est & quo nitendum est, cæperit non latere, nisi etiam delectet, & ametur, non agitur, non suscipitur, non benè vivitur. " Ut autem diligatur, Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per liberum arbitrium, quod surgit ex nobis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Quam veritatem toto eo libro clarè demonstrat adversus Pelagianos docens. *Humanam voluntatem* (verba illius sunt) *sic divinitus adjuvari* ad faciendam justitiam, ut pręter id quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam, qua ei præcipitur,

Lib. 1. q. 2. n. 21.

Ad credendum & bene operandum requiritur cognitio & dilectio Dei. cap. 3.

Ibid.

quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum ſanctum quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque ſummi illius atque incomparabilis boni, quod Deus eſt.

Quam gratiam Pelagiani negarent & quam admitterent.

II. Ubi obſervandum eſt Pelagianos ſemper eam gratiam negaſſe, quę in dilectione Dei, cæteriſque bonis motibus liberi arbitrii, ſive in operatione Dei, quâ ejuſmodi boni motus, & affectiones inſpirantur, conſiſtit. Non verò negabant gratiam illam, quę ſita eſt in lege atque doctrina ſeu, ut modo dici cęptum eſt, in Oratione, & Rhetorica Dei; quin imò hoc genus gratiæ ultrò profitebantur. Audiamus Pelagium ipſum illud prædicantem. Sibi enim opponens locum Apoſtoli: *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere.*

Apud S. Au. lib. de grat. Christi cap. 10.

" Ita oppoſitionem eludere nititur: *Operatur,* " inquit, in nobis velle quod bonum eſt, " velle quod ſanctum eſt, dum nos terre- " nis cupiditatibus deditos, & mutorum " more animalium tantummodò præſentia " diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & " præmiorum pollicitatione ſuccendit; Dum " revelatione ſapientiæ in deſiderium ſui ſtu- " pentem ſuſcitat voluntatem; dum nobis " SUADET omne quod bonum eſt.

Ibid.

Qua interpretatione adductâ, S. Aug. Hæreſiarchæ fraudem detegens ſubdit: "Quid manifeſtius, nihil aliud eum dicere gra-

tiam

"tiam, qua Deus operatur velle quod bo-"num est, quam legem, atque doctrinam? "In lege namque & doctrina SS. Scriptura-"rum futuræ gloriæ atque præmiorum "promittitur magnitudo; ad doctrinam "pertinet etiam, quod sapientia revelatur; "ad doctrinam pertinet cum suadetur om- *p.* 216. "ne quod bonum est. Etsi inter docere & "suadere, vel potius exhortari distare ali-"quid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ "generalitate concluditur. Nam & sanctæ "Scripturæ & docent, & exhortantur, & po-"test esse in docendo & exhortando etiam "hominis operatio." Quod Sfondratus quoque fatetur ut ostendat vim Rhetoricæ Dei in voluntatem hominis. "Nec mirentur, "inquit, si dicimus posse Deum argumenta "& rationes invenire, quibus certissimè "quamcumque etiam obluctantem volunta-"tem expugnaret, cum id Diogenes, Julii, "Antonii, Cleopatræ, Xenocrates, alii-"que potuerint." Nescio cur nostros sacros Oratores non nominaverit, nisi fortè quia de his, quantumvis disertissimis, dicitur, *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* At redeamus ad August. qui declarans quam gratiam Pelagius debuisset confiteri, immediatè subjungit: "Sed nos, inquit, eam "gratiam volumus iste fateatur, qua futuræ

"gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur,
"verum etiam creditur & ſperatur, non
"ſolùm revelatur ſapientia, verum etiam &
"amatur, nec ſuadetur ſolùm omne quod
"bonum eſt, verum & perſuadetur; *Non*
"*enim omnium eſt fides*, qui audiunt per
"Scripturas Dominum Regnum Cœlorum
"pollicentem; aut omnibus perſuadetur,
"quibuſcumque ſuadetur ut veniant ad
"eum qui dicit. *Venite ad me omnes qui la-*
Matth. "*boratis.* Quorum autem ſit fides, & qui-
11.28. bus perſuadetur ut ad eum veniant, ſatis
ipſe demonſtravit ubi ait, *Nemo venit ad me*
Johan. *niſi Pater qui miſit me traxerit eum.* Et pau-
6.44. lò poſt, cum de non credentibus loquere-
tur, *dixi*, inquit, *vobis*, *quia nemo poteſt*
venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre
meo. Cum autem Pelagius à Catholicis
accuſaretur, quod in lege tantùm gratiam
poneret; Reſpondit, *gratiam nos non, ut tu*
putas, in lege tantummodo, ſed & in Dei ad-
jutorio confitemur. Tum Aug. reponit,
"Quis non hic deſideret, ut oſtendat, quam
"velit intelligi gratiam? Propter hoc enim
"maximè de illo expectare debemus, ut dicat
"hoc, quod dicit, non in lege tantummodò
"ſe gratiam confiteri; ſed nobis hac expecta-
"tione ſuſpenſis, quid addiderit intuemini.
"*Adjuvat enim nos*, inquit, *Deus* per doctri-
"nam & revelationem ſuam, dum cordis
no-

„ nostri oculos aperit, dum nobis, ne præ-
„ sentibus occupemur, futura demonstrat,
„ dum Diabôli pandit insidias, dum nos mul-
„ tiformi & ineffabili dono gratiæ cælestis il-
„ luminat. " Deinde sententiam suam qua-
„ dam veluti absolutione concludens : *Qui hæc dicit*, inquit, *gratiam tibi videtur negare*, " an & liberum arb. & Dei gratiam confitetur? Hanc etiam Pelagii artem qua errorem suum occultare conatur, S. Aug. eludit his verbis : „ In his omnibus, inquit, non re-
„ cessit à commendatione legis, atque do-
„ ctrinæ, hanc esse adjuvantem gratiam di-
„ ligentet inculcans, & hoc exequens, quod
„ proposuerat, *sed in Dei esse adjutorio confitemur.* Denique Dei adjutorium multipliciter insinuandum putavit commemorando doctrinam, & revelationem, & occultam cordis adapertionem, & demonstrationem futurorum, & apertionem Diabolicarum insidiarum, & multiformi, & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminationem, ad hoc utique ut divina præcepta, & promissa discamus. Hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege atque doctrina &c.

III. Pelagianos admisisse eas gratias, quæ ad suadendum & exhortandum pertinent, sive à Deo immediatè, sive per Ministros ejus adhibeantur, magis etiam constabit, si advertamus gratiæ adjutoria, quæ profitebatur

Pelagiani admiserunt gratiam quæ

spectat ad suadendum & exhortandum.

Apud S. August. lib. 3. Op. Imp. cap. 106.

batur Julianus. En ejus verba "Affirmamus, "inquit, à Deo fieri hominem liberi arbitrii, cumque innumeris divinæ gratiæ speciebus juvari, cui possibile sit vel servare Dei mandata, vel transgredi &c. Et hoc est ubi liberum arbitrium esse defendimus, "ut cum Deus tam multis modis benignitatem suam afferat, id est præcipiendo, benedicendo, sanctificando, coërcendo, provocando, illuminando, unusquisque eorum, qui jam ratione utitur, liberum habeat, voluntatem Dei vel servare, vel spernere.

S. autem Aug. hac gratiæ confessione meritò non contentus, ita Juliano respondet. "Tam multa, inquit, dicis quibus nos adjuvat Deus, id est, præcipiendo, benedicendo, sanctificando, coërcendo, provocando, illuminando, & non dicis "charitatem dando, cum dicat Joannes Apostolus. *Charitas ex Deo est*, unde etiam "dicit. *Ecce qualem charitatem dedit nobis Pater; ut filii Dei vocemur, & simus.* "In hac charitate, quæ cordi humano spiritu NON LITERA datur, etiam potestas "illa intelligitur, de qua idem ipse in Evangelio suo; *Dedit eis*, inquit, *potestatem filios Dei fieri.* Hanc vos ab homine "esse dicitis homini per liberum arbitrium, "spiritum habentes hujus mundi, non cum qui

1 Joh. 4. 7.

Ibid. 3. 1.

Johan. 1. 12.

"qui ex Deo est, propter quod nescitis quę à 1 *Cor.*
"Deo donata sunt nobis &c." Item alibi in 2. 12.
eodem proposito, "Inter divinæ gratiæ spe-
"cies, inquit, si poneretis dilectionem, *Op.*
"quam non ex nobis, sed ex Deo esse, *Imp.*
"eamque Deum dare filiis suis apertissimè *lib.* 3.
"legitis, sine qua nemo piè vivit, & cum *cap.*
"qua nemo nisi piè vivit, sine qua nullius 122.
"est bona voluntas, & cum qua nullius est
"nisi bona voluntas, verè liberum defen-
"deretis, non inflaretis arbitrium. "Ea-
dem habet alio loco; "Cum quæritur, *Ibid.*
"inquit, à vobis, quæ sint adjutoria gra- *cap.*
"tiæ Dei, edicitis quæ supra commemora- 114.
"sti, *Deum adjuvare præcipiendo &c.* Quæ
"omnia etiam per homines fiunt secundùm
"Scripturas. Nam & præcipiunt homines,
"& benedicunt, & per divina Sacramenta
"sanctificant, & corripiendo coërcent, &
"exhortando provocant, & docendo illu-
"minant. Non tamen qui plantat est ali-
"quid, neque qui rigat, sed qui incremen- 1 *Cor.*
"tum dat Deus. Hoc est autem incremen- 3. 7.
"tum, ut unusquisque obediat præceptis
"Dei, quod non fit, quando verè fit, nisi
"Charitate. Istam Charitatem non dat nisi
"Deus. Charitas enim ex Deo est. Hanc
"vos inter adjutoria gratiæ, quæ comme-
"moratis, nominare non vultis, ne hoc

cedenti de Rhetorica definitionem progrediens, ratiocinationem suam decretoriis verbis, ut de re certissima, ita concludit. „Fixum ergo ratumque sit nihil aliud ex "sententia Augustini gratiam effectricem esse, "*quam cognitionem congruam*, hoc est quæ tale "tamque proportionatum objectum, talique "modo proponat." Atque id quidem consequenter ad illud suum dictum quod, *Ostendere ad gratiam pertinet*. Modo videamus an id, & mox allata definitio sit juxtà S. Augustini sententiam, an verò aliud de gratia ipse censeat.

pag. 217.

Agens itaque de illa gratia, quam summopere contendebat, ut Pelagiani confiterentur: " Hæc gratia, inquit, si doctri-"na dicenda est, certè sic dicatur, ut altius "& interius eam Deus cum ineffabili sua-"vitate credatur infundere, non solùm per "eos qui plantant, & rigant extrinsecus, "sed etiam per se ipsum qui incrementum "suum ministrat occultus, ita ut non osten-"dat tantummodo veritatem, verum etiam "IMPERTIAT CHARITATEM." Non ergo solum ostendere pertinet ad gratiam secundùm Augustinum.

Lib. de Grat. Christi cap. 13

Ad cognitionem verò quod attinet eorum, quæ credenda, & diligenda sunt; cum Pelagius illam tantùm esse gratiam necessariam

ad piè justèque vivendum doceret, sic eum S. Pater redarguit: "Cognitionem & dilectionem, sicut sunt discernenda, discernat.... Et cum sit utrumque Donum Dei, sed unum minus, alterum majus, non hic justitiam nostram super laudem Justificatoris nostri extollat, ut horum duorum quod minus est, divino tribuat adjutorio, quod autem majus est, humano usurpet arbitrio; „ & paulo superius; " Legant, & intelligant, inquit, intueantur, atque fateantur, non lege atque doctrinâ insonante forinsecus; sed internâ, atque occultâ, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.

Ibid. cap. 26. in edit. Benedictina.

* IV. Quamobrem gratia necessaria ad credendum & agendum ea, quæ ad pietatem & salutem pertinent, non est sola legis cognitio, & doctrina vel Rhetorica Dei, aut manifestatio æternæ veritatis vel qualiscumque veri boni revelatio, etsi sermo esset de magnitudine revelationum Pauli Apostoli, ut bene observat S. Aug. lib. de grat. Christ. cap. 11. De hujusmodi enim gratia non disputabatur inter Catholicos & Pelagianos, cum utrique illam admitterent, & isti eam ambitiosè prædicarent, sed insuper requiritur alia & quidem principalis gratia,

Suasio & cognitio veri & boni non est sufficiens ad credendum & benè operandum.

hoc

hoc est, operatio qua Deus fidem, dilectionem sui, & reliquas virtutes inspiret, quibus divina mandata servantur, ut jam observatum est, & de hac gratia controversia erat cum Pelagianis, qui illam obstinatè negantes ab Ecclesia proscripti fuerunt.

At dicet forsan aliquis, Sfondratum statuere non qualemcumque cognitionem veri & boni esse principalem gratiam, *Sed cognitionem congruam.* Cui scilicet capiendę, ut inquit Aug. loc. cit. ad Simplicianum idoneus sit animus cognoscentis eique congruat, ac contemperetur; Benè quidem: At verò ut animus vocationi vel cognitioni congruat, opus est, ut sit benè dispositus per aliquam bonam affectionem, & delectationem, seù dilectionem boni sibi propositi; verum enim & bonum quod cognoscitur, ait Aug. non suscipitur, non agitur, nisi etiam delectet, & ametur, ut autem delectet, & ametur non fit hoc prædicatione, aut qualicumque suasione seù exhortatione, quæ sine fructu & utilitate, ac profectu audientium, vel cognoscentium adhibentur, nisi Deus det incrementum, id est nisi fides ipsa & Charitas diffundatur in cordibus eorum per Spiritum sanctum, unde Aug. ait; „ Ut autem „ delectet & ametur, inspiratur hoc & præbe- „ tur gratiâ Dei non nutu nostro aut industriâ. „ Nam licet id non fiat sine nostro nutu & co-

Cognitio ut congrua sit quid requiratur.

Ad Simpl. lib. 1. q. 2. n. 21.

''conatu, nos enim revera volumus & cona-''mur.'' Tamen ut ſit nutus voluntatis (proſe-,,quitur Aug.) ut ſit induſtria ſtudii, ut ſint ,, opera charitate ferventia, ille tribuit, ille ,, largitur. ,, Cum ergo ad credendum & bonum agendum requiratur cognitio & dilectio ſeu charitas, cur Sfond. definiendo gratiam neceſſariam ad id præſtandum, cognitionem tantum ſeu ſcientiam commemorat; non autem dilectionem, vel charitatem, quæ ſupereminet ſcientiæ? Oportebat ut adderet etiam, quin-imò principaliter exprimeret inſpirationem dilectionis, ſi vellet cum Aug. ſententia convenire, qui, ut vidimus, definit, '' gratiam eſſe inſpira-'' tionem dilectionis, ut cognita ſancto '' amore faciamus.

Atqui unum inquit Sfond. Dei verbum, nutuſque ſufficit. '' Dixit Deus, fiat lux, '' & facta eſt lux . . . . Cur non etiam di-'' cente illo, fiat in voluntate amor, non fiet '' amor? fiant lacrymæ, fiat caſtitas, non '' fient lacrymæ & caſtitas? Ergo ut aliquan-'' do concludam, qui dicendo fecit mun-'' dum ex nihilo, dicendo quoque facit '' juſtum ex peccatore . . . . . Et hoc ip-'' ſum ita dicere ut fiat, eſt gratia Dei, quam '' prædicamus.'' Ita profecto eſt. Hanc ſanè gratiam S. Aug. ex Scripturæ, Traditionis, & rectæ rationis etiam documentis profeſſus

eſt:

est: "Deus, inquit, ipse verbo fecit omnia. *In Ps.*
Et paulo post "non solum quippè homi- 18.
"nes, sed etiam justos (si tamen sumus) ipse *Enarr.*
"fecit nos, & non ipsi nos." Hoc idem 2. *n.* 3.
disertè docet pluribus aliis locis, & præsertim ubi adversus Pelagianos agens, ostendit omnia bona, & præcipuè maxima, quibus nempè boni sumus, ut omnes bonos motus liberi arbitrii, fidem, dilectionem, omnes denique virtutes Deo placentes, esse singularia Dei dona, hoc est, Deo eadem bona dante proprièque operante adesse, & effici in voluntate; unde verissimum est, ac S. Aug. vel potius Ecclesiæ doctrinæ omnino consonum, ut quemadmodum in magno mundo, Deo dicente, facta sunt omnia, ita in mundo minori, id est, homine, dicente Deo, fieri omnia bona.

"Multa (inquit Concil. Arausic.) Deus fa- *Can.*
"cit in homine bona, quæ non facit homo, 20.
"nulla verò facit homo bona quæ non Deus *Lib.* 2.
"præstet, ut faciat homo:" Sunt verba *cont.* 2.
Aug. in canonem redacta. Itaque, Deo *Ep. Pe-*
dicente, fiat in voluntate amor, fiant la- *lagian.*
crymæ, fiat castitas, sine ulla dubitatione *cap.* 9.
fient; omnia enim quæcumque voluit Deus, fecit in Cælo, & in Terra. imo aliter quam Deo dicente, hoc est easdem virtutes per se operante, illæ fieri, & haberi in homine non possunt.

Quare

Quare si Emin. Sfond. sincerè fateatur verbum Dei, seu operationem Dei, qua virtutes in voluntate creata producantur, esse præcipuam gratiam Dei, cum Aug. equidem sentit. At aliam gratiam ab ipso intelligi jam vidimus, & clarè modo etiam apparebit si advertatur æquivocatio quę accidere potest in usu vocis hujus *verbum Dei.* Duplicem enim in nostro proposito habere potest significationem; altera quo denotatur verbum Dei, quo nota fiunt ea quæ præsertim ad salutem animę pertinent, præcipiendo, prædicando, illuminando &c. sive id Deus præstet per Scripturas suas, sive per Ministros ejus, homines, vel Angelos, sive tandem ipsamet immediatè illa menti creatæ præsentet, atque revelet; altera est, qua innuitur Verbum Dei, quo ipse in sua æternitate decrevit, & voluit fieri omnia quæ fecit, & operatur. Et hoc est Verbum de quo scriptum est, *dixit & facta sunt* &c. & quod est per se effectirix causa omnium bonorum. Hoc Verbo, quo Deus dicendo operatur in voluntate creata, solus ipse utitur, liberum enim arbitrium hominis intus & propriè non movetur, nisi à Deo, & à se ipso, quemadmodum soli Deo immediatè per se subditur. Brevius dici potest aliud est Verbum Dei loquens, aliud operans. Modo facile est advertere Card. Sfond. post illa

ena-

enarata de Verbo Dei operantis, statim redire ad verbùm Dei loquentis, atque in isto, non autem in illo ab ipso constitui gratiam.

Hinc etiam constat de verbo Dei *non alloquentis humanam voluntatem, aut loquentis in anima*, sed operantis rectè dici; *hoc est cordi duro verbum Dei, quod metallo ardor ignis &c.* ut enim metalla non splendore sed ardore ignis, ita corda non illuminatione, sed amore liquescunt: amor autem iste, unde dura corda mollescunt, non fit in voluntate nisi eo dicente, & dicendo intus operante, qui ait: *Auferam cor lapideum de carne vestra & dabo vobis cor novum.* *Ezech. 36. 26.*

VI. Verum est etiam animum habere voluptates suas: „ quibus, inquit Aug. à „ Stond. adductus, delectatur veritate, de„ lectatur beatitudine, delectatur justitiâ, de„ lectatur sempiternâ vitâ, „ sed ut his spiritualibus bonis delectetur, non sufficit ut ea affabrè menti depingantur, nisi etiam illi placeant, & amentur, Propterea S. Doctor immediate subdit. „ Da amantem, da deside„ rantem &c. & scit quid dicam, si autem „ frigido loquar, nescit quid loquor &c. „ Ut verò eadem bona amentur, certum est charitatem diffundi in animo per Spiritum sanctum, & verbo Dei operantis, vel dicentis fiat amor &c.. *Anima voluptates.* *P. 208.* *Tract. 26. in Jo.*

Id revera, non autem quod putavit Sfond. ostendit Aug. exemplo Esther. Eo enim loco S. Patris intentio est, authoritate Scripturæ demonstrare, corda hominum à Deo mutari, & converti, non tantùm externa objecta proponendo, sed voluntatem seù volitionem in eis operando.
Esther. 15. 11. Adductis namque Scripturæ sacræ verbis, quibus de Rege Assuero dicitur *Et convertit Deus indignationem ejus in lenitatem*,
Lib. 1. cont. 2. Ep. Pelagian. cap. 20. subjungit, „Deum complevisse operando in "corde Regis, quid aliud quam voluntatem, "qua jussit & factum est, quod ab eo Regi-"na poposcerat. Quam Deus jam ut fieret, "exaudierat, qui cor Regis, antequam mulieris "sermonem poscentis audisset, occultissimâ,& "efficacissimâ potestate convertit & transtulit "ab indignatione ad lenitatem, hoc est, à vo-"luntate lædendi ad voluntatem favendi, se-"cundum illud Apostoli, *Deus operatur in* "*vobis & velle.*„ Ubi clarissimè cernitur, Aug. non docere, Deum ad mutandum cor illius Regis, & transferendi ab uno in alium contrarium affectum, usum fuisse illius S. Reginæ pallore; sed id præstitisse suâ occultissimâ & efficacissimâ potestate &c. Ex quibus omnibus satis constare puto, gratiam, quam Emin. Sfond. exposuit non esse illam, de qua agebatur cum Pelagianis, & quam S. Aug. contra eosdem Hæreticos

ticos docuit, atque sustinuit. Neque gratiæ definitiones, quas Autor iste tradidit, esse juxta ejusdem S. Patris sententiam.

CAPUT. VI.

Nonnulla summatim recensentur quæ Card. Sfond. docet de voluntate Dei salvandi omnes, ac præcipuè de mediis seù gratiis ad salutem consequendam à Deo omnibus hominibus concessis.

PRoponit imprimis esse in Deo seriam impensamque, & quantum in se est efficacissimam voluntatem salvandi omnes. *pag.* 3. Deinde, præmissa celebri illa divinæ voluntatis distinctione in antecedentem, & consequentem, eâque latè expositâ declarat se loqui de voluntate antecedente, de qua intelligi vult propositam suam assertionem, quam probare nititur pluribus inductis ac ventilatis, tum Scripturæ, tùm Patrum præsertim S. Aug. testimoniis, quibus sacra quidem eloquia Dei bonitatem & largitatem in omnes homines effusam commendant, Patres verò præcipuè ad pænitentiam; ad pravorum *pag.* 4. 18.

rum morum emendationem, ad piè justèque vivendum Christianos populos hortantur. Postea idem agit rationibus, singulariterque invehitur contra illos, qui docent Deum non omnes homines salvos velle, etiam nullo habito respectu ad peccata &c.

pag. 121. Itaque firmatâ suâ opinione de voluntate Dei pro omnium hominum salute, statuit à Deo ex eadem voluntate dari omnibus hominibus ad æternam vitam consequendam non tantùm necessarias & qualescumque, sed copiosissimas, & abundantes gratias, quibus si vellent facilè commodèquè obtinere illam possint; Neque id tantùm de fidelibus, verum etiam infidelibus credendum esse.

Ibid. n. 11 Initio Paragraphi 2. describit felicem Angelorum, & hominis innocentis statum, à quo Lucifer, & Adam cecidit, non aliquo, inquit, gratiæ defectu, sed voluntatis arbitrio. Quod probat autoritate S. Augustini dicentis; " Quid ergo Adam non habuit Dei gratiam? immò verò habuit magnam &c." indè inferrit " Ergo nec Lucifero, nec Adamo, nec aliis multis magna gratia defuit, sed defuit magna & bona voluntas.„ Hanc sufficientissimam, & validissimam gratiam, ut ipse ex Augustino appellat, ostendere conatur non quomodocum-

que

que, inquit, ſed abundantiſſimè hominibus etiam poſt Adæ peccatum dari.

Deveniens poſtea ad declarandum in quo conſiſtant copioſiſſimæ illæ & abundantiſſimæ gratiæ, quibus homo ſi velit ad ſalutem æternam pervenit, obſervandum eſſe monet: " Ad divina præcepta implenda vin- *p.* 181
" cendaſque tentationes duplici auxilio no- *Remo-*
" bis opus eſſe, remoto videlicet & proxi- *tum &*
" mo. Remotum eſt, inquit, gratia oran- *proxi-*
" di, petendique à Deo vires neceſſarias. *mum*
" Proximum eſt, quo nobis vires tribuuntur *auxili-*
" præceptum ipſum adimplendi. Remotum *um*
" auxilium, ſeu gratia orandi omnibus, qui " præcepto tenentur, loco & tempore op- " portuno datur.

Hinc fatetur quidem quod " naſcitur ho- *pag.*
" mo omnium quæ ad vitam æternam per- 182.
" tinent, expers & nudus: Sed ut omnia " ſine quibus naſcitur, induſtriâ quoque ſuâ, " & cum merito acquireret, data eſt ei poſt- " quam ad uſum rationis pervenit, gratia & " facultas orandi, quam paulò poſt vocat " etiam ſpiritum orandi, qua velut manu " uteretur ad omnes reliquas gratias compa- " randas, ſine quibus nec legem impleri nec " vitam æternam conſequi poſſit." Hanc ipſam putat eſſe mentem S. Auguſtini, qui, inquit Sfondratus, mille locis de hominibus non imaginariis, non in cornibus lunæ

aut

" aut terrestri paradiso degentibus, sed de
" hominibus, quales in mundo sunt, hoc
" est, peccato originali multisque actualibus
" obstrictis constantissimè docet, non pecca-
" turos violatis divinis præceptis; nisi potesta-
" tem haberent illa observandi, & consequen-
" ter, nisi haberent gratiam saltem inchoa-
" tam, hoc est orandi.,, Et post pauca con-
" cludit; "sicut ergo ex sententia Augustini,
" nullo peccato, quandiu ratio viget, amitti-
" tur libertas, & potestas adimplendi legem
" divinam, vitandique peccati, ita nullo pec-
" cato omnis gratia sufficiens & remota,
" hoc est, gratia petendi amittitur, sine qua
" omnem quoque libertatem tolli necesse est.,,
Ut ostendat hanc esse mentem S. Augustini, adducit quædam illius testimonia, quorum præcipuum desumit ex lib. 3. de liber. arb. cap. 18. Ubi S. Pater hæc habet: Si laboriosum est omnia mandare memo-
" riæ quæ à nobis tam multa de peccato di-
" cta sunt, hoc brevissimum tene. Quæ-
" cumque est ista causa voluntatis, si ei non
" potest resisti, sine peccato ei ceditur;
" si autem potest, non ei cedatur &, non
" peccabitur.,, Hæc sanè, inquit, nullâ interpretatione opus habent &c.

Quamvis autem hoc loco Sfondratus non exprimat in quo bono posita sit ea gratia, facultas & spiritus orandi quem dicit cunctis hominibus tribui, statim ac ad usum rationis

nis perveniunt, tamen jam antea docuerat consistere in multis auxiliis, & adminiculis, quibus Ecclesia abundat, Christianis partim sanctificandis, partim expiandis, partim in accepta gratia conservandis &c. p. 146.

Quæ omnia præsidia salutis licet, inquit, in Christianis maximè appareant, in cæteris quoque mortalium, quamvis Infidelibus & Barbaris suo modo intelligenda sunt, inter quæ præcipuè enumerat cognitionem Dei ex pulcherrimo hoc mundi opere collectam: Insuper advertit Angelum tutelarem qui omnibus datus est non cessaturum, ea suggerere, sine quibus salvi esse non possunt; item commemorat notissimum illud principium morale: *Quod tibi non vis alteri non feceris*; tandem conscientiæ stimulos &c. Id ipsum, præsertim Deum à nullo homine ignorari ostendit Scripturæ, & Patrum autoritatibus, quibus recensitis concludit, p. 146.

,,Si ergo (ait) nulla natio est tam barbara ,,tamque ab humanis moribus aliena, cui Deus sui notitiam, tanquam primam regu- ,,lam primumque principium omnis moralis ,,& honestæ actionis, seu naturæ seu gratiæ ,,instinctu non indiderit, ita quoque nulla est, ,,quæ illum colendum, & invocandum esse ,,ignoret . . . . . At invocatio Dei, subsu- ,,mit ipse, est præcipuum, certissimumque ,,medium reliquas omnino gratias ab eo p. 149. p. 130.

con-

"consequendi . . . . : patet ergo nullum
"esse mortalium , cui Deus non solùm
p. 151. "qualemcumque gratiam, verum etiam me-
"dia, clavemque dederit majorem sem-
"per, majoremque obtinendi; Quis verò
"causari inopiam possit, si clavem ad The-
"saurum accepit?

Ejusmodi autem Dei notitiam inesse demonstrat cuilibet, etiam indoctissimo, quandoquidem non Philosophi tantùm,
Ibid. ait, „ sed quicumque mortalium, viso
"pulcherrimo hoc magnoque mundi opere,
"ignorare non potest esse aliquem qui fecit,
"& hunc Deum esse." Et post nonnulla:
pag. 157. "Quia hujusmodi notitia, inquit, præser-
"tim apud Barbaros, & rudes est nimis va-
"ga, confusa & universalis, propterea à
"Deo supplente naturæ defectum, ea per
"gratiæ inspirationem magis completur, ad
"ipsum Creatorem, velut rerum humana-
"rum principium, & bonorum malorum-
"que remuneratorem cognoscendum, in-
"vocandum, colendum, timendumque. Et
"hoc est, inquit, illa fides inchoata, sine
"qua nemo placere Deo potest, & quâ si
"bene aliquis utatur, ad completam quo-
"que & Christianam fidem perventurus
"est. . . . .

Cum autem huic doctrinæ quâ constituit gratiam, & spiritum orationis consistere

ſtere in cognitione, quâ omnibus hominibus notum eſt Deum eſſe, oppoſuiſſet locum Apoſtoli, demonſtrantis fidem neceſſariam eſſe ad orationem, ſcilicet, *Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt?*

p. 16.

Rom. 10.

Reſpondet Apoſtolum loqui de fide explicita in Chriſtum, „quam certum eſt, inquit, ordinario modo, niſi prædicatione Evangelii, haberi non poſſe; Cæterùm ſine hac fide explicita in Chriſtum, quamplurimos ante illius adventum per ſolam gratiam, qua legem naturæ obſervabant & ſi eam tranſgreſſi erant, de Deo omnium Creatore & Proviſore offenſo dolebant, ſalutem adeptos eſſe, dubium, ait, nullum eſt.

Quod etiam probat ex Apoſtolo dicente, *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quia remunerator eſt.* Vides, inquit, nullam fieri Incarnationis mentionem, ſolamque ad æternam vitam cognitionem exiſtentis & providentis Dei ſufficere.

Hebr. 11.

His itaque à Cardinali Sfondrato conſtitutis de gratia neceſſaria ad obſervandam legem Dei, & ęternam ſalutem conſequendam, videtur ſufficienter proviſum non ſolùm Chriſtianis, ſed etiam infidelibus, barbaris licet & rudibus. Solum negotium faceſſere poteſt innumerabilis multitudo

 par-

parvulorum, qui ante rationis usum non accepto baptismo decedunt. His sanè perdifficile est invenire salutare remedium. At forsan illud reperiet Em. Sfondratus: id videndum erit cap. seq.

CAPUT. VII.

Proponuntur ea quæ Cardinalis Sfondratus docet de infantibus qui ante usum propriæ voluntatis non accepto Baptismate moriuntur.

FAtendum est, decernit quidem Sfondratus "Quod nunquam parvulis ante Bap-
p. 48. "tismum sublatis Deus æternam vitam vo-
p. 114. "luit,, & alibi „quod beati quidem illi non "sunt, non tamen pereunt, nec æternis "suppliciis addicuntur, & ideo, inquit,
Johan. "dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &*
3. 5. "*Spiritu sancto non potest intrare in Regnum* "*cœlorum*: Non dicit Christus, ait ipse, "*æternis suppliciis punietur*, sed *non intrabit* "*in Regnum Cœlorum.*

Id incipit probare authoritate S. Augustini: „ Is enim, inquit Sfondratus, licet " ardore disputandi contra Pelagianos severius

"rus aliquando de parvulis senserit, alibi "tamen mitius pronuntiat; nempe lib. 3. de "liber. arbitrio cap. 23. "Deinde idem ratione probat. " Peccatum originale, in"quit, nullam reprehensionem meretur .... "si ergo propter culpam originalem nemo "potest vituperari, quantò minus torqueri? "Sanè longè atrocius flammæ dolent quam "verba &c.

Itaque determinat, quod Deus parvulos Cœlo exclusit ob peccatum non proprium sed paternum; etsi non elegit ad gloriam, non ideò sequitur eos damnari; etsi non fecit beatos, at non fecit miseros. Cur autem non fecit miseros, quos Cœlo exclusit; singularem sanè & ante hoc ævum inauditam rationem excogitavit Sfondratus. Illam audiamus. p. 119.

„ In hac parvulorum causa, inquit, con- p. 120.
„ siderandum est, licet Deus ad cœlestem „ gloriam non eos admiserit: alio tamen „ multoque majori beneficio affecisse, quod „ illi ipsi longè Cœlo prætulissent, & nos „ quoque si electio daretur, multò majoris „ pretii quam Cœlum duceremus. Id verò „ beneficium fuit, quod fato præmaturo „ abreptos, innocentiæ suæ personalis securos reddidit &c. Hoc verò innocentiæ „ donum & immunitas à peccato tantum est, „ ut ipsi parvuli millies Cœlo carere mal-

"lent, quam vel uno peccato involvi, nul-
"lusque Christianus est, cujus non idem
"votum esse debeat &c.

Id ipsum alio loco repetit occasione respondendi ad quandam objectionem allatam contra suam sententiam de gratia sufficienti:

p. 164. ,, Nos dicimus, ait, parvulis exhiberi,
"si non gratiam sufficientem, quâ vitam
"ęternam consequi possint, exhiberi tamen
"beneficium longè præstantius, quodque in-
"finitis partibus ipsam gratiam sufficientem
"antecellat; eo enim beneficio, prius è me-
"dio tolluntur, quam peccatis se obstringant,
"& non damnantur, & innocentiam, perso-
"nalem quę scilicet peccatis actualibus oppo-
"nitur, illibatam conservant &c. Et certum est
"etiam in parvulis maximam Dei misericor-
"diam elucere &c.

Hæc Cardinalis Sfondratus de parvulis sine baptismo decedentibus cogitavit, docuit & typis mandavit: ut videlicet ipso instruente, omnes scirent, ejusmodi infantes, non judicium sed maximam Dei misericordiam expertos esse, adeò ut renati fonte baptismatis illis penè invidere debeant, quippè qui longè majori beneficio (si Sfondrato credimus) potiti, quam sibi attulerit Christi gratia & salutare lavacrum &c.

CA-

CAPUT. VIII.

Recensentur quæ Sfondratus de S. Augustino pronunciat.

PRimùm in sui libri titulatione Cardinalis Sfondratus profitetur, se ex S. Aug. etiam doctrina Nodum Prædestinationis soluturum; Item suam causam ejus testimoniis & autoritate armaturum, *Quod cum de prædestinatione agitur*, inquit, *præcipuam & ipse paginam faciat, fidemque mereatur.* p. 30.

Illum posteà adeò commendat, ut dicat, „In iis, quæ August. contra Pelagianos aut Semipelagianos de gratia disputavit, certum est neminem illo pulchrius, fortius, eloquentius ac verius scripsisse; adeo ut quidquid Ecclesia de gratia credendum proposuit, id totum non ex sententia tantùm, sed etiam ex verbis Augustini definiverit. p. 56.

Nil sanè de Augustino ejusque doctrina honorificentius dici poterat. Verùm non multum constans videtur in ejusdem S. Patris laudibus, sed identidem illum carpere visus est.

Ibid. Asserit enim eum non semper in causa gratiæ unam, eandemque sententiam tenuisse. Item de pœnis parvulorum diversimodè sensisse: & ab eo sententiam mediam parvulis non baptizatis inter supplicium meritumque constitui: lib. 3. de liber. arb. cap. 23. Neque id unquam ab eo fuisse retractatum.

„ Quamobrem observandum monet, „ nullâ re magis Augustini animum (ut ipse „ profitetur, ait Sfondratus, præsertim Ep. „ 28.) agitatum, tortumque fuisse, quam „ hac de parvulorum pæna quæstione. Un- „ de, ut se hoc nodo explicaret, inquit, in „ alias, aliasque sententias flexit: tandem- „ que fassus est se prorsus animi pendere, & „ quod statueret, planè ignari: Epist. 28. ad „ Hieronym, ubi ait: cum ad pœnas ven- „ tum est parvulorum, magnis, mihi crede „ angustiis arctor, nec quid respondeam, „ penitus invenio . . . . . Quantumvis de- „ siderem, rogem & exoptem ut per te mi- „ hi Dominus hujus rei auferat ignorantiam, „ tamen si minimè meruero, patientiam „ mihi petam à Dom. Deo nostro." Hic subjungit Sfondratus " Denique in hac quæstio- „ ne id evenit Augustino, quod venatori- „ bus solet, ut videlicet odore & desiderio „ prædæ quam insequuntur nec capiunt, „ toties mutent locum, quoties spem inve- „ niendi.

Non

" Non dubitat etiam affirmare Sfond. p. 164.
" quod quamvis nemo melius de gratia & " contra Pelagianos ſcripſerit : non ſcripſit " tamen omnia, quippè haud neceſſaria, " Calvino nec dum exorto, & hominis ar" bitrium, Deique bonitatem impugnante. " Aliis nunc armis opus eſt, alio hoſte, " belloque inſtante : & ipſe Aug. non con" traria quidem iis quæ ſcripſit, ſed alia di" ceret, ſi, ut olim cum Pelagio, ita modò " cum Calvino & Janſenio ſigna conferret: " Quid ergo mali eſt, ſi modo id facimus, " quod faceret Auguſtinus, imò quod fecit, " quando non contra Pelagium & pro gra" tia, ſed contra Manichæos & pro liber" tate pugnaverat?

Poſtremò aſſerit Sfond. " Aug. difficilem p. 57.
" intellectu eſſe, & ut intelligatur, oportere " hujus Doctoris ſtudioſum in ſcopum & ar" gumentum reſpicere, quod ſibi diſputandum " præſcripſerat :" Quid verò Aug. ex profeſſò, contra Pelagium intenderit paulo ante dixerat. " Non aliud fuiſſe quam gratiam non p. 56.
" ex præcedente merito ſed ex ſolo Dei pro" poſito, meroque beneplacito conferri; hic " cardo, inquit, hic ſcopus omnium Aug. " de gratia diſputationum.

Ex tribus his poſtremis Capitibus ſatis conſtat quid Emin. Sfond. ſentiat de voluntate Dei ſalvandi omnes homines, ac de mediis

& gratia ad id necessariis; de infantibus sine baptismate morientibus & de S. Aug. Quæ singillatim deinceps consideranda erunt, sed necesse est prius nonnulla alia observare.

Caput. IX.

Qua ratione rectè aut perperam commendentur generalia beneficia & gratiæ à Deo omnibus hominibus concessæ.

Prædicatio generalium gratiarum suspecta esse non debet.

I. NOvi prædicationem tùm benignæ voluntatis Dei pro omnium hominum salute, tùm beneficiorum, tùm gratiarum inde cunctis concessarum, quibusdam suspectam fuisse Pelagianismi vel saltem Semipelagianismi: cum hujusmodi divinæ bonæ voluntatis communiumque gratiarum commendatio Pelagianis & Semipelagianis familiaris sit. Ita est sanè; sed quis eos illo nomine incusandos, quis ingratos esse dicat, quod divina etiam in improbos, & infideles dona prædicent? An Pelagianis aut Semipelagianis Deus favet, cum beneficia in Judæos à se collata enumerat, eorumque solùm iniquitate cassa ad salutem fuisse docet?

eet? An Pelagianis patrocinantur tot Christi testimonia de divina in omnes bonitate, de suis in Judæos beneficiis, quibus ad fidem & pænitentiam impellendi erant nisi pessimi fuissent? Cum soli eorum culpæ, perversitati, superbiæ tribuit, quod non ad ipsum veniant, ipsi non credant, ipsum insectentur? An Pelagianis aut Semipelagianis favet S. Paulus, dum divinę bonitatis & patientiæ Judæos, omnesque impios ad pænitentiam adducentis thesauros prædicat? Dum ait Deum non sine testimonio apud gentes semetipsum reliquisse, tum etiam cum eas sineret ingredi vias suas? An B. Johannes Pelagianis vel Semipelagianis favet, dum disertè dicit lucem in tenebris lucere, & à tenebris non comprehendi? Denique an B. Augustinus in Pelagianorum sententiam declinavit, dum ex Christi verbis colligit, inesse plerisque, etiam infidelibus, insitum naturaliter, id est ab ipsa origine, donum intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant? Dum divinam imaginem, quam in Dei cognitione & amore cælesti ipse collocat, in nemine penitus abolitam esse testatur? Dum divinas, & singulares in nonnullis Infidelibus gratias prædicat? Dum omnes homines omnium, quę creata sunt, clamoribus excitari dicit ut

De dono Perseu cap. 14.

Deum ament? Dum medicinam a Christo ægrotis omnibus sanandis idoneam esse docet, eos mortis suæ auctores esse, qui eâ uti nolint? Quis unquam de Aug. sentiat quod propterea ad Pelagianos declinaverit? Quis denique divinæ gratiæ prædicationi contrarium, & ingratorum superbiæ congruens esse putet, ut divina erga eos beneficia prædicentur, qui revera magna quidem accepêre? An non Scripturæ & Patribus familiare est, homines excitare, ut divina in omnes beneficia laudibus celebrent? An non id exemplo suo & cohortationibus commendatum? Laudanda itaque potius est, quam ut suspecta habenda intentio, studiumque eorum, qui beneficam Dei voluntatem, & liberalem largitatem in omnes nuntiare atque demonstrare conantur.

Multiplices Dei gratiæ in omnes.

II. Et nos igitur multiplices Dei gratias lubenter agnoscamus tùm externas tùm etiam internas; ipsa virtutum in malis semina animadvertamus; conscientiæ dictamen de plerisque rebus, divinum lumen in tenebris sese ingerens, in eisque lucens perspiciamus; divini Verbi stantis ad ostium & pulsantis, & ad quoslibet sibi aperientes intrantis misericordiam extollamus; cælestis Medici omnibus salutem afferentis, remedii vim omnibus sanandis idoneam, pretium om-

omnibus, qui oblationem acceperint, liberandis sufficientissimum & abundantissimum prędicemus; soli hominum malitiæ tribuendum demonstremus, quod salutem non consequantur. Denique gratiæ ipsis infidelibus & obcæcatis, tùm internæ tùm externæ, tum naturales tum temporales, tùm supernaturales aut spirituales concessæ exaggerentur. Plures etiam Dei illustrationes motionesque in eis suspicemur quam cogitari possint.

III. Id verò piè, id utiliter & salubriter fieri potest ad commendandam Dei bonitatem; ad humani cordis tantas misericordię divinæ divitias contemnentis; divini Verbi intus clamantis, pulsantisque vocem non audientis, impulsum non sentientis; lumen æternum ubique fulgens non videntis; Cæli, Terrę, Sanctorum Angelorum, hominumque omnium, denique creaturarum undique clamantium voces non audientis; Christi insuper prædicantis, morientis, totum orbem exemplo suo divinissimis legibus, innumeris signis, tùm per se tùm per suos editis, omnes gentes ad fidem suâ potentiâ pertrahentis, monita, cohortationes non audientis; ad infirmitatem, cæcitatem, duritiem, stupiditatem patefaciendam; ad voluntatis perversitatem, horum malorum radicem, quanta, quamque indomabilis sit,

Gratiarum generalium commendatio, quo tendere debeat.

declarandam ; ad majoris , potentiorisque gratiæ necessitatem demonstrandam , quâ cor lapideum auferatur , & detur cor carneum : quâ lex Dei cordi inscribatur , quâ denique inspiratâ charitate perversitas emendetur.

Gratias non datas, datas prædicare.

LV. Quod siqui nonnulla etiam bona Deique munera iis inesse existiment , quibus re ipsa non adsint ; puta si omnibus & singulis , barbaris licet & efferatis hominibus, tribuatur, quod D. Paulus Philosophis concessum esse docet , ut invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciant , sempiternam quoque ejus virtutem , & divinitatem , Deo hoc illis manifestante : si omnibus communia prædicentur quæ aliis concessa, aliis negata tùm Scripturæ testimoniis, tum ipsâ omnium temporum gentiumque experientiâ constat ; id temerè , id impudenter , id stultè fieri potest ; impiè etiam , si contra Scripturæ aut Patrum autoritatem ; maligno & hæretico spiritu , si hæc authoritas contemnatur. In primi generis culpa Semipelagiani versabantur , dum omnes homines jam ad Christi fidem vocatos esse contendebant. In alterum incidunt , qui gratiam à Deo , salutemque per Christum absque Christi fide dari putant.

Bona tamen non omnibus data , data existimare , citra proprium Pelagianorum vel Semi-

Semipelagianorum errorem fieri potest, si omnia gratiæ Dei sincerè tribuantur. Non enim, ut diximus, Dei erga omnes homines ipsosque infideles & obcæcatos beneficia prædicare, aut ea quæ data non sunt, data credere ingratum est, superbum est, impium est, denique Pelagianum est: quamvis id ipsi Pelagiani vel Semipelagiani superbè, impiè, ingrato animo facere solebant; sed tùm demum id superbè, id ingratè, id impiè fit, cum Pelagianorum vel Semipelagianorum proposito fit: ut earum bonis & malis, impiis piisque, fidelibus & infidelibus communium gratiarum, & beneficiorum enumeratione & exaggeratione factâ, majora & summa bona non Deo sed voluntati creatæ adscribantur: ea scilicet quæ bonis, quæ piis, quæ credentibus, quæ orantibus & benè operantibus propria sunt, eosque a malis & impiis, a non credentibus, non orantibus, non benè operantibus distinguunt; ut hæc summa bona, ipsæ scilicet virtutes, ipsi pii voluntatis & liberi arbitrii motus, ipsa opera bona, non omnia & singula Dei bona, ejusque in nobis gratiæ, operationis, potentiæ, bonitatisque singularis opera esse; sed a voluntate ipsa sese discernente, communibusque bonis benè utente, denique opus bonum, quod Deus in ipsa non operetur, operante, esse suadeatur. Impiâ

etiam & superbâ, ut ita dicam, humilitate, hominum in his magnis quidem, sed minoribus tamen primi generis donis contemnendis & repudiandis, iniquitas, cæcitas, induratio prædicatur, cum eo proposito prędicatur, ut inde colligatur plenam illis & integram ex his malis emergendi, seque ab impietate, infidelitate, iniquitate, cæcitate, induratione (ipsâ fide, bonitate, luce conversione cordis non acceptâ) liberandi facultatem adesse. Eosdem ad fidem, ad pietatem, ad virtutes comparandas vires idoneas accepisse; his tamen virtutibus non acceptis, & cum earum adhuc sint expertes. Denique nos eo culpabiles & damnabiles esse, quod concessâ nobis ad bonum æquè & ad malum facultate non utamur: ut sicut ex nobis mendacium, peccatum, impietas, Deo non illa operante & efficiente sponte oritur: ita fides, charitas, cæteræque virtutes, Deo non illas efficiente & operante, voluntatis nutu generentur.

Gratiæ communes non sunt deprimendæ ut particulares exaltentur.

V. Illi itaque mihi videntur frustra operam collocare, & minus cautè, imò & invidiosè divinæ gratiæ fidelibus & electis propriæ excellentiam commendare, cum gratias infidelibus aut non electis collatas deprimere contendunt, eâque de re altercantur. Equidem quæ in eo genere contra apertam veritatem, contra experientiam jactantur, veritatis

tatis amore & impudentiæ odio obiter refellenda sunt. Qua ratione Patres inanes & temerarias Semipelagianorum de generali singulorum hominum ad gratiam Christi vocatione, declamationes refellunt; cum notum & perspicuum esset, etsi omnes gentes ad fidem Euangelio prædicato vocandæ sint, plerasque tamen illâ ætate, nedum aliquid de Christo audivisse; multo minus ea tolerari debent, quæ contra evidentia Scripturæ testimonia jactantur; ut illud quod diximus, nonnullis à Deo charitatem cæteraque spiritualia bona, & deinde salutem concessa esse, qui nullam de Christo vel externam vel internam revelationem recepissent: sed remotis ejusmodi causis, de his quæ a Deo improbis quibusque beneficia collata sunt, aut etiam nunc conferuntur, frustra, ut diximus, atqne invidiosè contenditur.

VI. Denique ita gratiam ipsam propugnandam, ejusque inimicos ita refellendos esse censeo, ut semper cogitemus non inter nos agi de divinis in omnes homines beneficiis negandis aut imminuendis: sed utrum bona quibus mali carent, & quibus quod careant mali sunt, & quæ boni habent & quod habeant boni sunt; utrum inquam ejusmodi bona non sint in bonis singularia Dei dona & specialis gratiæ munera. Num *Gratia quomodo defendenda.*

liceat

liceat Christianis piisque hominibus summa illa bona quibus ab impiis, ab infidelibus, improbis & minus bonis differunt, non peculiari ac discernenti Dei gratię & operationi tribuere: sed singulari hominum labori & industriæ, iis quæ iniquis & infidelibus, impiis ac quibuscumque communia sunt, nullis præterea aliis à Deo acceptis, benè utentium. In his refellendis omnis industria & contentio collocanda est. Ac ut contra demonstremus, singula quæ præ aliis nobis adsunt, illa imprimis maxima, quibus quisque bonus est cæterisque benè utitur, dona Dei esse. Itaque quisquis ejusmodi bonis præditus est, quibus alii careant, vel fide vel spe, vel continentiâ vel fortitudine, cæterisque virtutibus, vel ipsâ humilitate & Dei dilectione omnium apice & radice, vel quibuslibet harum affectibus; quisquis aliquid boni operatur quod alii non operentur; quisquis præ cæteris aut credit aut orat, aut amat, aut sustinet, aut abstinet: dona & gratias accepisse, quibus alii careant, vel his amissis vel nunquam acceptis; in eo Deum operari, quæ in aliis non operatur, ipsum scilicet bonum velle, & operari, quo alii carent: item ut hæc bona non amittat, sed ad exitum usque teneat iisque præditus moriatur, speciali etiam Dei gratiæ & protectioni tribuendum

esse.

esse. Hic certaminis locus à divinæ gratiæ defensoribus deligendus est, in hunc adversarii deducendi sunt. Hac in re versari, pro hac certare, in hac vincere, Scripturæ, Patrum, Conciliorum, omnium verè humilium & piorum, ipsius denique Ecclesiæ suffragio & judicio facile, tutum ac securum est. Hac in re Adversariorum fraudes, cavilli, calumniæ aut ullatenus prodire nequeunt, aut subitò dissipantur. Hac in re nemo, qui Catholicus, qui Christianus, qui veritatis amicus haberi vellet, contra sinceros S. Aug. vel potius Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ, & Christi Discipulos pro Pelagianis aut Semipelagianis stare ac decertare audebit.

CAPUT. X.

De voluntate Dei circa salutem omnium hominum.

I. INprimis admittimus distinctionem voluntatis Dei in antecedentem aut hypotheticam, & consequentem vel absolutam. Addimus insuper Dei voluntatem ex Scripturæ & Patrum doctrina distingui posse in voluntatem ęternæ essentialisque Legis, & voluntatem Decreti. Voluntas æternæ essentialisque Legis, est ipsum æternum, immutabile & essentiale, ut ita dicam, æternum veritatis, sapientiæ rationisque dictamen

Voluntatis Dei distinctiones.

men, tùm de ipsius Dei Dotibus, veritate, bonitate, sapientiâ, justitia, omnipotentia, felicitate, earumque individua conjunctione: tùm de rebus creatis & singularum ordine, præstantia, perfectione &c. Voluntas Decreti est, quâ Deus ea vult & decernit, quæ non velle & decernere posset: uno verbo quæ per liberum arbitrium velle dici solet.

Voluntas Dei circa felicitatem Angelorum & hominum ante peccatum.

II. Itaque posito Dei proposito circa hominum & Angelorum felicitatem, Deus ęternę & immutabilis legis voluntate penitus & immobiliter æquè vult illos omnes ad eam felicitatem pervenire, eas etiam dotes, ac virtutes impertire, sine quibus illam felicitatem assequi nequeant, & quibus non amissis certissimè assequantur. Vult ut illi ea bona, quæ ipsis omninò tribuit non amittere valeant: ita ut aliquos non majori gratiâ præditos ea servare non repugnet, quæ alii forsitan amiserint. Deinde eâdem voluntate vult eis semper inspirare, quidquid boni peccato non extinxerint. Eâdem æternæ, & immutabilis legis voluntate vult ea bona in ipsis servare, quæ aliis Dei Decretis ab ipso receperint, nisi ea peccatis suis everterint.

Posito autem peccato, quo creatæ mentes concessa à Deo bona extinxêre, tantùm & tamdiu lex illa æterna & immutabilis eos a feli-

licitate alienos esse præcipit, quantùm & quandiu ab hac miseria redimendi seu liberandi aut salvandi non sunt. De illa autem redemptione, liberatione, salute nihil illa statuit, sed voluntati Decreti totum permittit.

Voluntas Decreti. III. Voluntate Decreti primùm Deus hoc ipso voluit omnes Angelos hominesque cælesti felicitate gaudere, nisi eam proprio peccato amiserint, à quo eos declinare posse lex æterna jubet, quod eos ad hanc felicitatem destinaverit ex eadem lege assequendam. Eâdem voluntate Decreti efficere non voluit ut nulli Angeli, hominesque à veritate exciderent; quod tamen tantâ facilitate poterat, quantâ id nunc electis præstat, concesso speciali perseverantiæ Dono: quantâ beatas mentes. vel post antecedentis vitæ merita, vel ante ullum arbitrii usum, in eo bono confirmat.

Constans enim omnium Christianorum sententia est, Deum ea omnia prævidere, quibus homines, Angelique in peccatum inducentur, & ea solo nutu removere posse; sicque certissimè efficere ne peccent, salvâ voluntatis aut arbitrii libertate, eâque etiam tantâ quantam Pelagiani volebant. Id etiam beneficium plerisque præstari constat, aliis non præstari: non vult ergo eo modo eos salvos facere cum possit.

IV.

Corollaria ex Antecedentibus.

IV. Ex his efficitur primò, Deum non velle omnes salvos facere vulgari loquendi modo, quo homines ea dumtaxat velle dicuntur, quæ ut eveniant efficiunt quantùm in ipsis est; maximè si id summâ facilitate, & absque ullo incommodo valeant. Itaque Deus ex omnium Christianorum sententia eos tantùm salvos fieri vult qui salvi fiunt, si voluntatis nomen eo modo usurpetur, quo illud omnes homines usurpant, cum de sua aliorumque hominum voluntate agitur; idque ut ait S. Aug. ad primum Symboli caput pertinet, quo Deus omnipotens esse dicitur.

Efficitur 2. ex illa singulari Dei voluntate eos dumtaxat hoc modo salvandi qui salvi fiunt, nullatenus colligi posse nec Deum verè & sincerè alios salvos fieri non velle, tam voluntate Legis quam Decreti, quæ antecedens & hypothetica appellatur, nisi scilicet peccatum intercederet: nec ex antecedente voluntate eos salvandi, non omnia penitus ad salutem necessaria dona & auxilia conferri: & majora etiam sæpè quam necesse sit, & quam illis conceduntur qui revera salvi fiunt. Nam constat ejusmodi auxilia saltem Angelis & primis Parentibus adfuisse ne peccarent: quos tamen Deus à peccato revocare non voluit eâ voluntate, qua homines dicuntur quæcumque

vo-

volunt aut leviter etiam optant. Quæ autem & quanta dona & auxilia ad salutem Deus singulis hominibus præstet, aliunde colligitur: & tam ex Scripturâ & Traditione quam ipsa experientia facile colligitur.

Tertiò ex his efficitur, negatâ in hunc sensum generali Dei voluntate circa salutem omnium hominum, non magis ejus bonitati derogari, quam eâdem denegatâ, circa salutem Angelorum qui ceciderunt.

Quartò efficitur, repugnare æternæ legi, Dei potentiæ & rerum creatarum conditioni, ut ad divinam bonitatem pertineat eo modo omnes mentes creatas salvas esse velle, quo homines volunt ea quæ volunt; alioquin tam necessariò salvæ essent & a peccato immunes, quam Deus bonus est.

V. Jam si petatur an eâ singulari quam diximus, remotâ voluntate, Deus velit mentes omnes creatas salvas fieri? Ex supra memoratis Ecclesiç placitis plana est responsio. Ante omne peccatum, Deus verè voluntate antecedenti & hypotheticâ vult omnes salvos facere: & ex eadem voluntate prodeunt omnia necessaria, immo ampliora quam opus sit ad salutem, ut dictum est; eaque divinæ legis, bonitatis seu voluntatis ejusmodi notio, seu ut ita dicam genus est, *An Deus velit omnes mentes creatas salvas fieri.*

ut nisi mentis creatæ perversitas & tenebræ obstarent, omnes sui cognitione & amore imbueret.

Quid statuendum de voluntate Dei circa salutem omnium hominum positis peccatis.

VI. Positis autem peccatis quibus animus ad divinam lucem, vocem, seu motionem ac impressionem, vel obsurduit vel occalluit, vel obtenebratus vel obscuratus est: Deus eatenus vult ut omnes salvi fiant, quatenus nemo nisi culpâ, & peccato salute careat, & quatenus omnibus credentibus, pænitentibus, perseverantibus usque in finem, justitiam cui salus annexa est, & gloriam promittit & vult.

Quocirca Ecclesia hypotheticam hanc & antecedentem de omnium salute voluntatem supponens & prædicans, ut hæc effectum sortiatur, à Deo precibus expetit, ut ipse ea bona prestet & efficiat, ex quibus ille pendet; fidem infideli, pænitentiam peccatori, perseverantiam justis; cætera denique quæcumque ipse exigit aut jubet, bona vel merita, ut salutem deinde tribuat. Eadem docet, Deo precibus annuente, hæc ipsa quæ petit bona liberi arbitrii opera, certissimè absolutâ & consequenti Dei voluntate adesse & effici; at eo despiciente, nec effici nec haberi posse.

Quod si quæratur, an eâ remotâ voluntate Dei consequente & absolutâ, positâ tamen antecedenti & hypotheticâ, & quæ ex hac

hae consequuntur bonis: possint homines ea consequi, quæ Deus pollicetur, justitiam & salutem à Deo; ut nihil eis desit quod ad ista consequenda sit omninò necessarium? Plana est ex certis fidei capitibus responsio. Ac primò quidem, cum hujusmodi hypothesis, ex qua justitia salusque pendent, non ad illorum pertinet arbitrium quibus ea bona conferenda sunt; sed ex novo adsit, quod confertur, Dei beneficio: ut Euangelium Infidelibus prædicari ut credant; vitam aut aquam, ministrosve parvulis adesse ut baptizentur; constat eos, eâ Dei voluntate, quâ illa præstantur, remotâ, salutis beneficio frui non posse; Quæ verò conditionis loco ad justitiam requiruntur bona, & ad liberum arbitrium pertinent; cum non adsint nisi à Deo illi collata sint, ut fides infideli, pænitentia peccatori; constat etiam ejusmodi bona iis adesse non posse, nisi Deus hæc absolutâ voluntate præstare velit, quâ remotâ nemo illa sibi, nemo alii tribuit.

Quoad justitiam verò, quæ credentibus & pænitentibus à Deo promittitur; Cum de hominibus mortali corpore indutis, & post originale peccatum cupiditatis pondere vel certamine depressis agatur, possent absolutè qui justificationis gratiâ præditi sunt, ut perseverare & non peccare, ita salvi esse: sed

ſed neminem eâ poteſtate ſalvandum eſſe conſtat, niſi ſpeciale perſeverantiæ finalis donum adſit. Atque adeo Eccleſia, quæ de rebus moraliter & more humano diſputat, remoto ſingulari perſeverantiæ dono, neminem uſque in finem perſeverare poſſe docet.

Scripturæ teſtimonia quibus innuitur voluntas Dei ſalvandi omnes qua intelligenda.

VII. Hic autem, ubi de voluntate Dei circa ſalutem omnium hominum agitur, notandum inſuper eſt, Scripturæ loca eaque frequentia, quibus Dei bona & beneficia in omnes prædicantur, intelligenda eſſe tùm de voluntate antecedenti, quâ Deus omnes omnino homines illuminat & ad ſalutem invitat & quâ ſalvi fierent, niſi eorum malitia & dutities cordis, vel propriâ culpâ, vel primo hominis peccato contracta obſiſteret: tùm de illa conſequenti, qua eos omnes illuminat, qui illuminantur; & ſalvos facit, qui ſalvi fiunt. Ita ut his locis doceatur, omnes qui illuminantur, eo illuminante illuminari: omnes qui ſalvantur, eo ſalvante ſalvari. Utraque autem expoſitio tum ſermonis contextui accommodari poteſt, tum generali Scripturarum de utraque divina voluntate doctrinæ rectè congruit. Itaque cum S. Aug. adverſus Pelagianos

disputans, hæc loca posteriori modo exponit de voluntate consequente, seu de ea qua homines velle dicuntur, quæcumque volunt; nullatenus his repugnant, qui ea generalius exponunt de antecedente voluntate, quę peccatorum præscientiam antecedere cogitatur. Hæc pro nunc sufficere posse puto ad intelligentiam eorundem testimoniorum Scripturæ Sacræ, quæ hucusque allatæ doctrinæ opponi possent. Singula interpretari modò non vacat nec opus est; cum particulares, amplioresque eorum expositiones apud S. Augustinum facilè videri possint, præcipuè ubi contra Pelagianos agit, qui iisdem auctoritatibus ad suum errorem firmandum abutebantur.

CAPUT XI.

Considerantur ea quæ retulimus. Cap. 6.

I. QUamvis Cardinalis Sfondratus dicat esse Deo seriam impensamque &, quantùm in se est, efficacissimam voluntatem salvandi omnes; certum tamen est intelligere non posse, Deum velle omni-

um salutem eo modo, quo vulgari loquendi usu homines dicunt se velle quæcumque seriò volunt, ut demonstravimus cap. 10. n. 4. & facilè etiam colligi potest ex ejusdem Autoris doctrina. Nihilominus, hac absolutâ voluntate remotâ, esse posse in Deo seriam ac efficacem voluntatem salvandi omnes, pariter ostendimus loc. cit. exemplo Adami & Angelorum.

Angelis & Adamo non defuit bona voluntas ante peccatum. p. 123.

II. Id notavit etiam Sfondratus; ac inter cæteras dotes & gratias Lucifero & Adamo concessas, enumerat perfectissimam Dei cognitionem & parem cognitioni amorem; ideoque illis non defuisse magnam gratiam, quod optimè probat S. Augustini testimonio. Verum quod ibidem subjungit, videlicet eis defuisse magnam & bonam voluntatem, nec sibimet cohæret, nec cum Augustini sententia. Ipse enim paulò ante dixerat Lucifero & Adæ non defuisse magnum & perfectum amorem Dei. An amor iste non est bona voluntas? Ergo sicut non defuit eis magnus & bonus amor, ita nec magna & bona voluntas.

Hanc quidem bonam voluntatem peccando abjecerunt: sed ante peccatum non deerat; illam enim Deus jugiter eis inspirabat. S. verò Augustinus pluribus in locis disertè docet primis hominibus & Angelis antequam peccarent, adfuisse bonam voluntatem.

tem. De his asserit „ quod Deus Angelos cum " bona voluntate, id est, cum amore casto, " quo illi adhærerent, creavit " De homine verò loco, quem ipse Sfondratus citat, ait. " Tunc dederat homini Deus bo- " nam voluntatem, in illa quippe eum fe- " cerat, qui fecerat rectum." Et alibi " Piâ; " inquit, & sobriâ cogitatione colligitur, " primam voluntatem bonam Dei opus esse: " cum illa quippe fecit hominem rectum; " nec enim unquam nisi recta volens rectus est " quisquam. „ Sed quidquid hac de re Sfondratus sentiat, certum est, ut dicebamus, licet Deus Angelos & primum hominem salvos non voluerit eo sensu, quo homines dicunt se & alios aliquid velle; nihilominus propriè & seriò beatitudinem eis voluisse, atque ex hac voluntate media & gratias non solùm necessarias ad illam obtinendam contulisse, sed etiam abundantes.

Lib. 12. de Civit. Dei cap. 9. De cor. & Grat. cap. 11. Lib. 3. Op. Im. cap. 61.

Post lapsum verò hominis, positisque peccatis, quibus in deterius mutatum est genus humanum; qua ratione dici valeat Deum velle omnes homines salvos fieri, Capite antecedenti ex certis fidei Dogmatibus declaravimus. Emin. Sfondratus, ut vidimus, profitetur quod Deus ita vult cunctis hominibus æternam salutem, ut etiam post Adæ peccatum ex ea voluntate illis omnibus tri-

buat, non tantùm necessarias & qualescumque, ut ipse ait, sed copiosissimas & abundantes gratias, quibus si velint facilè commodèque obtinere illam possint.

Gratiæ ad salutem consequendam secund. Sfondrat. III. Multas sanè commemorat ille in toto suo libro gratias: ac Dei bonitate hominibus, etiam in præsenti statu, concedi probat tum Scripturæ Patrumque autoritate, tùm etiam rationibus: sed facile est advertere, eas tantùm gratias ab ipso prædicari, quæ communes sunt vel esse possunt fidelibus & infidelibus; bonis, & malis; peccatoribus & justis: non autem eas gratias seu bona, quibus isti ab invicem discernuntur; ut sunt fides, pœnitentia, justitia, seu dilectio Dei &c. quæ tamen singularia bona & gratiæ adeò necessariæ sunt ad salutem æternam consequendam, ut sine illis hæc obtineri omninò non possit. Igitur opus erat ut Sfondratus ostenderet non solùm communia, sed singula quoque ejusmodi bona omnibus hominibus in præsenti statu adesse; si demonstrare volebat, veram esse illam suam propositionem; videlicet *p. 122.* quod etiam post Adami peccatum Deus, quantùm ex se est, vult omnes efficaciter impensèque salvari &c.

Ut ab hac difficultate se expediat, docet, ut vidimus, quod licet homo nascatur omnium, quæ ad vitam æternam pertinent,

ex-

expers & nudus; tamen cum primùm ad usum rationis pervenit, datur ei gratia & facultas orandi, quæ consistat in cognitione Dei Creatoris mundi; nam qui Deum novit, novit etiam esse invocandum; id enim, inquit ipse, "ex primo naturaliter sequitur, sicut qui novit hunc Patrem suum esse, mox intelligit amandum & honore prosequendum esse.,, Propterea asserit ,,hanc Dei notitiam esse fidem inchoatam, quâ si benè aliquis orando utatur, ad completam quoque & Christianam fidem perventurus est.,, Porrò nullum esse hominem ait, ,,cui Deus sui notitiam seu naturæ, seu gratiæ instinctu non indiderit,, & consequenter, cui secundùm ipsum, non dederit gratiam orandi quam adeò intimam esse credit humanæ libertati, ut velit illi essentialem, & ab ea inseparabilem esse; docet enim quod sublatâ hujusmodi gratiâ petendi, omnem quoque libertatem tolli necesse est.

p. 150. *p. 157.* *p. 149.* *p. 184.*

Quid ex ejus doctrina sequatur.

IV. Hinc juxta Viri hujus dogmata; effici videtur, ad salutem æternam consequendam sufficere, ut homo accipiat à Deo liberum arbitrium. Nam ipso docente, gratia orandi est inseparabilis a libertate hominis.

Item eadem gratia est, ut ait, præcipu-

um certiſſimumque medium conſequendi à Deo reliquas omnes gratias; ideòque illam vocat *clavem* ad Theſaurum. Igitur ut homo ſalvetur, ſecundùm Autorem iſtum, ſufficit quod à Deo conditus ſit cum libero arbitrio. Hanc tamen conſequentiam nunquam profectò admitteret Sfondratus, nec à quoquam ea admitti poteſt, niſi cum Pelagianis vel ſaltem cum Semipelagianis errando ſentiat. Aut ergo oſtendendum erit non eſſe benè deductam ex antecedentibus, quod difficile puto; aut repudianda ſunt antecedentia, ſicut penitus repudianda eſt eadem conſequentia.

Mens Aug. de gratia orandi ſecund. Sfond.

V. Putat autem Sfondratus id quod ipſe ſtatuit de gratia orandi, eſſe juxta mentem S. Auguſtini; quod de hominibus, quales in Mundo ſunt, conſtantiſſimè doceat, inquit ipſe, non peccaturos, violatis divinis præceptis, niſi poteſtatem haberent illa obſervandi &c.

Vera S. Aug. mens ex ejus ſententiis demonſtratur.

VI. Scio equidem Auguſtinum docuiſſe, quod ſi hominibus in terreſtri Paradiſo degentibus adjutorium defuiſſet, ſine quo in obedientia divinæ legis manere non poſſent, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. De hominibus verò, quales in mundo ſunt, peccato originali multiſque actualibus obſtrictis, hæc ſubjungit. " Nunc autem quibus deeſt tale " adjutorium, jam pæna peccati eſt: quibus

autem

„ autem datur, secundùm gratiam datur, non „ secundùm debitum. „ Ubi S. Doctor supponit quibusdam hominibus modò deesse adjutorium sine quo divina præcepta servare non possunt sicut oportet, ut ad salutem perveniant; & tamen iisdem violatis, eos suâ culpâ delinquere. Hoc constantissimè semper docuit, undè ne unum saltem ex mille, quos vidit Sfond. invenire potui locum, in quo contrarium affirmet.

De Corr. & grat. cap. 11.

VII. Legitur autem apud Aug. de hominibus quales in mundo sunt, hoc est peccatoribus, dictum fuisse; si idcircò tales fuerunt, quia aliud esse non potuerunt, culpâ carent. Verùm hęc non est Aug. sed Pelagii sententia, quam S. Pater non approbat, sed penitus rejicit & exemplis falsam esse demonstrat, ita discurrens. " Videte, inquit, quid dixerit (Pelagius.) Ego autem " dico parvulum, natum in eo loco, ubi " ei non potuit subveniri, morte præventum, idcircò talem fuisse, id est, sine Lavacro regenerationis exisse, quia esse aliud " non potuit. Absolvat ergo eum, & aperiat ei contra sententiam Domini Regnum " Cælorum. Sed non eum absolvit Apostolus, qui ait, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit in quo omnes peccaverunt.* Rectè

Pelagii sententia.

De nat. & grat. cap. 7.

Ibid. cap. 8.

Rom. 5. 12.

" ergo eâ damnatione, quæ per universam " massam currit, non admittitur in Regnum " Cælorum, quamvis Christianus non solùm

Ibid. cap. 9. " non fuerit, sed nec esse potuerit. Sed de " infante non loquor, prosequitur Aug. Juve- " nis vel senex in ea Regione defunctus " est, ubi non potuit Christi nomen audire: " potuit fieri justus per naturam & liberum " arbitrium an non potuit? Si potuisse di- " cunt, ecce quod est Crucem Christi " evacuare, sine illa quemquam per natura- " lem legem & voluntatis arbitrium justi- " ficari posse contendere. Dicamus & hic, " ergo Christus gratis mortuus est: hoc " enim omnes possent etiamsi mortuus ille " non esset; & si injusti essent, quia vellent, " essent; non quia justi esse non possent. " Si autem sine Christi gratia justificari om- " ninò non potuit; etiam istum, si audet, " absolvat secundùm verba sua; quia si id- " circò talis fuit, quod aliter esse omnino " non potuit, culpâ caruit." Ex quibus evidens est non Aug. sed Pelagii mentem esse, non peccaturos homines, vel culpâ carere, violatis divinis præceptis, si potestatem non haberent ea adimplendi, & ita ad justitiam seù justificationem perveniendi.

Sententia Aug. ab ipso exponitur.

VIII. Testimonium autem Aug. ex lib. 3. de lib. Arbitrio cap. 18. quod Sfond. pro-

profert ut probet ſententiam ſuam quam Auguſtino tribuit, olim etiam adduxit Pelagius ad comprobandum ſuum illud dictum de peccatoribus. "Si idcirco tales fuerunt, " quia aliud eſſe non potuerunt, culpâ carent.,, Audiamus ergo Auguſtinum Pelagio & aliis reſpondentem, ac ſe ipſum exponentem.

"Agnoſco, inquit, verba mea ſunt; ſed "etiam ipſe dignetur agnoſcere, ſuperius "cuncta quæ dicta ſunt. De gratia quippè "Dei agitur, quæ nobis per Mediatorem "medicina opitulatur, non de impoſſibili- "tate juſtitiæ. Poteſt ergo ei cauſæ, quæ- "cumque illa ſit reſiſti. Poteſt planè. Nam "in hoc adjutorium poſtulamus, dicentes, "ne nos inferas in tentationem: quod ad- "jutorium non poſceremus, ſi reſiſti nullo "modo poſſe crederemus. Poteſt peccatum "caveri, ſed opitulante illo, qui non poteſt "falli. Nam & hoc ipſum ad cavendum "peccatum pertinet, ſi veraciter dicamus, "dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos "dimittimus debitoribus noſtris. Duobus "enim modis etiam in corpore cavetur "morbi malum, & ut non accidat, & ut ſi "acciderit, citò ſanetur. Ut non accidat, "caveamus dicendo, ne nos inferas in ten- "tationem; ut citò ſanetur, caveamus di- "cendo, dimitte nobis debita noſtra.

De nat. & grat. cap. 67.

Vide ſimilem Reſponſionem lib. 1. Retrac. cap. 9.

Matth. 6. 13.

"Sed ut non tantùm illi, verùm etiam iis, "qui eosdem Libros meos, quos iste legit "de Libero Arbitrio non legerunt; atque illis "non lectis hunc forsitan legunt, de hac re "sententia mea satis appareat; ex ipsis libris "commemorare me oportet, quod iste si "sentiret atque in suis literis poneret, nulla "inter nos de hac re controversia remane-"ret. Continuò quippe post verba mea, quæ "iste commemoravit, quod occurrere pote-"rat ipse subjeci, & quantùm potui per-"tractavi, dicens; Et tamen etiam per igno-"rantiam facta quædam improbantur, & "corrigenda judicantur; sicut in divinis au-"toritatibus legimus, atque hinc inde ad-"hibitis exemplis, etiam de infirmitate lo-"quutus sum, dicens; *Sunt etiam necessitate* "*facta improbanda*, ubi vult homo rectè fa-"cere & non potest: nam undè sunt vo-"ces, *Non enim quod volo, facio bonum,* "*sed quod odi malum, hoc ago.* Atque, "aliis in hanc sententiam commemoratis "testimoniis divinorum eloquiorum: Sed "hæc, inquam, omnia hominum sunt voces "ex illa mortis damnatione venientium, "nam si non est ista pæna hominis, sed "natura, nulla ista peccata sunt: deinde "paulo post. Relinquitur ergo, inquam, "ut hæc pæna justa de damnatione homi-"nis veniat. Nec mirandum est, quod vel "ignorando non habet liberum arbitrium

vo-

"voluntatis ad eligendum, quod rectè faciat, vel resistente carnali consuetudine, quæ violentiâ mortalis successionis quodammodo naturaliter inolevit, videat quid rectè faciendum sit, & velit nec possit implere. Illa est enim peccati pæna justissima, ut amittat quisque, quo benè uti noluit, cum sine ulla posset difficultate si vellet: id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit: & qui rectè facere cum posset, noluit, amittat posse cum velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pænalia, ignorantia, & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit: sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura constituti hominis sed pæna damnati. Cum autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa scilicet, in qua homo factus est, loquimur. Hinc jam hominibus de ipsius ignorantię, difficultatisque in prolem primi hominis trajectis vitiis atque transfusis, veluti justam querelam deponentibus, ita responsum est. Quibus breviter, inquam, respondetur, ut quiescant & adversus Deum murmurare desistant. Rectè enim fortasse quererentur, si erroris & li-

Lib. 3. *de lib. Arb. cap.* 19.

"bidinis nullus hominum autor existeret: "cum verò ubique sit præsens, qui multis "modis per creaturam sibi Domino servien- "tem aversum vocet, doceat credentem, "consoletur sperantem, diligentem adhor- "tetur, conantem adjuvet, exaudiat depre- "cantem; non tibi deputatur ad culpam "quod invitus ignoras, sed quod negligis "quærere quod ignoras: neque illud quod "vulnerata membra non colligis, sed quod "volentem sanare contemnis.

"Ita & exhortatus sum, quantùm potui, ad "rectè vivendum; & gratiam Dei non eva- "cuavi, sine qua natura humana jam con- "tenebrata atque vitiata, illuminari non po- "test & sanari: de qua re cum istis tota "vertitur quæstio, ne gratiam Dei, quæ est "in Christo Jesu Domino nostro, perversa "naturæ defensione frustremus. Si ergo, "prosequitur Aug. volumus animos ad rectè "vivendum frigidos & pigros Christianis "exhortationibus excitare & accendere; "primitus exhortemur ad fidem, qua Chri- "stiani fiant, & ejus nomini subjiciantur, "sine quo salvi esse non possunt; si autem "jam Christiani sunt & rectè vivere negli- "gunt; verberentur terroribus, & præmio- "rum laudibus erigantur; ita sanè ut non "solùm ad bonas actiones, verùm etiam "ad pias orationes exhortari meminerimus,

atque

" atque hac instruere sanitate doctrinæ; ut & " illinc gratias agant, cum instituerint benè " vivere, quod aliquid sine difficultate fece- " rint; & ubi difficultatem aliquam sentiunt, " fidelissimis & perseverantissimis precibus " & misericordiæ promptis operibus faci- " litatem à Domino impetrare persistant.

Sed ait Sfond. nullum esse peccatorem tam deploratum, tam durum, cui negatum *sit facere quod possit & petere quod non possit*; Postrema hæc verba sunt Aug. qui etiam, ut observat idem Auctor, Lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. ita loquitur: " Certum est nos " mandata servare, si volumus; sed quia " præparatur voluntas a Domino, ab illo " petendum est ut tantùm velimus, quan- " tùm sufficit, ut volendo faciamus." Ex quibus aliisque similibus S. Aug. testimoniis colligi posse putat Sfond. ejusdem S. Doctoris mentem fuisse, nemini prorsus deesse gratiam, saltem, ut ipse ait, incompletam & remotam, intelligens utique de gratia orandi. *p. 159.*

IX. Verum evidens est in ejusmodi locis hanc non esse Aug. mentem; constat enim ibi eum loqui de fidelibus, quos monet ut a Deo petant, quod sibi necessarium esse sentiunt ad servanda Dei præcepta; non autem loquitur de infidelibus, qui quod fide careant, incapaces sunt Deum precandi, sicut opor- *Grat'a orandi quibus adsit.*

tet ad salutem consequendam, juxta illud, *Quomodo enim invocabunt in quem non crediderunt?* Propterea S. Pater loco paulò ante a nobis adducto admonet, ita cum infidelibus agendum esse, ut prius illos exhortemur ad fidem, qua Christiani fiant &c. Imò & ipso cap. 16. lib. 1. de grat. & lib. arb. disertè fatetur, quod *ipsa est fides quæ orando impetrat quod lex imperat.* Igitur spiritus aut gratia orandi Aug. non est notitia Dei, naturæ vel gratiæ instinctu indita, quæ communis est fidelibus & infidelibus; sed est ipsa fides, qua discernuntur fideles ab infidelibus.

Reponet forsan Sfond. sicut respondet, ut vidimus ad objectionem petitam ex memorato Apostoli loco, videlicet Aug. loqui de fide explicita in Christum: cæterùm sine hac fide ait, quam plurimos ante illius adventum per solam gratiam, qua legem naturæ observabant, salutem adeptos esse: solamque ad æternam vitam cognitionem existentis & providentis Dei sufficere &c.

At verò tantùm abest, ut hæc fuerit Aug. mens, quin è contra semper vel supposuit vel evidentibus Scripturæ authoritatibus demonstravit, fidei dogma esse nullum hominem ullo unquam tempore justitiam & salutem adeptum fuisse, aut adepturum esse sine Christi fide. Innumera pæne hac de re,

caque-

eaque clara illius teſtimonia producere poſſem: unum tantummodò vel alterum ex præſtantioribus referam. Itaque cum Pelagiani docere auderent, ſine ulla vel externa vel interna revelatione Chriſti & abſque ejuſdem fide, hominem pervenire poſſe ad juſtitiam & ſalutem, B. Auguſtinus eos ita refellit: "Quid faciet, inquiens, humana "natura, vel quid fecit, quæ vel ante non audierat hoc futurum, id eſt, Sacramentum "Divinitatis & Humanitatis Chriſti, quod "manifeſtatum eſt in carne: vel adhuc non "comperit factum, niſi credendo in Deum, "qui fecit cœlum & terram, à quo & ſe "factam naturaliter ſentit, & rectè vivendo "ejus impleat voluntatem, nulla fide paſſio"nis Chriſti & Reſurrectionis imbuta? "Quod ſi fieri potuit aut poteſt, hoc & "ego dico, quod de Lege dixit Apoſtolus: "*Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt.* Si enim "hoc ille dixit de Lege, quam accepit gens "una Judæorum, quantò juſtius dicitur de "Lege naturæ quam accepit univerſum genus "humanum: ſi per naturam juſtitia, ergo "Chriſtus gratis mortuus eſt? Si autem non "gratis Chriſtus mortuus eſt, ergo omnis hu"mana natura juſtificari & redimi ab ira "Dei juſtiſſima, hoc eſt, a vindicta nullo "modo poteſt, niſi per fidem & Sacramen"tum ſanguinis Chriſti.

Sine fide Chriſti neminem unquam ſalvari potuiſſe.

De Nat. & grat. cap. 2.

Idem

Idem fortius & præclarissimè alio loco docet, ipsum fidei nostræ fundamentum tangens: „In causa inquit duorum homi-
De peccat origin. cap. 24. „num, quorum per unum venundati sumus „sub peccato, per alterum redimimur a „peccatis; per unum præcipitati sumus in „mortem, per alterum liberamur ad vitam; „quorum ille nos in se perdidit, faciendo „voluntatem suam non ejus à quo factus „est; iste nos salvos fecit non faciendo vo„luntatem suam sed ejus a quo missus est: „in horum ergo duorum hominum causa „propriè fides Christiana consistit; *Unus est*
1 *Tim.* 2. 5. „*enim Deus & unus Mediator Dei, & ho„minum homo Christus Jesus. Quoniam*
Act. 4. 12. „*non est aliud nomen sub cœlo datum ho„minibus in quo oporteat nos salvos fieri*,
Act. 17. 31. „& in illo definivit Deus fidem omnibus, „suscitans illum a mortuis. Itaque sine ista „fide, hoc est, sine fide unius Mediatoris Dei „& hominum hominis Christi Jesu, sine fide „inquam resurrectionis ejus, quam Deus „omnibus definivit, quæ utique sine incar„natione ejus, ac morte non potest vera„citer credi; sine fide ergo incarnationis & „mortis & resurrectionis Christi, nec ANTI„QUOS JUSTOS ut justi essent à peccatis po„tuisse mundari, & Dei gratiâ justificari, „veritas Christiana non dubitat; sive in eis „justis, quos quidem illa non commemorat,

sed

"sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante "diluvium, vel inde usque ad Legem da- "tam, vel ipsius Legis tempore, non solùm "in filiis Israël sicut fuerunt Prophetę, sed "etiam extra eundem populum, sicut fuit "Job. Et ipsorum enim corda eâdem mun- "dabantur Mediatoris fide, & diffundebatur "in eis Charitas per Spiritum Sanctum, qui "ubi vult spirat, non merita sequens, sed "etiam ipsa merita faciens. Non enim Dei "gratia gratia erit ullo modo, nisi gratuita "fuerit omni modo &c.

"Non igitur, loquitur paulò post, sicut *Ibid. cap.* 26. "Pelagius & ejus Discipuli tempora divi- "damus, *Primum vixisse justos homines ex Na- "tura; deinde sub Lege; tertiò sub Gratia.* "Ex natura scilicet ab Adam tam longâ æta- "te, qua lex nondum erat data. *Tunc enim* "ajunt *duce ratione cognoscebatur Creator; & "quem admodum esset vivendum, scriptum gere- "batur in cordibus, non lege literæ, sed naturæ. "Verum vitiatis moribus,* inquiunt, *ubi cæpit "non sufficere natura jam decolor; Lex ei addita "est, qua velut Luna fulgori pristino, detritâ "rubigine, redderetur. Sed posteaquam nimia,* "sicut disputant, *peccandi consuetudo præva- "luit, cui sanandæ Lex parum valeret, Christus "advênit, & tanquam morbo desperatissimo, non "per Discipulos suos sed per se ipsum Medicus "ipse subvenit.* Hæc Pelagius & Discipuli ejus.

Qui-

Quibus respondens S. Augustinus: "Hæc "disputantes, inquit, a gratia Mediatoris excludere conantur antiquos, tamquam Dei "& illorum hominum non fuerit Mediator "homo Christus Jesus, quia nondum ex "Virginis utero carne susceptâ homo "fuit, quando illi justi fuerunt. Quod si "ita esset, nequaquam Apostolus diceret:

1 Cor. 15.21. "*Per hominem mors, & per hominen re-"surrectio mortuorum: sicut enim in Adam "omnes moriuntur, sic & in Christo omnes "vivificabuntur:* Quandoquidem illi antiqui "Justi, secundùm istorum vaniloquia, sibi "sufficiente naturâ, nec Mediatore homine "Christo indiguerunt, per quem reconci-"liarentur Deo; nec in eo vivificabuntur, "ad cujus corpus & membra secundùm id "quod propter homines homo factus est, "non pertinere monstrantur. Si autem quem-"admodum per Apostolos suos Veritas lo-

1 Cor. 15.22. "quitur, *Sicut in Adam omnes moriuntur, "sic & in Christo omnes vivificabuntur*, "quia per illum hominem mors, & per "istum hominem resurrectio mortuorum: "Quis audeat dubitare Christianus, etiam "illos justos, qui recentioribus generis hu-"mani temporibus Deo placuerunt, ideo "in resurrectionem vitæ æternæ, non mor-"tis æternæ esse venturos, quia in Christo "vivificabuntur: Ideo autem vivificari in Chri-

"Christo, quoniam ad Corpus pertinent "Christi; & ideo pertinere ad Corpus Christi, "quia & ipsis caput est Christus; & ideo "ipsis caput esse Christum, quia unus Me- "diator est Dei & hominum homo Christus "Jesus? Quod eis non fuisset nisi in ejus re- "surrectionem per ejus gratiam credidissent. "Et hoc quomodo fieret, si eum in carne "venturum esse nescissent, neque ex hac "fide justè pièque vixissent? &c. . . . .

„Neque putandum est quod antiquis justis "sola, quæ semper erat Divinitas Christi, non "etiam quæ nondum erat ejus Humanitas "revelata profuerit. Illud enim quod ait "Dominus Jesus, *Abraham concupivit diem* "*meum videre; vidit, & gavisus est.* "Si diem suum, voluit suum tempus intel- "ligi, testimonium profectò perhibuit A- "brahæ, quod fide fuerit Incarnationis ejus "imbutus. Secundùm hanc enim habet "tempus: Divinitas verò ejus omne tempus "excedit, quia per illam universa facta sunt "tempora &c.

Ibid. cap. 27.

Johan. 8. 56.

„Quapropter quisquis humanam contendit "in qualibet ætate naturam, non indigere "medico secundo Adam, quia non est vi- "tiata in primo Adam; non in aliqua quæ- "stione, in qua dubitari vel errari salvâ "fide potest, sed in ipsa REGULA FIDEI, "qua Christiani sumus, gratiæ Dei convin- "citur inimicus &c.

Ibid. cap. 29.

His-

His qui aliquid adderet, ſplendidiſſimæ luci tenebras potius offunderet, quam ea illuſtraret : nec aliâ profectò demonſtratione opus eſſe videtur, ut liquidò conſtet, quæ ſit Auguſtino mens, tum de cognitione Dei Factoris Cœli & Terræ; tum de neceſſitate Fidei Incarnationis Chriſti, ut ad juſtitiam æternamque ſalutem perveniatur. Atque ſimul liquet quod genus erroris ſit, affirmare ſolam cognitionem Dei exiſtentis & providentis ſufficere ad ſalutem &c.

Eandem doctrinam de inſufficientia notitiæ Dei omnibus hominibus inditę, & de neceſſitate Fidei Chriſti ad obtinendam juſtificationem & ſalutem, definit Tridentina Synodus, ac " declarat (ſunt ejus verba) ad "juſtificationis doctrinam probè ac ſincerè "intelligendam, oportere ut unuſquiſque "agnoſcat & fateatur, quod cum omnes "homines in prævaricatione Adæ innocen-"tiam perdidiſſent facti immundi, & ut A-"poſtolus, inquit, naturâ filii iræ . . . . . "uſque adeo ſervi erant peccati, & ſub po-"teſtate Diaboli ac mortis, ut non modò "Gentes per vim naturæ, ſed nec Judæi qui-"dem per ipſam etiam literam Legis Moy-"ſis inde liberari ac ſurgere poſſent &c. " Poſtea verò totâ illa Seſſione docet, ut homines ab his malis liberarentur, nullum peni-

Seſſ. 6. cap. 1.

nitus aliud unquam fuiſſe aut eſſe remedium, quam ut per fidem Chriſti diſponantur ad juſtificationem, cui annexa eſt ſalus &c.

De Angelorum Officiis pro ſalute hominum.

Præter notitiam Dei humanæ naturæ inditam, aliaque beneficia omnibus hominibus conceſſa, Cardinalis Sfondratus meritò enumerat etiam Angelum Tutelarem, cujus non ſemel mentionem facit: ideò hoc de propoſito pauca quædam animadvertenda duximus.

Inprimis ſanctorum Angelorum opera in cohibendis dęmonum conatibus præcipuè apparet. Id enim per illos Deum præſtare Tobiæ Liber apertè docet; tum verò per eoſdem innumera, quæ ex communi rerum ordine, ſępe temeritate & levitate ac imprudentiâ noſtrâ acciderent vel impendent, amoventur; ſanctæ cogitationes ſuggeruntur; orationes adjuvantur; omnia denique bona procurantur; præter illa quæ per homines, vel per ſe ipſum ſuumque Spiritum Deus efficit.

Id tamen experientiâ liquet, non omnia a ſanctis Angelis præſtari, quæ ad ſalutem ſalvâ libertate noſtrâ quemque juvare poſſunt. Apud barbaros & infideles omnes & ſingulos, Beati Angeli Euangelium prædicare poſſent, eaque coram ipſis mira patrare, quibus ad fidem, Deo aſpirante, moverentur,

tur, & à maximis peccatis deterrerentur. Ipſis verò fidelibus quot ab Angelis præſidia ſubminiſtrari poſſent, vel noxias inutileſque cogitationes ſeu phantasmata removendo; congruas ſuggerendo; à pravis ſocietatibus, neceſſitudinibus, conſiliis deterrendo; multa mira patrando, quibus in Dei amore tenerentur & creſcerent, vel à peccatis deterrerentur? Nemo non innumera ejuſmodi animo verſare poteſt, quæ tamen non præſtantur omnibus. Imò B. Auguſtinus teſtatur, „Pauciſſimis eſſe do„natum, ut nullo ſibi homine prædicante, „per ipſum Dominum vel per Angelos Cœ„lorum doctrinam ſalutis accipiant." Ex quo liquet eos, ut quælibet hominibus beneficia conferant, non communia charitatis dictamina, ſed peculiaria Dei Decreta nutuſque in ſingulis ſpectare; & eorum conſideratione & amore detineri, ne omnia, quæ facilè poſſent, bona conferant. Hinc efficitur, de ſingularibus operibus ſeu officiis ſanctorum Angelorum pro ſalute hominum, nihil nobis certò conſtare poſſe, niſi vel ex Scriptura, Revelatione, aut Traditione, vel ex ipſa experientia; non autem rationis humanæ conjecturis, aut diſcurſu &c.

De dono perſev. cap. 19.

CA-

Caput. XII.

Perpenduntur ea quæ Cap. 7. relata sunt de parvulis ante susceptionem Baptismi sublatis.

I. ARgumentum ex parvulis qui baptizati vel non baptizati moriuntur, deductum, quo præcipuè ex Apostolo usus est S. Augustinus ad demonstrandum salvantem Christi gratiam penitus gratuitò & non omnibus dari; atque non secundùm hominum, sed Dei voluntatem dispensari, adeò arctat oppositum sentientes, ut aliter inde evadere nequeant, quam in erroris abrupta se conjiciendo. Id constat primò exemplo Semipelagianorum, qui olim, ut hujus argumenti vim effugerent, in eam dementiam ac impietatem prolapsi sunt, ut dicerent infantes, qui sine Baptismate intereunt, eo privari ob peccata, quæ Deus prævidit illos patraturos esse, si diutius vixissent. Deinde constat ex eo, quod accidit quibusdam Recentioribus, qui ut ab eadem diffi-

Vis argumenti ex parvulis petiti

difficultate ſe extricarent, animas innumerabilium parvulorum alienare videntur a providentia Dei; ac curſui cauſarum ſecundarum ſeu fortuitis caſibus, aliorumque tantùm hominum voluntati relinquere, cum agitur de illis liberandis vel damnandis, quaſi ibi nihil agant ſive miſericordia ſive Judicia Dei. Num vero Card. Sfond. ſuâ illâ ſingulari doctrinâ quam Cap. 7. exſcripſimus, non minus infeliciter ejuſdem difficultatis nodum diſſolvat, ex ſequentibus judicari poterit.

Inprimis certum eſt, novitatem in rebus Theologicis nedum ſuſpectam, ſed & magnum judicium eſſe falſitatis: atqui novum & inauditum eſt quod Sfond. tradit de innocentia parvulorum non baptizatorum & immunitate a peccatis activis ſeu actualibus; quæ ſcilicet uſu propriæ voluntatis committuntur; nempe eam eſſe beneficium multo majus cæleſti gloriâ; igitur ex hoc capite jure merito falſitatis argui poteſt.

Innocentia non eſt majus Beneficium cæleſti gloriâ.

2. Deinde innocentia hominis, etiamſi integra eſſet & illibata, quomodo dici poteſt eſſe multò majus beneficium ſeu bonum cæleſti gloriâ, quæ eſt vera creatæ mentis Beatitudo? cum omnium hominum conſenſu certum ſit, ipſam Beatitudinem, in quocumque tandem bono ſtatuatur, eſſe ſummum hominis bonum, quo majus cogitari ne-

nequeat? Quod autem asseritur de electione, non firmo nititur fundamento; quod enim in quibusdam circumstantiis alteri in eligendo anteponitur, non semper majus in se bonum est; ut liquet in his, qui se continere non posse sentientes, nuptias præ virginali continentia eligunt. An quia D. Paulus charitatis excessu pro fratribus anathema esse a Christo optabat; idcirco majus bonum erit a Chiisto separari, quam illi esse conjunctum? Insuper innocentia & virtutes, ut animi ornamenta sunt & decus, nisi dirigantur in Deum, & ad cælestem gloriam acquirendam; sed propter se appetantur, ut Stoici faciebant, steriles & vanæ sunt: qua ratione ergo innocentia creatæ mentis potest esse majus bonum æternâ gloriâ, ad quam si non ordinetur, pro nihilo reputatur.

III. Sed quidquid sit de præstantia innocentiæ creatæ, nec non de illa optione, quæ nos cogitare compellit aut simul consistere posse tenebras & lucem; hoc est, peccatum & visionem Dei: aut peccatum accidere posse in illo Regno, in quod nihil coinquinatum introibit. Amplius refelli potest singularis hæc Sfond. doctrina, animadvertendo, si ea admittatur, nullam penitus vim obtinere posse argumentum, alioquin revera invictum, quo toties Aug. contra Pelagianos, originale peccatum negantes, *Refellitur sententia quod innocentia Parvulorum sit majus bonum &c.*

 ill-

insurgit inquiens: *Quâ justitiâ Imago Dei separatur a Regno Dei, si nullum est originale peccatum.* Cum enim illi Hæretici culpam originalem minimè confiterentur; ideoque parvulis, etiam non baptizatis, innocentiam penitus illibatam tribuerent; juxta Recentioris hujus commentum potiori jure respondere poterant, absque ulla Dei injustitia aut iniquitate contingere posse, ut Imago Dei in parvulis sine baptismo mortuis separetur a Regno Dei; quandoquidem licet ab eo Regno excludantur, servatur tamen eis in perpetuum integra & illibata innocentia, quæ est beneficium longè majus Regno Cœlorum. Quid ergo conqueri de Deo possunt, subjungerent cum Sfond. Pelagiani, aut quid ipsis mali fecit, si non quidem Cælo, sed alio beneficio donavit quod multò præstantius Cælo est; quodque & ipsi & omnes sapientes, si potestas eligendi daretur, longè Cælo præferrent? Quod si Deus id agit, quod & ipsi & nemo alius non optaret; ergo nulla dolendi, nulla conquerendi, sed magna laudandi gratiasque agendi causa est. Ita inquam potiori ratione solvere potuissent Pelagiani objectionem Aug. Sed quia nullum est majus bonum hominis beatitudine, seu Regno Cælorum; eoque privari maximum malum est, & hoc agnoscere facillimum est, ut novit etiam Sfond. qui disertè fatetur

pag. 120. (margin, beside "jungerent cum Sfond." / "ipsis mali fecit")

p. 39. (margin, beside "ut novit etiam Sfond.")

nec

nec exilium aut majus esse, quam quod perpetuum, aut pejus quam quo Cælum amittitur: ideo nec Pelagiani hoc dicere potuerunt, & multo magis nec Sfond. dicere debuerat. *Dici non potest* (ut verbis Aug. utar) *quam molestè feram* quod viderunt Pelagiani esse falsissimum, hoc non vidisse istum, qui nobiscum errorem illorum hæreticorum Catholicâ auctoritate condemnat. *De Præd. S. S. Ca. p. 13.*

Rursus ex nova ista Sfond. doctrina de innocentia parvulorum non baptizatorum, etiam efficitur, ut idem argumentum, quod ipse ab Aug. sumpsit, & applicat ad impugnandam opinionem illorum, qui docent plures animas Dei voluntate excludi a Regno cælorum citra omnem prorsus culpam, quamvis alioquin validissimum, nullius roboris evadat. Argumentum istud Sfond. ita contexuit: ,, Vos dicitis, inquit, Deum *pag. 42.*
,, tam multos eorum, quos ad imaginem
,, suam finxit, & ad felicitatem æternam
,, creavit, non quidem æternis flammis ad-
,, dixisse; sed tamen sponte suâ, nullâque
,, prævisâ culpâ, Cælo eliminasse; vobisque
,, misericordes, clementesque videmini, quia
,, non infertis quidem eis pænam; damnatis
,, tamen, cum Cælo excluditis. Dicite mihi
,, quæ est ista justitia; quid offenderunt, si
,, nullam habent culpam? Defendite justi-
,, tiam Dei; nec enim parva pæna est non

 esse

" esse in Patria; Et si parva esset, quare vel
" parva infligitur innocenti, in quo nullum
" omnino invenitur nec prævidetur pecca-
" tum?

Facilè & isti juxta Sfondrati sententiam respondere possent, quod quamvis Deus in-
p. 164. nocentes animas Cœlo eliminet, non est tamen injustus; imo maxima in eis Dei misericordia elucet: nam licet ad cœlestem gloriam non illos admiserit, alio tamen,
p. 120. multoque majori beneficio affecit, quod illi ipsi longè Cœlo prætulissent &c. Quid ergo conqueri de Deo possunt, aut quid ipsis mali fecit, si non quidem Cœlo sed alio beneficio donavit, quod multò præstantius Cœlo est? &c. Quæ sanè aptissima essent eorum causę defendendæ: sed quia veram creatæ mentis Beatitudinem cuivis alteri bono præferre stultissimum & perversissimum est; nec Auctores illi ea dicere possunt; & valde optandum erat, tum ut nemini unquam illa venissent in mentem; tum ut ab ore & corde omnium Christianorum penitus removeantur; ne horum pietas quâ cum parvulis suis baptizandis currunt ad salutare Lavacrum, larvâ innocentiæ delusa tepescat; aut quod pejus & horrendum est dicere, inani decepta spe parvulos suos ditandi beneficio multo majori cœlesti gloriâ, extinguatur. " Et fallaci laudatori

per-

"perditos relinquat; non veraci Salvatori
"Christo liberandos offerat.

Ex S. Aug. lib. 7. cont. 2. Epist. Pelag. cap. 7.

IV. Modò, videndum superest, quid sentiendum sit de innocentia infantium nondum baptizatorum. Itaque apud omnes constat, eos ante usum rationis esse immunes ab illis omnibus peccatis, quæ propriæ cujusque voluntatis electione committuntur: atque ex hoc capite parvuli vulgò dici solent innocentes. Certum tamen de fide est, eos contrahere originale peccatum, quod, ut docet Concilium Triden, *Propagatione transfusum inest unicuique proprium.* Ut autem, ob hoc contractum peccatum, reatui damnationis obnoxii nascuntur; ita ante susceptum Baptismum revera culpâ non carent, & innocentes non sunt. Hinc eadem Tridentina Synodus pro certo supponit, omnes homines, utique pusillos cum magnis, Adamo peccante innocentiam amisisse: ,,Cum omnes homines, inquit, in prævaricatione Adæ INNOCENTIAM PERDIDISSENT, facti immundi, & ut Apostolus, ,,inquit, naturâ filii iræ . . . . . usque adeo servi erant peccati, & sub potestate ,,Diaboli ac mortis, ut non modò &c.,, Eâdem fidei certitudine constat, deperditam in Adami prævaricatione innocentiam à nullo homine infante vel adulto recuperari; nec quemquam Deo reconcilari; a potesta-

Infantes non baptizati innocentes minimè sunt!

Sess. 5. Can. 3.

Sess. 6. cap. 1.

te tenebrarum erui; a mortalitate liberari; a servitute peccati redimi posse, nisi per Christi meritum, regenerationis Sacramento, his sanè qui nondum baptizati sunt, applicatum.

Ita definit idem Concilium, inquiens, *Ibid. cap. 3.* „Etsi ille (Christus) pro omnibus mortuus „est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; sed ii dumtaxat, quibus „meritum Passionis ejus communicatur.„ Et paulò post declarans, quomodo fiat ejusmodi communicatio, ait: „Homines „nisi in Christo renascerentur, nunquam ju„stificarentur, cum eâ renascentiâ per me„rita Passionis ejus, gratia, quâ justi fiunt, „illis tribuatur.„ Quæ clara sunt, nullâque indigent interpretatione.

Non dubitat tamen Sfondratus asserere exhiberi parvulis non baptizatis, „Si non *p. 164.* "gratiam sufficientem, qua vitam æternam "consequi possint; exhiberi tamen bene"ficium longè præstantius, quodque infini"tis partibus ipsam gratiam sufficientem an"tecellat. Eo enim beneficio prius è me"dio tolluntur, quam peccatis se obstrin"gant, & non damnantur . . . . Et in "eum statum bonorum naturalium transfe"runtur, quem, ait, paragrapho primo de"scripsimus.„ Hinc concludit; „ Ergo ut "jam satis supra ostensum, certum est, e-

„ tiam

" tiam in parvulis maximam Dei misericordi-
"am elucere: quamvis enim Dei visione,
"æternâque gloriâ priventur; at preservantur
" ne peccent; hoc est, ne Deum ipsi offen-
" dant; ne jacturam innocentiæ faciant; ne
" perpetuis ignibus crucientur; quæ omnia
" & maxima beneficia esse, & cœlesti glo-
" riæ certâ ratione preferri, & consequenter
" ad Christi merita & redemptionem perti-
" nere, jam supra, inquit, ostendimus."
Quia videlicet, ut alibi dixerat, ea ipsi par- *p.* 120.
vuli Cælo prætulissent, si electio dare-
tur.

V. Verum si parvulis sine Baptismo dece-
dentibus non exhibetur gratia sufficiens, qua
vitam æternam consequi possint; quæ circa
eos, qui, ut declarat Tridentina Synodus
*Innocentiam perdiderunt, facti immundi, na-
turâ filii iræ, servi peccati, & sub potestate
Diaboli ac mortis permanent:* Quæ, inquam
circa eos, diceret Augustinus, compensa-
" tio cogitanda est; quibus insuper & dam-
" natio præparata est?" Quânam verò ra-
tione dici valet in eis parvulis, quibus Bap-
tismi gratia minimè conceditur, maximam
misericordiam elucere, cum ira ejus ma-
neat super eos, ac justum illius judicium
subeant?

Circa parvulos cœlesti gloriâ privatos, nulla compensatio cogitari potest.

Ep. 166. *cap.* 7. *alias Ep.* 28.

Quomodo iidem infantes alieni a Chri-
sti gratia, maxima beneficia & ad ejus-

 dem

dem Christi merita & redemptionem pertinentia accipiunt, qui ipsi Christo incorporati non sunt per regenerationis Sacramentum, sine quo nec Passionis Domini meritum, nec Redemptionis ejus fructum participare possunt? „ An alterum Baptismum, dicam cum " Augustino, instituimus parvulis istis? Qui " planè si loqui possent, vocem contradicentis refellerent & clamarent; Da nobis " vitam Christi; in Adam mortui sumus: " Da nobis vitam Christi, in cujus conspectu mundus non est nec infans cujus est " unius diei vita super terram . . . . Fiat " misericordia cum miseris; ut quid eorum " INNOCENTIA ULTRA MODUM LAUDATUR? " inveniant Salvatorem, nondum sentiant " adulatorem. Nos planè in tanto infantium periculo, nec disputare debemus; ne " eorum salutem vel disputando differre videamur. Afferantur, abluantur, liberentur, vivificentur: sicut in Adam omnes " moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur. Non invenerunt, quà venirent in " hujus sæculi vitam nisi per Adam; non invenient quà evadant futuri sæculi pœnam, " nisi per Christum. Quid claudis unicam " januam? Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Christus " Jesus. A veneno serpentis non liberat, " nisi exaltatio serpentis.

Serm. 293. alias 5. ex Vignerianis.

Job. 14. 4. juxta 70.

VI.

VI. Modò transeamus ad alia, quæ Cardinalis Sfondratus tradit de parvulis ante susceptum Baptismum defunctis. *Absurdè dici à Sfond. Deum nolle vitam æternam parvulis non baptizatis.*

* Asserit itaque quod nunquam illis Deus æternam vitam voluit. Mirum est Auctorem istum, cum de infantibus agere instituit, non meminisse bonitatis Dei, cujus causam præcipuè tuendam suscepit; cum enim constanter profiteatur; quod „ Vult „ Deus (verba illius sunt) quippe omni„um Pater, omnes homines salvos esse, „ vult regno potiri; vult Hæredes scribi: „ idque amore non qualicumque, sed pater„no, hoc est omnium maximo, ac since„rissimo; Et siqui rebelles evadunt, non i„deo propositum & amorem mutat &c. „ Cum inquam id profiteatur, faciatque tam benevolum Deum erga pessimos etiam & perduelles quosque homines; Cur parvulis, „ illibatâ innocentiâ ut docet ipse, prædi„tis, vixque culpâ originali aspersis; „ nunquam vult vitam æternam, non vult Regno potiri &c. Cur viscera paterna innocentibus claudit? An non Pater etiam illorum est? *p. 48. p. 8. p. 120.*

Ita Augustinus olim adversus Pelagianos insurrexit: „ Si Deus, inquit, vult omnes „ salvos facere & in agnitionem veritatis „ venire, sed ideo non veniunt, quia ipsi „ nolunt; cur tot millia parvulorum, qui *Contr. Jul. lib. 4. cap. 8. n. 4.*

"non percepto Baptiſmate moriuntur, non
" veniunt in Regnum Dei, ubi certa eſt ag-
"nitio veritatis? Nunquid aut homines non
"ſunt, aut non pertinent ad id, quod di-
"ctum eſt, *omnes homines*? . . . Cur Deus
" qui vult omnes homines ſalvos fieri & in
" agnitionem veritatis venire, tam multos in
" Regnum ſuum . . . . .qui nullo ei reſiſtant
" arbitrio, patitur non venire?

Reſpondebant Pelagiani, "Ideo parvulos
Ibid. " non in eorum numero deputan-
n. 43. "dos, quos Deus omnes vult ſalvos fieri;
"quia eâ ſalute, quæ hic intelligenda eſt,
" ſalvi ſunt ipſi, nihil trahentes omnino pec-
" cati.

Reſponderet forſan etiam Sfondratus il-
los infantes beatos quidem non eſſe, ſeu
non intrare in Regnum Dei, nec tamen pe-
reunt; qui autem non perit, jam ſalvus eſt
&c. Urget Auguſtinus. „ At ita te into-
„ lerabilis, inquit, ſequitur abſurditas: iſto
„ enim modò benevolentiorem facis Deum
„ omnibus impiiſſimis & ſceleratiſſimis ho-
„ minibus, quam innocentiſſimis & puriſſi-
„ mis ab omni labe peccati: Quandoqui-
„ dem illos, quia vult eos omnes ſalvos fi-
„ eri, vult etiam intrare in Regnum ſuum...
„ Immenſum verò numerum parvulorum,
„ qui ſine Baptiſmate moriuntur, ſuo Regno
„ adjici non vult. Hîc Pelagiani obmutue-
runt.

runt. Sfondratus tamen acutiſſimum aliquod invenit quod reponeret; videlicet non ſequi eam, quam Auguſtinus objicit abſurditatem; benevolentiorem enim Deus, ſecundùm ipſum Sfondraum, ſe præbet illis infantibus, quippe qui in perpetuum ſervat eis innocentiam &c. quæ multo majus beneficium eſt Regno Dei. O quantùm perdiderunt Pelagiani, qui Auctorem iſtum non audierunt! potiori namque jure, ut jam innuimus, hoc idem reſpondere poterant ipſi, qui penitus integram parvulis ac puriſſimam tribuebant innocentiam, eoſque nec ſaltem aſperſos originali labe dicebant. Nihilominus exiſtimari poteſt, id eis quoque in mentem veniſſe; ſed propalare forte noluerunt; ne docendo atque divulgando, ut modò fit, animas a Chriſti gratia alienas, & a Regno Dei excluſas *affici beneficio cœleſti gratia multò majori* quodque infinitis partibus ipſam Chriſti *gratiam antecellat*, Chriſtianis horrori eſſent &c.

VII. Aſſerit etiam Cardinalis Sfondratus, quod ſi Deus parvulos ad gloriam non elegit, non ideo ſequitur eos damnari.

Parvuli ante baptiſmum abrepti non liberantur ab omni damnatione.

*Docet equidem S. Auguſt. quod plurimi „infantes qui ante ſuſceptionem Baptiſmi „abripiuntur, ſecundùm Catholicam fidem „à damnatione graviſſima tollantur; ſe„cundùm verò hæreſim Pelagianam ab omni.

*Lib. 1. op. imp. cap. 64. Itaque quando Sfond. dicit parvulos non damnari, vel intelligit eos tolli ab omni damnatione, vel solùm a graviori vel gravissima; si ab omni, hoc dicitur, ut Aug. testatur, secundùm hæresim Pelagianam: si tantùm a graviori aut gravissima, quã plectuntur, qui suâ propriâ voluntate peccaverunt: ab alia tamen damnatione, licet in comparatione cæterarum omnium levissimâ, non tolluntur, falsum igitur erit eos non damnari.

Et sanè parvulos nasci damnationi æternę obnoxios, in eamque ire, si antequam obierint, in Christo non renascantur, nemo negare potest, nisi qui velit Apostolo apertè repugnare, ut toties observat S. Aug. qui

Rom. 5. 16. super illa verba; *Judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem*, ait." Ex uno ergo, "quid, nisi delicto? Quia sequitur, *gratia* "*autem ex multis delictis.* Dicant isti (per-"git Aug.) quomodo ex uno delicto in con-"demnationem, nisi quia sufficit ad con-"demnationem unum originale peccatum, "quod in omnes homines pertransiit? Et "paulò post. Quomodo ergo per unius de-"lictum in omnes homines ad condemna-"tionem, & non potius per multa sua cu-"jusque delicta; nisi quia etiamsi unum sit "tantùm, idoneum est perducere ad con-

De Nup. & concup. lib. 2. cap. 27.

dem-

"demnationem, etiam nullis additis cæteris;
" ſicut perducit parvulos morientes, qui ex
" Adam naſcuntur, ſi in Chriſto non re-
" naſcuntur?

" Quid ad iſta dicturi ſunt (ait Aug. alio *Epi.*
" loco ſed in eodem propoſito) aut quid eis *157.*
" reſtat niſi ut Apoſtolum erraſſe conten- *cap. 3.*
" dant? Clamat Vas electionis, Doctor Gen- *alias*
" tium, Tuba Chriſti: *Judicium ex uno in con-* *Ep. 89.*
" *demnationem*; & reclamant iſti aſſerentes,
" parvulos quos ex illo uno homine, de quo
" loquitur, ducere propaginem confitentur,
" non ire in condemnationem, etſi in Chri-
" ſto non fuerint baptizati. *Judicium*, inquit,
" *ex uno in condemnationem.* Quid dicit ex
" uno, niſi delicto? Ergo inde judicium,
" etiam ex uno delicto, ducit in condemna-
" tionem. Quapropter ſi non audent reſi-
" ſtere Apoſtolo, exponant nobis, quare
" judicium ex uno delicto ducat in condem-
" nationem?" Sfond. autem profitetur, non
judicium ducere in condemnationem par-
vulos ſine baptiſmate morientes, ſed maxi-
mam Dei miſericordiam in eis etiam elu- *De pœ-*
cere &c. *na par-*

VIII. Affirmat tandem Sfond. parvulos *vulo-*
non baptizatos, quamvis Dei viſione æter- *rum*
nâque gloriâ priventur, præſervari tamen, *quæſtio*
ne perpetuis ignibus crucientur. In eadem *quomo-*
opinione plures alii verſantur Auctores, *do diſ-*
cutien-
da.

quos ratiocinatio potius humana delectat, quam divina auctoritas. Sed quæstionem de pœna originali peccato debita, adeo difficilem censuit Aug. ut fateatur illam humanis rationibus dissolvere supra vires quoque suas fuisse. "Ego, inquit, istam quæstionem profundam sentio, & ad ejus fundum rimandum vires meas idoneas non agnosco. "Libet me & hic exclamare, quod Paulus, "O altitudo divitiarum! parvulus non baptizatus pergit in damnationem (Apostoli "enim verba sunt, *Ex uno in condemnationem*) non satis invenio dignam causam; "quia non invenio, non quia non est. "Ubi ergo non invenio in profundo profundum, attendere debeo humanam infirmitatem, non damnare divinam auctoritatem &c.

Serm. 294. cap. 7. alias 14. de verbis Apost.

Fortè fundum.

Inde plurimùm commendat & approbat, ut in investiganda rei hujus veritate ad eandem auctoritatem confugiatur: Quod ipse diligentissimè æquè ac sapientissimè præstitit; & Scripturæ sacræ testimoniis, iisque multum apertis, sententiam suam, de qua nunquam dubitavit, ut cap. sequenti constabit, demonstravit; videlicet, quoad illos homines omnes, qui cum peccato, quod est mors animæ (quale procul dubio est etiam originale) moriuntur, non dari medium locum inter Regnum Cælorum &

ge-

gehennam ignis ; ac proinde ab illo exclusos in hanc mitti. Cui sententiæ, Scripturæ divinæ magis consentaneæ, & nos adhæremus ; arctiusque connectimur auctoritate Concilii Florentini, quod disertè statuit : "Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pænis tamen disparibus puniendas." Hic nullus relinquitur tergi versandi locus.

In literis sanctæ unionis.

IX. Superest ut perpendamus vim argumenti, quod Sfond. quibusdam aliis, quæ induxit, adjungit. **Si nemo*, inquit, *propter peccatum originale reprehendi potest, quantò minus torqueri &c.*

Argum. Sfond. expenditur.

Si hæc ratio valeret, probaret parvulos etiam in hac vita non posse ob culpam originalem tot doloribus, quos patiuntur fletibusque indicant, torqueri ; tot morborum generibus, dæmonum invasionibus, cæterisque innumeris calamitatibus affligi ; ac tandem morte corporis puniri ; ita enim liceret cum Auctore isto arguere :

Licet infantes non possent reprehendi, possunt tamen puniri ob peccatum originale.

Planè atrociùs morbi dolent, præsertim diuturni ; magis torquet dæmon &c. quam verba : quis ergo tam absurdè sentiat, posse torqueri parvulos morbis, qui non possunt verbis ? nihilominus apud Christianos certum est, parvulos hujusmodi pænis subjici propter peccatum originale : quam verita-

** pag. 118.*

tem

tem esse indubitatum fidei dogma, testatur etiam ipsemet S. Thomas, inquiens:
De Malo q. 5. art. 4. "Absque omni dubio secundùm fidem Catholicam tenendum est, quod mors & "omnes defectus præsentis vitæ sunt pæna "peccati originalis." Igitur non absurdè, sed absque omni dubio secundum fidem Catholicam sentit, "Qui confitetur infantes "torqueri in præsenti sæculo posse ob culpam originalem, quamvis verum esset ob "eandem non posse reprehendi." Cur etiam in futuro sæculo ubi infantes non baptizati eidem culpæ originali manent semper obstricti, non possunt torqueri pænis, licet non possent verbis? Deinde si eidem ratiocinationi attendendum esset, inferri quoque deberet, parvulos non baptizatos neque a
p. 39. Regno Cœlorum excludi posse. Nam Sfond. ipse ex S. Aug. fatetur, maximam creaturæ rationalis pænam esse, si excludatur ab eo Regno, hoc est, si exilio mulctetur: "Nec "verò, inquit, exilium aut majus esse, "quam quod perpetuum, aut pejus, quam "quam quo Cælum amittitur; tantò enim "infelicius exilium, quantò felicior Patria: "sicut tanto gravius malum, quanto majus "est bonum, quo privat.

Quo supposito ita cum eodem Auctore ratiocinari possumus. Planè longè atrocius dolet exilium, præsertim perpetuum, quam verba.

verba. Quis ergo tam absurdè sentiat, ut dicat luctuosissimo exilio posse mulctari parvulos, qui non possunt reprehendi? Posse puniri exilio, qui non possunt verbo? Et tamen nemo unquam negavit aut negat, infantes sine Baptismate morientes a Regno Cœlorum excludi, sicque durissimo exilio puniri; quamvis verum esset non posse reprehendi.

X. Sed ne Sfond. rationibus tantùm inniti videatur, agit etiam auctoritate: itaque observat de non baptizatis dici quidem Johan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare in Regnum Cœlorum:* Non dicit Christus, inquit ipse, *æternis ignibus punitur; sed non intrabit in Regnum Cœlorum &c.* Sed ex S. Aug. animadverti potest, si in hoc sensu accipiendum esset testimonium illud Euangelii, quia ibi non exprimitur pæna ignis æterni, inde sequi, "Non tantum parvulos non baptizatos, sed scelestos, facinorosos, contaminatos, perditos, si non corrigantur, in Regno quidem non futuros, minimè tamen æternis suppliciis puniendos; de hujusmodi enim peccatoribus Apostolus pronunciat: *Regnum Dei non possidebunt.* Non dixit, subjungit Aug. illi & illi, tales & tales igni æterno torquebuntur, sed *Regnum Dei non possidebunt.*" An quia de illis

Aliud ejusdem arg. ex auctoritate rejicitur. p. 114.

1 *Cor.* 6. 9.

illis peccatoribus non dixit. Apostolus, *Æternis ignibus punientur*, sed *Regnum Dei non possidebunt*: Idcirco illi quidem Regnum Dei non possidebunt; sed tamen æternis suppliciis non torquebuntur? Quis audeat hoc dicere? Quare ergo Scriptura divina aliquando peccatoribus comminatur exclusionem a Regno Cœlorum, non factâ mentione ignis æterni? Audiamus Aug. "Non "eos, inquit, terruit, quod erunt in igne "sempiterno, quo sine dubio ibunt; sed "tantùm terruit, quia in Regno non erunt: "ut cum viderint se perdere spem Regni, "non viderent esse consequentem, nisi pœ"nam ignis æterni . . . . subtractâ dextrâ, "non remanet nisi sinistra: unde autem eva"dunt ab igne sempiterno? Non ob aliud, "nisi quia erunt in Regno &c." De mente autem ejusdem S. Patris quoad pœnam parvulorum sine Baptismo decedentium, licet jam constare possit, fusius tamen agendum erit cap. seq. ubi videbitur an eam attigerit Card. Sfond. &c.

Ibid.

Caput. XIII.

Considerantur ea, quæ relata sunt Capite octavo.

In primis an Emin. Sfond. Nodum Prædestinationis ex doctrina S. Aug dissolvat,

rat, facile eſt cuique diſcernere ex iis; quæ hactenus obſervata ſunt, & quæ deinceps perpendentur.

Tentavit quidem munire ſe armis ejuſdem S. Doctoris, ejus nempe teſtimoniis & auctoritate; ſed non potuit ſic incedere, non enim habebat conſuetudinem; idcirco poſtea profitetur, aliis armis nunc opus eſſe, alio hoſte belloque inſtante. Mirificè commendat B. Aug. doctrinam; debebat ergo audire tantum Virum docentem, cujus doctrinam laudavit.

Dicit tamen, eum non ſemper in cauſa gratiæ unam eamdemque ſententiam tenuiſſe. Negari non poteſt S. Aug. ante Epiſcopatum aliquo errore in materia de gratia laboraſſe, quo putabat fidem ſeu fidei initium non eſſe donum Dei; ſed circa exordia ſui Epiſcopatus, Deo per Scripturas ſuas veritatem ei revelante, errorem abjecit; ac deinceps ſemper unam eandemque de gratia ſententiam tenuit. Si autem ſcire cupis, unde error ille ad Aug. defluxerat; id docet Sfond. "Adverte, inquit, adeò illos Semipelagia- p. 55.
"nos ſpecioſis rationibus, ac auro pietatis "obductos fuiſſe; ut quod mireris, non ſo- "lum ſanctitate ac doctrinâ precipuos in "Gallia, verum etiam in Africa ipſum Aug. "occuparent." Multùm ſanè mirabile eſt, Aug. deceptum fuiſſe a Semipeligianis, tri-

ginta

ginta & amplius annos; antequam aliquid de iis sciverit vel audiverit; quinimo viginti circiter annos, priusquam exortus aut notus esset, non solùm eorundem Semipelagianorum sed etiam Pelagianorum error &c.

S. Aug. non non dubitavit de pœna parvulorum.

I. Putat etiam Sfond. in quæstione de pœna parvulorum, qui non regenerati moriuntur, valde dubium semper extitisse. Verum excepto eo loco Lib. 3. de lib. arb. c. 23. de quo infra agetur, quamvis sæpissimè de illa pœna tractaverit, vel contra Hæreticos disputando, vel Christianos docendo; ne minimum tamen ejus dubitationis indicium unquam præbuit, ut postea clarè demonstrabitur. Quin contra vel semper supponit, vel docet, vel evidentibus Scripturis probat, parvulis sine Baptismo decedentibus præparatum non esse ullum medium locum inter Regnum Cœlorum, & gehennam ignis; sed ab illo exclusos huic destinari. In quam sententiam flexit S. Pater, non inconsideratè agens, aut quasi sæviens adversus infantes; quod insanissimè ac temerè de mansuetudine, de modestia ac sapientia tanti Doctoris suspicaretur; sed divinæ auctoritati adhærens, perpendens quam magnam connexionem illa habent cum certis fidei nostræ capitibus; ac tandem unanimi illius temporis Ecclesiæ consensu ductus.

II.

II. Non igitur in eam ſententiam abreptus eſt ardore diſputatdi contra Pelagianos, ut quidam ineptè, ne dicam impudenter, obloquuntur. Hinc eſt, quod illam nedum ſuſtinuit adverſus eoſdem Hæreticos ad acerrimè diſputans; ſed tradidit etiam, cum tranquillo & ſedato animo Fideles verbo vel ſcripto doceret; ut cunctis Lucubrationes ejus percurrentibus conſtare poteſt. *In ſententiam de eâdem pœna abreptus non eſt ardore pugnandi.*

III. Inſuper quam maximè ſtuduit hac in re continere ſe intra diſcretæ moderationis limites, quantum ſalvâ divinorum Eloquiorum auctoritate, ſalvâ Fidei veritate ei licuit. Hinc primùm docet, parvulos qui non baptizati moriuntur, damnatione leviſſimâ ac mitiſſimâ pœnâ mulctari; quod procul dubio intelligit factâ comparatione cum pœnis, quibus alii damnati ob peccata, propriâ cujuſque voluntate commiſſa torquentur. Qualis vero & quanta in ſe ſit pœna originali culpæ debita, fatetur ſe definire non poſſe; id enim diſcernere non ad hominis ſed Dei Judicium ſpectare, non ſemel ipſe declarat, ac in univerſum Tract. 89. in Johan. "Tanta eſt autem, inquit, "ſuppliciorum, quanta eſt diverſitas pecca"torum; quæ quomodo ſe habeat, altius in"dicat Sapientia divina, quam conjectura "ſcrutatur aut effatur humana. *Intra diſcretæ moderat. limites ſe continuit S. Aug. diſputans de pœna parvulorum.* *Num. 4.*

De-

Deinde cum Julianus contra originale peccatum opponeret; si parvuli peccato & damnationi obnoxii nascerentur, de illis proferendum esset, quod Christus de Proditore dixit, *Melius erat homini illi non nasci.* At S. Aug. respondet, cum id Dominus pronuntiaverit tantùm de maximis peccatoribus, extendendum non esse ad qualescumque peccatores; & multo minus ad parvulos non baptizatos, qui erunt in pæna mitissima, cæterisque omnibus multò magis tolerabili.

Cont. Jul. lib. 5. cap. 11.

" Ego autem non dico, inquit, parvulos " sine Christi Baptismate morientes tantâ pænâ " esse plectendos, ut eis non nasci potius expe- " diret; cum hoc Dominus non de quibus- " libet, sed de sceleratissimis & impiissimis " dixerit. Si enim quod de Sodomis ait, & " utique non de solis intelligi voluit, alius " alio tolerabilius in die judicii punietur: " Quis dubitaverit parvulos non baptizatos, " qui solum habent originale peccatum, nec " ullis propriis aggravantur, in damnatione " omnium levissima futuros? Quæ qualis " & quanta erit, quamvis definire non " possim; non tamen audeo dicere, quod " eis ut nulli essent, quam ut ibi essent, " potius expediret.

Matth. 10. 15. *& cap.* 11. 24.

Ignis inferni quo gravius vel levius torqueat.

IV. Demum ut cogitetur, qua ratione accidere possit, ut ignis inferni, pro qualitate & quantitate culparum, aliis graviorem,

rem, aliis leviorem, aliis leviſſimum cruciatum infligat; inſinuat Aug. altero ex his modis fieri poſſe; nempe, vel ita ut vis & ardor ipſius ignis a Deo augeatur aut minuatur; vel æquali vi & ardore ignis manente, non æqualiter ſentiatur. "Nequaquam, inquit, negandum eſt, etiam "ipſum æternum ignem pro diverſitate meritorum, quamvis malorum, aliis leviorem, aliis futurum eſſe graviorem; ſive "ipſius vis atque ardor pro pœna digna "cujuſque varietur; ſive ipſe æqualiter ardeat, ſed non æquali moleſtiâ ſentiatur.„ *De Civit. Dei lib. 21. cap. 16.* Quę Auguſtini doctrina explicari forſitan poſſet exemplo ignis ſeu ardoris febrilis, qui juxta gravitatem vel levitatem febris, magis vel minus tolerabilis eſt, ac majori vel minori moleſtiâ ſentitur &c. Quibus autem iſta Aug. ſententiæ moderatio non ſatis eſt, aliquod melius quærant; ſed caveant, ne eximendo parvulos ante Baptiſmum ſublatos ab omni penitus inferorum pæna, ſimul liberatos declarent a captivitate peccati, a poteſtate Diaboli ac mortis, ab ira Dei &c. abſque gratia Sacramenti Mediatoris Dei & hominum: Sicque inducant illam quamdam ſecundam felicitatem, minorem Regno Cœlorum, quam iiſdem parvulis Pelagiana hæreſis fabricavit: aut forte, quod pejus eſt, majorem ipſi felicita- *S. Auguſt. lib 1. Op. Im. cap. 3. & Ib. lib. 2. c. 113.*

citatem illis ædificent, quos affirmare non dubitant, beneficio cælesti gloriâ multò majori a Deo affici: sed de his hactenus.

S. August. retractavit sententiam mediam inter præmium & supplicium &c.

V. Accedamus ad ea consideranda, quæ Sfondratus proposuit, ut suaderet S. Patrem plurimùm dubitasse de pœna parvulorum non accepto Baptismate morientium. "Primò asserit sententiam mediam parvulis "non baptizatis inter supplicium meritum-"que ab Augustino constitui; neque id un-"quam ab eo fuisse retractatum. Mirum sanè est Auctorem istum, qui ut ajunt, Patrum, præcipuè verò Augustini, tam sæpe & tam sedulò opera evolvit, non legisse, aut non animadvertisse hæc S. Augustini verba. "Frustra, inquit, mihi de illius Li-"bri mei vetustate præscribitur, ne agam cau-"sam sicut debeo agere parvulorum . . . . "Si enim quando Libros de lib. arb. Laicus "cæpi, Presbiter explicavi, adhuc de damna-"tione infantium non renascentium, & de "renascentium liberatione dubitarem; ne-"mo, ut opinor, esset tam injustus atque "invidus, qui me proficere prohiberet, at-"que in hac dubitatione remanendum mihi "esse judicaret. Cum verò rectius possit "intelligi; non me propterea de hac re du-"bitasse credi oportere, quia contra quos "mea dirigebatur intentio, sic mihi visi "sunt

De dono persev. cap. 12.

"sunt refellendi, ut sive pœna esset peccati "originalis in parvulis, quod veritas habet; "sive non esset, quod nonnulli errantes o- "pinantur; nullo modo tamen, quam Mani- "chæorum error inducit, duarum natura- "rum, Boni scilicet & Mali, permixtio "crederetur. Absit ut causam parvulorum "sic relinquamus, ut esse nobis dicamus in- "certum, utrum in Christo regenerati, si "moriantur, parvuli transeant in æternam "salutem, non regenerati autem transeant "in mortem secundam. Quoniam quod "scriptum est, *Per unum hominem peccatum* Rom.
"*intravit in mundum, & per peccatum mors*, 15.12.
"*& ita in omnes homines pertransiit*; aliter "rectè intelligi non potest: nec a morte "perpetua, quæ justissimè est retributa pec- "cato, liberat quemquam pusillorum at- "que magnorum, nisi ille, qui propter redi- "menda & originalia & propria nostra pec- "cata, mortuus est sine ullo originali, pro- "priove peccato." His S. Doctor profitetur, si humaniùs erga illum agatur, non opus esse, ut ob illud suum effatum de medietate inter præmium & supplicium, existimetur ipsum tum dubitasse de damnatione parvulorum, an esset pæna originalis culpæ; qua de questione, cum Libros de libero arb. scriberet, necesse non habuit quidquam definire, ut Manichæos, contra quos tunc agebat,

refelleret; quod æquè bene præstare poterat, sive pæna esset, ut ait, peccati originalis in parvulis, quod veritas habet; sive non esset, quod nonnulli errantes opinantur; Quod si attendisset Sfond. facilè poterat ab Aug. mente amovere magnam illam de pæna parvulorum dubietatem & inconstantiam. Verùm si noluit ei esse humanus, saltem non sit injustus atque invidus, ut prohibeat Aug. proficere, & judicet in hac dubitatione illi remanendum esse. "Absit, "inquit, ut causam parvulorum sic relin- "quam, ut esse nobis dicamus incertum, "utrum in Christo non regenerati transeant "in mortem secundam, quæ (ut alibi ipse- "met docet) non fit separatione animæ & "corporis, sed in æternam pænam potius "utriusque complexu." Falsum igitur est S. Aug. in causa parvulorum non retractasse vel non repudiasse sententiam illam mediam &c. Et æquè falsum de pæna infantium non baptizatorum, post exaratos Libros de libero arb. dubitasse; imò non incongruam ipse suggerit rationem, ob quam benignè judicari poterat, ne tum quidem hac de re in illa dubietate fuisse.

De Civit Dei lib. 3. cap. 10.

An S. Aug. in Ep. 28. dubitet de pæna parvulorum.

VI. Sed valde dubium & inconstantem, cum agitur de parvulorum pæna, extitisse S. Aug. præcipuè probat Sfond. ex Epist. 28. ad Hier. "Tædet attendere (ut Aug. ver-

"verbis ad rem noſtram utar) pigetque pro- *Epiſ.*
"ferre, ſed magis compellimur dicere; 186.
"Quod enim potuerunt magna & acuta *cap.* 5.
"ingenia cogitare, aut inopiæ eſt tacendo *alias*
"vitare, aut arrogantiæ contemnendo præ- 106.
"terire." Nulla re magis Aug. animum, ut ipſe profitetur, ait Sfond. præſertim Epiſt. 28. agitatum tortumque fuiſſe, quam hac de parvulorum pœna quæſtione." Paulùm ergo attentiùs perpendamus, an S. Aug. id revera profiteatur, præſertim in laudata Ep. 28.

Ac primùm quæ fuerit Aug. intentio, qua Librum ſeu Epiſtolam illam exaravit, declarat ipſe lib. 2. Retract. cap. 45. *Scripſi etiam*, inquit, *duos libros ad Hieronymum Præsbyterum ſedentem in Bethlëem*, *unum* (Et hic eſt Epiſt. de qua agitur.) *De origine animæ hominis*, *alterum* &c. & infra de intentione, qua eundem Librum publicum fecit. "Ad hoc, inquit, edidi priorem, ut qui legit, admòneatur, aut non quærere omnino quomodo detur anima naſcentibus, aut certè de re obſcuriſſima eam ſolutionem quæſtionis hujus admittere, quæ contraria non ſit apertiſſimis rebus, quas de originali peccato fides Catholica novit in parvulis, niſi regenerentur in Chriſto, ſine dubitatione damnandis." Quæſtio igitur tum valde dubia & obſcuriſſima de qua

S. Doctor tractare intendit in ea Ep. non est de pæna parvulorum, sed de origine animæ. Imo pænam seu damnationem infantium, qui non regenerentur in Christo, hic ponit ipse inter res apertissimas, quas fides Catholica sine ulla dubitatione novit. An in ejusmodi rebus anceps esse poterat Aug.?

Ea Ep. expenditur. VII. Sed inspiciamus Ep. ipsam, ubi Aug. antequam aperiat, quid a sancto Hieronymo doceri cupiat, ea profitetur quæ ipse de anima indubitanter sentiebat & tandem ad nostrum propositum deveniens,
Epist. 166. cap. 2. alias 28. "Certus etiam sum, ait, animam nullâ "Dei culpâ, nullâ Dei necessitate vel suâ, "sed propriâ voluntate in peccatum esse "collapsam; nec liberari posse de corpore "mortis hujus vel suæ voluntatis virtute, "vel ipsius corporis morte; sed gratiâ Dei "per Jesum Christum Dominum nostrum: "Nec omninò esse animam ullam in genere "humano, cui non sit necessarius ad liberationem Mediator Dei & Hominum Homo Christus Jesus. Quæcumque autem sine "gratia Mediatoris & Sacramento ejus, in "qualibet corporis ætate de corpore exierit, "& in pæna futuram, & in ultimo judicio recepturam corpus ad pænam. Hæc "sunt, inquit, quæ de anima firmissimè "teneo.

Pe-

Postea refert quatuor opiniones de origine animæ, ex quibus, " quænam sit eligen-" da, inquit, scire desidero." Deinde supponens Hieronymi mentem esse, singulas animas singulis nascentibus etiam modò à Deo fieri, proponit difficultatem, quæ illum summopere angebat; hoc est, quomodò eâ admissâ D. Hieronymi sententiâ, exponi valeat animas hominum nascentium contrahere originale peccatum, damnationisque reatum. En ejus verba, " Doce quæso, in-" quit, quod doceam, doce quod teneam, " & dic mihi, si animæ singulatim singulis " hodieque nascentibus fiunt, ubi in parvulis " peccent, ut indigeant in Sacramento Christi " remissione peccati peccantes in Adam, " ex quo caro est propagata peccati &c." Hic nodus ille erat, quo implicabatur Aug. mens, & cujus solutionem ab Hieronymo enixè poscebat. Postea devenit ad testimonium quod Sfond. truncum adducit; „Cum „ad pænas, inquit, ventum est parvulorum, „magnis, mihi crede, coarctor angustiis, „nec quid respondeam, prorsus invenio.„ Hucusque Sfond. exscripsit; sed Aug. immediatè ita prosequitur: „Non solùm, ait, „eas pænas dico, quas habet post hanc vi-„tam illa damnatio, quò necesse est tra-„hantur, si de corpore exierint sine Chri-„stianæ gratiæ Sacramento; sed eas ipsas,

Ibid. cap. 3.

Ibid. cap. 6.

„quæ in hac vita, dolentibus nobis, versantur ante oculos. „ Quæ postrema verba consultò forsan omisit Sfond. ne statim evanesceret ingens illa dubitatio de pænis parvulorum, quam ipse nititur Aug. affigere; tantùm enim abest, ut iis verbis significet, se de illa pænâ dubitare, quin pro certo supponit& dicit, animas infantium, qui sineBaptismo intereunt, trahi necesse in damnationem, quæ pænas habet.

De quo dubitet Aug. in ea Epist.

VIII. Magnis itaque angustiis coarctabatur Augustinus non ob quæstionem de pœna parvulorum; sed quia quærebat justam causam, cur eadem pœna eis infligatur, quæ quidem alia esse nequit præter originale peccatum; sed tamen non percipiens qua ratione istud contraheretur, si animæ, ut sentiebat D. Hieronymus, singulis nascientibus a Deo creantur; neque consequenter invenire poterat causam damnationis infantium sine Baptismate morientium: Propterea petit hac de re instrui: "Quærenda causa est "inquit, atque reddenda, quare damnentur "animæ, quæ novæ creantur singulis quibus-"que nascentibus, si præter Christi Sacra-"mentum parvuli moriantur: Damnari e-"nim eas, si sic de corpore exierint, & "sancta Scriptura, & sancta est testis Ec-"clesia: Unde illa de animarum creatione "sententia, si hanc fidem fundatissimam non

Ibid. cap. 8.

"non oppugnas, sit & mea; si oppugnas,
" non sit & tua.

Ubi sacræ Scripturæ auctoritate, totiusque Ecclesiæ testimonio, ac proinde, ut ait, secundùm fundatissimam fidem, cui nulla ex causa repugnandum sit, indubitatum esse supponit, parvulos sine Baptismo decedentes ire in damnationem; cui conjunctam esse àliquam inferorum pœnam, semper ipse aut pro certo sumit aut probat.

Demum ad ea verba devenio, quæ Sfondratus prioribus ab ipso adductis statim subjungit, videlicet. „ Quamvis desiderem
" inquit, rogem, votis ardentibus exop-
" tem, ut per se mihi Dominus hujus rei
" auferat ignorantiam; tamen si quod absit,
" minimè meruero, patientiam mihi petam
" à Domino Deo nostro.„ Quod fervens Augustini desiderium ac ejus vehementem instantiam Sfondratus revocat ad quæsitum de parvulorum pœna; sed omninò fallitur, ut jam liquidò constat. Ignorantia etiam à qua liberari cupiebat, tantùm procul dubio versabatur circa quęstionem de origine animæ; ignorans nempe, quam ex quatuor de illa opinionibus eligeret, ut manifestè indicat sequentibus verbis, quibus Epistolæ finem imponit. "Antequam sciam, inquit,
" quænam earum opinionum de origine ani-
" mæ, potiùs eligenda sit, hoc me non te-

 "mé-

" merè sentire profiteor, eam quæ vera est, "non adversari robustissimæ ac fundatissi- "mæ fidei, qua Christi Ecclesia nec parvu- "los homines recentissimè natos à damna- " tione credit , nisi per gratiam nominis " Christi, quam in suis Sacramentis com- " mendavit, posse liberari.

Itaque ea Augustini mentis agitatio, quam in hac Epistolâ expressit, referenda non est ad quæstionem de pœna parvulorum , de qua nunquam dubitavit , ut evidens est , cum ex multis aliis ejus Lucubrationibus, tùm præclarissimè ex hac ipsa, quam mox expendimus Epistola.

Nihilominus Sfondratus confidenter pronunciat , ,, Nullâ re magis Augustini ani- " mum agitatum, tortumque fuisse, quam " hac de parvulorum pœnis quæstione,ut Aug. " ipse profitetur, inquit Auctor iste, præser- " tim Ep. 28,,, Quæ fides habenda est homini, qui hæc dicit, & S. Augustinum instar venatorum huc atque illuc cursitantem facit, ut eam veritatem apprehendat, quam firmissimè jam ille tenebat, quamque secundùm *Apostolicam, manifestissimam, robustissimam ac fundatissimam fidem* tenendam esse profitetur eo ipso loco , in quo præsertim S. Doctorem de illa multùm dubitasse, idem Auctor scribit.

An IX. Dicit etiam Sfondratus Augustinum diffi-

difficilem intellectu esse: Puto non id ab eo defectui S. Patris tribui, sed quod consentiat accidere, vel ob difficultatem subtilitatemque disputationum, de quibus necessitatem tractandi habuit; vel ob vitium eorum qui nimio suæ opinionis amore excæcati, sensum ejus non percipiunt. Cæterùm cum aliquando Julianus obscuritatem illi exprobaret, „ Nihil, inquiens magis agit Augusti-" nus, quam ut parùm intelligatur:" S.Doctor Hæretici calumniam ita refellit. " Pror-" sus intelligor, inquit, velis nolis; sed tu " contra ista nihil dicturus, vis non intelligi " quod ego verissimum atque firmissi-" mum dixi.

Aug. difficilis intelleƇu: &c.

Apud S. August. Lib. 3. Op. Im. cap. 140.

X. Monet etiam Sfondratus scopum, quem Augustinus sibi proposuit, cum contra Pelagianos disputaret, non alium fuisse, quam gratiam non ex præcedente merito conferri &c.

Quæ intentio & scopus Aug. in disp. de gratia.

Verum quidem est August. semper contendisse, gratiam non ex præcedente merito nostro conferri; sed falsum est, non alium sibi scopum proposuisse, cum adversus illos Hæreticos ageret: Prius enim ac præcipuè quoque intendit, ut quando asseritur gratiam gratis & non ex merito dari, id intelligatur de illa, qua Christiani Catholici sumus, cujus notiones jam nos ab initio dedimus; Constat namque Pelagianos, ut

errorem ſuum tegerent, ac invidiam, damnationemque effugerent, aliquando conceſsiſſe, gratiam Dei non ſecundùm merita noſtra dari: Sed id tacitè referebant ad gratias, quas ipſi ultro admittebant, liberum arbitrium, legem, doctrinam, cęteraſque ſimiles, de quibus nulla tùm erat controverſia: Propterea Patres, qui illos impugnabant, aliam contra eos adhibere compulſi ſunt cautionem, eamque maximè neceſſariam ad illorum errores detegendos, arteſque eludendas, quibus illum occultare nitebantur, cogentes eos explicitè fateri, de qua gratia loquerentur.

Unde S. Hieronymus de Pelagianis ita ad Cteſiphontem ſcribit. " Illud verò quod "ad decipiendos homines quoſque poſtea " huic ſententiæ coaptarunt (non abſque Dei " gratia) cum primâ legentes fronte decipi" at, introſpectum & diligentiſſimè venti" latum decipere non poteſt.

Et infra eos alloquens: „ Eccleſię, in" quit, victoria eſt, vos apertè dicere quod " ſentitis . . . . . . Sententias veſtras pro"didiſſe, ſuperaſſe eſt." Item Patres Africani in Epiſtola ſua Sancto Innocentio ſummo Pontifici de Pelagio ſignificarunt. „Aut „ à tua Veneratione acciendus eſt Romam & „ diligenter interrogandus, quam dicat gratiam . . . . . . Aut hoc ipſum cum eo "per

Inter Aug. Ep. 177. n. 3. alias 95.

,,per literas agendum &c. ,, S. Augustinus verò hoc de proposito integrum Librum qui est de gratia Christi, ex industria composuit, & alibi sæpè disputat admonens; in concertationibus de gratia Dei, attendendum semper esse, quid nomine gratiæ, auxilii, adjutorii &c. significetur, & quæ sit illa gratia, quam Catholici contendebant ut Pelagius confiteretur, si non solùm nominari, sed etiam esse vellet Christianus. Hic alter est & sanè principalis scopus, hic cardo disputationum Augustini de gratia, quem pariter, si quis non attendat, errabit sępius, quam attinget.

Ultimo loco conjectat Sfondratus: si S. Augustinus his viveret temporibus, non contraria quidem iis, quę de gratia contra Pelagium scripsit, sed alia diceret &c.

Licet non exprimat quænam sint ista alia, quæ modò diceret Augustinus, quæve sibi contraria non essent; tamen intelligi vult esse ea, quæ docuit ipse, ut Nodum Prædestinationis dissolveret; id enim satis indicant hęc ejus verba: „ Quid ergo mali est, si "modò id fecimus, quod faceret Augusti-"nus;" Itaque videamus an diceret Augustinus, quæ Auctor iste singulariter tradit. Ac ut faciliùs, clariùs magisque expeditè procedatur; supponamus, si placet superesse modò Augustinum, ac stantem vel sedentem

cum Recentiore isto conferre, atque ab eo petere.

Brevis Collatio S. Aug. cum Sfond. XI. *Augustinus* Quænam sunt ista plenioris, cautiorisque doctrinæ additamenta non contraria iis, quæ contra Pelagium de gratia scripsi?

Sfondratus Ea tradidi, fusèque exposui in meo Libro. Præcipua tantùm illorum capita referam, incipiens à meis definitionibus gratiæ: Nihil aliud itaque est triumphatrix gratia, quam oratio & Rethorica Dei, humanam voluntatem alloquentis &c. vel cognitio congrua, hoc est quæ tale tamque proportionatum objectum, tali modo proponat, ut &c. Ostendere autem ad gratiam pertinet.

Apud Aug. lib. 3. Op. Im. cap. 106. *Augustinus*, Mihi antiqua scienti hæc nova non sunt, jam dudum audivi Julianum docentem Gratiam Dei nos adjuvare præcipiendo, benedicendo, sanctificando, COERCENDO, PROVOCANDO, ILLUMINANDO: sed non approbavi; imo illum rejeci, non enim

Ibid. cap. 114. dixit, charitatem dando. Hanc vos inter adjutoria gratiæ Dei, quæ commemoratis, nominare non vultis, ne hoc ipsum, quod obedimus Deo, ejus esse gratiæ concedatis.

Lib. 2. Op. Im. cap. 10. Humanæ enim voluntati, nisi divinæ gratiæ subveniat adjutorium, quid prodest copiosum & ornatum cujuslibet exhortantis eloquium?

De

De cognitione verò jam monui, a dilectione discernendam esse, & utrumque donum Dei attribendum adjutorio, ad cujus gratiam spectat, non solùm ostendere veritatem, sed etiam impertire charitatem. *Lib. de gratia Christi cap.* 13.

Sfond. Cur exhortantis eloquium, seu Rethorica Dei humanam voluntatem alloquentis, atque cognitio objectum affabrè illi proponens, non ei proderit, cum nunquam homini potestas observandi Dei mandata desit? Tu enim ipse mille locis de hominibus, quales in mundo sunt, constantissimè doces, non peccaturos, violatis divinis præceptis, nisi potestatem haberent illa observandi. *p.* 184.

Aug. De hominibus quales in mundo sunt, hoc est, peccato obstrictis, ne semel quidem tale quid pronunciavi. Imo cum Pelagius id diceret, illum redargui, eoque disputando adegi, ut alterum ex his fatendum illi esset; vel hominem non peccare cum peccat, vel Christum gratis mortuum esse; utrumque autem non minus absurdum quam impium est asserere. *Vide de Nat. & Grat. cap* 7. & 8. *p.* 182.

Sfond. Verum quidem est, quod homo nascitur omnium, quæ ad vitam ęternam pertinent, expers & nudus; sed data est ei postquam ad usum rationis pervenit, gratia orandi, quę nemini deest: sicut ergo nullo peccato, quandiu ratio viget, amittitur *p.* 183.

ibertas & poteſtas adimplendi legem divinam, vitandique peccati, ita nullo peccato gratia petendi amittitur, ſine qua omnem quoque libertatem tolli neceſſe eſt.

Ep. ad Aug. *Aug.* Eadem olim docuiſſe Maſſilienſes, ad me ſcripſit Hilarius; dicebant enim, fidem unde emanat oratio, hominis naturæ voluntate Conditoris conceſſam eſſe, & nullam ita depravatam vel extinctam putabant, ut non debeat vel poſſit ſe velle ſanari; nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm Medicum quærat. Hæc placita Maſſilienſium, quæ fideliſſimus meus Diſcipulus meritò appellat Reliquias Pelagianorum, approbare nolui, ad eaque extirpanda librum de Prędeſtinatione *cap. 8. n. 16.* Sanctorum conſultò ſcripſi; ibique demonſtravi, quod fides, & inchoata & perfecta donum Dei eſt: & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari omninò non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris Literis repugnare. Si autem fides, ſive *Serm. 186. n. 15. alias 17. ex hom. 50.* inchoata ſive completa non omnibus datur, neque omnibus conceditur gratia orandi; propterea populo Chriſtiano prædicans dicebam. " Orare non poſſetis, niſi "fidem haberetis, non enim orat, niſi fides. *Rom. 10. 14.* "*Quomodo enim invocabunt, in quem non crediderunt.*" Adverte etiam me non docere, ſicut

cut nullo peccato amittitur libertas, ita nec ullo peccato amitti poteſtatem adimplendi legem Dei, vitandique peccati. " Semper " enim eſt in nobis voluntas libera, ſed non " ſemper eſt bona. Aut enim à juſtitia li- " bera eſt, quando ſervit peccato, & tunc " eſt mala: Aut à peccato libera eſt, quan- " do ſervit juſtitiæ, & tunc eſt bona. Gra- " tia verò Dei ſemper eſt bona, & per hanc " fit, ut ſit homo bonæ voluntatis, qui pri- " us fuit voluntatis malę. Sed cum non vi- " vant benè filii hominum, niſi effecti filii " Dei, quid eſt quod iſte libero arbitrio vult " benè vivendi tribuere poteſtatem; Cum " hęc poteſtas non detur, niſi gratiâ Dei per " Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, di- " cente Evangelio: *Quotquot autem acce-* " *perunt eum, dedit eis poteſtatem filios* " *Dei fieri.* Quæ poteſtas niſi detur à Deo, " nulla eſſe poteſt a libero arbitrio. " Poteſtas enim iſta poſita eſt in charitate, *Charitas autem*, dicit Johannes Apoſtolus, *ex Deo eſt*; Unde item dicit, *Ecce qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur & ſimus.* Deinde ſi ſemper libertati hominis conjuncta eſt poteſtas adimplendi legem divinam, vitandique peccati, " Unde ergo " illa vox: *Non enim quod volo, facio bo-* " *num, ſed quod odi malum hoc ago?* " Ubi eſt poſſibilitas, quæ inſeparabiliter in-

De Grat. & lib arb. cap. 15.

Cont. 2. Ep. de Pelagianis. lib. 1. cap. 3. & lib. 1. Op. Im. cap. 94.

Johan. 1. 12.

Ex Aug. Op. Im. lib. 1. cap. 106.

Johan. 4. 7.

Ibid. 3. 1.

Lib. de Nat. & Grat. cap. 50.

fita

" sita probatur esse naturę." Ecce homines non ea quæ volunt faciunt; & de non peccando utique agebat, non de volando, quia homines, non alites erant. Ecce homo, quod vult bonum, non facit, sed quod non vult malum hoc agit; velle illi adjacet, perficere autem bonum non adjacet. " Ubi est possibilitas, quæ inseparabiliter insita probatur esse naturæ . . . . . .
" sed his verbis id agitur etiam à nescien-
p. 169. " te. . . . . ut evacuetur Dei gra-
" tia.

Sfond. Verum tamen sine fide explicita in Christum, quam plurimos ante illius adventum per solam gratiam, quâ legem naturæ observabant & si eam transgressi erant, de Deo omnium Creatore, & Provisore dolebant, salutem adeptos esse, dubium nullum est. Dicit enim Apostolus: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quia remunerator est.* Vides nullam fieri Incarnationis mentionem, solamque ad æternam vitam cognitionem existentis & providentis Dei sufficere.

Cont. 2. Ep. Pelag. lib. 1. cap. 21. *Aug.* Neque hoc recens est, ut advertere poteras apud me legendo quintam Juliani Antithesim de justis veteris Testamenti. Audi hujus Hæretici verba: " Dicimus, inquit, sanctos veteris Testamenti perfecta

hinc

" hinc justitiâ ad æternam transiisse vitam; id
" est, studio virtutis ab omnibus recessisse
" peccatis: quia & illi, quos legimus ali-
" quid peccasse, postea tamen eos emen-
" dasse cognovimus." Audis & ipsum
profiteri, plurimos antè adventum Christi
sine ejus fide ad vitam æternam transiisse,
& si aliquando peccaverunt, pæniten-
tiam egisse &c. Cui tamen ego hic respon-
di. " Quantælibet fuisse virtutis antiquos *Ibid.*
" prædices justos, non eos salvos fecit, nisi
" fides Mediatoris, qui in remissionem pec-
" catorum sanguinem fudit. Ipsorum enim *Psal.*
" vox est; *Credidi propter quod locutus sum*, 115.
" unde ait & Apostolus Paulus. *Habentes* 1.
" *autem eundem Spiritum fidei, secundùm*
" *quod scriptum est, credidi propter quod* 2 *Cor.*
" *locutus sum, & nos credimus, propter* 4. 13.
" *quod & loquimur.* Quid est eundem Spi-
" ritum, nisi quem justi quoque illi habue-
" runt, qui ista dixerunt: Dicit etiam Apo-
" stolus Petrus: *Quid vultis jugum impone-* *Act.*
" *re Gentibus, quod neque nos portare potui-* 15: 10.
" *mus, neque Patres nostri: sed per gratiam* 11.
" *Domini Jesu Christi credimus salvi fieri,*
" *quemadmodum & illi*: Hoc vos non vul-
" tis, inimici huic gratiæ, ut eâdem gratiâ
" Jesu Christi salvi facti credantur antiqui:
" Sed distribuitis tempora secundùm Pela-
" gium; in cujus libris hoc legitur, & antè
Legem

"Legem dicitis salvos factos esse naturâ; "deinde per Legem; postremò per Christum: Quasi hominibus duorum superiorum temporum, antè Legem scilicet, & in "Lege, Sanguis Christi non fuerit necessarius: Evacuantes, quod dictum est, *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.*

Sfond. Fateor me illa aut non legisse, aut lecta non animadvertisse; totusque divinæ bonitati tuendæ intentus, cum etiam post Christi adventum & hisce temporibus
p. 256. "Multi conquerantur, Turcis, Æthiopibus, "Persis, Indis, Barbarisque Evangelium "& Sacramenta defuisse, quibus salvarentur, exclamentque, heu insulas ferreas, "quibus Cælum nunquam pluit! Ego taliter conquerentibus respondi: Eos non intelligere nullum esse tam Barbarum, cui "licet Evangelio, Sacramentis, aliisque ordinariis mediis destituto, alia remedia, alia "& occulta gratiæ auxilia, aliæ nubes singulis mortalibus innatæ non suppetant, sedandæ siti, vincendæ concupiscentiæ ac "evitandæ æternę morti." Et consequenter sempiternæ vitę obtinendæ, cum in adul-
p. 118. tis medium non detur.

Cont. Julian. lib. 6. *cap.* 24. *Aug.* Si salvi erunt aliqui sine Christo, & justificantur aliqui sine Christo, ergo Christus gratis mortuus est. „ Erat enim & alius

" alius modus, ſicut vultis, in natura, in
" libero arbitrio, in Lege naturali, ſive con-
" ſcripta; quo poſſent ſalvi & juſti eſſe qui
" vellent . . . Non eſt itaque præter unum 1 *Tim.*
" Mediatorem Dei & Hominum hominem 2. 5.
" Chriſtum Jeſum, aliud nomen ſub Cœlo *Act.*
" datum, in quo oporteat ſalvos fieri nos. 4. 12.
" Et ideo dictum eſt, *In Chriſto omnes vivifi-* 1 *Cor.*
" *cabuntur*, quoniam in illo Deus definivit fi- 15. 22.
" dem omnibus, ſuſcitans illum à mortuis. *Act.*
" Veſtrum autem dogma id perſuadere cona- 17.
" tur . . . . ut, etſi opus ſit, neceſſe tamen
" non ſit ad Chriſtum pro æterna ſalute tran-
" ſire, & quod per Sacramentum mortis &
" reſurrectionis ejus (ſi tamen vel hoc puta-
" tis) commodior via ſit, non quod alia via
" eſſe non poſſit. Unde quantùm vos de-
" teſtari debant Chriſtiani, renunciate vobis,
" etiam tacentibus nobis.

Sfond. Te itaque tacente, aliquid dicam de parvulis; " Tu enim ipſe non voluiſti aliis *p.* 164.
" libertatem adimere ea omnia dicendi, quæ
" deinceps opportuna videntur.

Aug. Tantùm noli obſcurare clara, recta pervertere, implicare ſimplicia:,, Omnis ſanè *Lib.* 6.
,, ratio, qua defendimus gratiam Dei per Je- *Op.*
,, ſum Chriſtum Dominum noſtrum, verè *Imp.*
,, eſſe gratiam, id eſt, non ſecundùm merita *cap.* 31.
,, noſtra dari, quamvis evidentiſſimè divi- *De Præd.*
,, norum Eloquiorum teſtimoniis aſſeratur, *S. S.*
tamen *cap.* 12.

„ tamen . . . laboratur aliquando in ætate „ majorum jam utentium voluntatis arbi- „ trio; ſed ubi venitur ad parvulos, omnis „ deficit præcedentium gratiam Dei huma- „ norum aſſertio meritorum; quia nullis bo- „ nis præcedentibus meritis diſcernuntur à „ cæteris, ut pertineant ad Liberatorem ho- „ minum.

Sfond. Quamvis parvuli antè Baptiſmum ſublati non pertineant ad Liberatorem hominum, quid tamen amplius in cauſa illorum exigi a Deo poteſt? Nam licet ad cæleſtem gloriam non eos admiſerit, alio tamen, multoque majori beneficio affecit. Et beati quidem non ſunt, nec tamen pereunt, nec ſequitur eos damnari.

Aug. Quomodò parvuli non baptizati afficiuntur beneficio cæleſti gloria multò majori? „ Viſio enim Dei tantæ pulchritudinis „ viſio eſt, & tanto amore digniſſima, ut ſine „ hac quibuſlibet aliis bonis præditum atque „ abundantem, non dubitet Plotinus infeli- „ ciſſimum dicere. „ Quod Theologo Chriſtiano rubori eſſe deberet &c.

De Civit. Dei lib. 10. cap. 16.

„ Sed Tu qui facis duas æternas felicitates; „ unam, quæ ſit in Regno Dei, alteram „ quæ ſit extra Regnum Dei: dic obſecro, „ in ea felicitate, quæ extra Dei Regnum „ erit, ulluſne regnabit, an nullus? Si nullus, liberior erit procul dubio ſine ullo

Op. Imp. lib. 2. cap. 13.

„ Rege illa felicitas: Si verò ullus in ea regna-
„ bit, quis erit Rex Imaginum Dei, qui non
„ erit Deus? Quod si Deus ipse regnabit,
„ cujus illæ Imagines sunt, etiam ipsæ Ima-
„ gines ejus in veri Dei sui Regno felices
„ erunt. Et ubi erit, *Nisi quis renatus fuerit* *Johan.*
„ *ex aqua & Spiritu non potest introire in* *3. 5.*
„ *Regnum Dei?* Quid est verò quod idem dicit, *Serm.*
„ Parvuli, qui sine Baptismo decedunt, non *174.*
„ pereunt? Quare novis disputationibus anti- *c. 6.*
„ quam fidei regulam frangere conaris? Fi- *& 8.*
„ lius hominis non venit nisi quærere & *alias*
„ salvare quod perierat. Quare parvulos ad *Serm.*
„ me affers, si non perierant? Quid est quod *8. de*
„ dicis, nisi ut non accedant ad Jesum? Sed *verb.*
„ tibi clamat Jesus, *Sinite parvulos venire* *Apost.*
„ *ad me.* At si mihi non credis, audi ex- *Marc.*
„ cellentem Dei dispensatorem, beatum *10. 14.*
„ loquor Ambrosium. Hic Vir cum secun- *Cont.*
„ dùm Lucam exponeret Euangelium, *Fuit*, *Julian.*
„ inquit, *Adam, & in illo fuimus omnes;*
„ *periit Adam, & in illo omnes perierunt.*
Tandem asseris eosdem parvulos non dam-
nari. Ad id, quod intellectu perspicacissi- *De*
mo assequi non valemus, auctoritate di- *Pecc.*
vinâ consentire cogamur . . . Necesse est *merit*,
parvulos baptizatos in credentium numero *& Re-*
sine ulla tergiversatione constituere. Con- *miss.*
sequenter igitur, si non baptizentur, inter *lib. 3.*
eos, qui non credunt, erunt; ac per hoc *cap. 2.*
nec

„nec vitam æternam habebunt, ſed ira Dei
Johan. „manet ſuper eos quoniam; qui non *cre-*
3. 36. „*dit Filio, non habet vitam, ſed ira Dei manet*
Ibid. „*ſuper eum:* Et judicati ſunt, quoniam, *Qui*
18. „*non credit, jam judicatus eſt:* Et condem-
Marc. „nabuntur, quoniam *Qui crediderit, & bap-*
16. 16. „*tizatus fuerit ſalvus erit, qui autem non*
„*crediderit condemnabitur.*

Qua brevi attentâ Collatione, nec non iis, quæ huc uſque obſervata ſunt, conſideratis, manifeſtum fit, quod ſi adverſus Novatores modò agendum Aug. eſſet, non alia, hoc eſt, illa quę Sfond. docuit, ipſe diceret, & ſi diceret contraria iis, quæ ſcripſit, diceret. Id verò ſanè faceret, quod fecit, quando contra Manichæos pro libertate diſputavit; ſed ſimul moneret ut illius verba ac ſententia eo planè ſenſu intelligerentur, quem ipſe declaravit, cum pro gratia contra Pelagianos certaret; non autem illo, ad quem iſti Hæretici ejus dicta torquebant, ut ſuo patrocinarentur errori. Novo itaque hoſte, belloque inſtante, non aliis armis pugnaret Aug. aut ſaltem non illis certè, quæ olim ab ipſo repercuſſa & fracta, modò recolliguntur; ſed ſuis conſuetis dimicaret, quæ plurimùm idonea ac fortiſſima ſunt ad tuendam, ſicut opus eſt, libertatem; quæ non ſolùm contra Calvinum defendenda eſt, ſed etiam contra Pelagium; eam enim uter-

uterque præcipitat, dum ille nimis deprimit, iſte nimis extollit; ille exſufflat, iſte inflat.

Abſit ergo à nobis ut propter Recentioris Librum, Aug. arma abjiciamus; Sed potius B. Fulgentio credendum teſtanti, Aug. non ſolùm ipſum pugnaſſe & viciſſe; ſed nobis etiam pugnandi, vincendique modum reliquiſſe. " Aug. inquit Fulgentius, turrim " fortitudinis ipſam gratiam tenens, & exin" de cuncta hoſtilium machinamenta telo" rum cæleſtis juvaminis virtute confrin" gens, non ſolùm ipſe de hoſte victoriam " referens triumphavit, quin etiam poſteris " certandi & vincendi ordinem oſtendit. Sen" ſum quippe Chriſti habens, tam gratiæ " quam humani arbitrii, & officia diſcrevit " & merita. " Nemo namque ignorat Aug. pro gratia contra Pelagianos dimicanti, ad nauſeam uſque objectum ab iiſdem fuiſſe errorem Manichæorum & aliorum qui liberum hominis arbitrium negabant. Idcirco ut ab impacta calumnia ſe liberaret, compulſus eſt intra ſtrictos veritatis limites ſe continere; ſimulque Dei gratiam & hominis libertatem tueri; utrumque autem non minus diſcretè quam ſtrenuè ab ipſo præſtitum eſſe, cuique ejus opera pervolventi liquidò conſtat.

De verit. Præd. lib. 2. cap. 18.

F I N I S.

VII.

EXCERPTUM

Ex

HISTORIA CONGREGATIONUM De AUXILIIS.

RECENS EDITA.

Adverſus quatuor nova Enodatoris Paradoxa de Naturali Beatitudine Parvulorum ſine Baptiſmo decedentium Sive Caput XVII. Libri IV. hujus Hiſtoriæ, Præclariſſimi illius Operis quod Deus excitavit tùm ad benè reſarciendum malè illata ſuæ gratiæ damna, tùm ad confundendam linguam eorum qui ſuo latere & bitumine turrim moliebantur, cujus culmen Cœlos invaderet.

ET hîc rurſùs adoriundus mihi eſt Scriptor Leodienſis. Criminationem hactenùs inauditam inſtruit verboſus cavillator, quâ Pontificii Diplomatis Editores incuſat, quaſi Molinę propoſitiones, de quibus nuſquam in

in tota hujuſce cauſæ tractatione diſputatum eſſet, inter errores Pontificio Diplomate proſcribendos interveniſſent. *Inter quinquaginta Propoſitiones*, inquit, *quæ eo in Diplomate cenſurâ notantur, multæ ſunt, de quibus nuſquam examen inſtructum eſt. Sic de tertia propoſitione, quæ de pueris ſine lavacro regenerationis morientibus agit, nulla unquam diſputatio fuit tum privatis illis Congregationibus anno* 1601. *celebratis, tum aliis ſolennioribus quæ præſentibus ipſis Pontificibus, ſecutis annis inſtitutæ ſunt.* Quod ut ſemel tanquam exploratam veritatem ſuppoſuit, multa nugatur; ut vel Societati ſuę irrogatam injuriam probet, quæ tametſi minùs audita, erroris tamen damnata ſit; vel certè Diplomatis ſpecimen, ubi indiſcuſſæ propoſitiones erroris notarentur, à malevolis fabricatum oſtendat. p. 22.

Quid ea criminatione ſibi velit novus iſte Molinianæ militiæ centuriatus miles, ſatis intelliget, quiſquis propoſitionem tertiam, cujus occaſione de adumbrati Diplomatis Editoribus expoſtulat, his verbis expreſſam obſervabit; *Parvuli ſine Baptiſmo decedentes, meliorem poſt diem judicii vitam, vitio omni mentis & corporis immunem in perpetuas æternitates ducent, quàm ullus unquam mortalium duxerit.* Quæ totidem terminis, aliiſque etiam laxioribus legitur apud Molinam, in

CONCORDIA, quæſt. 23. art. 4. & 5. mem. 9. *Parvuli reprobati perinde ſe habent, ac ſi in ſolis naturalibus fuiſſent conſtituti: immò poſt diem Judicii, cùm ipſorum animæ ſuis fuerint corporibus reſtitutæ, ab omnibus moleſtiis & ærumnis, quibus in hac mortali vita ſubjacemus, ſupernaturaliter liberabuntur, melioremque in naturalibus vitam, vitio omni mentis & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducent, quàm ullus unquam mortalium duxerit.* Nemo enim, niſi planè in re literariâ ſit hoſpes, aut eas fortè novi Orbis Regiones incolat, quæ nobis adverſa veſtigia ferunt, non agnoſcit, tantò nunc acerbiorem Molinianis eſſe hujuſce propoſitionis damnationem, quantò eminentioribus ad eam tuendam titulis communiti, noviſque viribus aucti videntur, quo ex tempore novus Nodi Prædeſtinationis Diſſolutor, obſoletas illas opinationes, aliaſque laxiores magni nominis umbrâ tegit ac fovet. At uti nil veritati præſcribunt ſpatia temporum, ita nec patrocinia perſonarum. Novo Diſſolutori coram Apoſtolica Sede, à Religioſiſſimis doctiſſimiſque Galliæ Præſulibus dicta dies eſt. Nec verendum, ne quæ Clementi VIII. & Paulo V. opinionum portenta viſa ſunt, Innocentio XII. probentur.

Cardinal. Cœleſtin. Sfondratus.

Interim dum æquiſſimi Pontificis judicium exſpectatur, quàm turpiter in ea inſtruenda cri-

criminatione cespitarit Leodiensis Scriba, demonstrare nostrarum hîc partium arbitramur, seu facti seu juris quæstionem ingredi velit: ne quid fortè lucis, ad novum istud examen instituendum, desiderari à nobis possit.

Ac primò quidem, quod facti quæstionem attinet; de pueris sine lavacro Regenerationis mundo sublatis, præsente Clemente VIII. disputatum esse, sin minùs ex instituto, saltem ex occasione, palàm fecimus Libro III. dum nonæ Congregationis Acta compendio daremus ex Secretarii Commentariis. Ostendimus quippe Lemosium die 2. Septembris 1602. de victoriâ tentationum disputantem, eò demùm devenisse, *Ut peccatum originale à Molina reipsâ negatum demonstraret*, *in* CONCORDIA *quæst. 23. art. 4. & 5. memb. 9. ubi pueros sine baptismo morientes, vitam meliorem habituros defendit, omni mentis & corporis vitio immunem, perinde ac si in puris naturalibus conditi fuissent.* Quòd hæc paulò fortasse secretiora nescieverit Leodiensis noster, non illi quidem vitio vertimus; sed quòd ista cùm nesciat, Secretariorumque Commentarios nusquàm legerit, tantâ nihilominùs fiduciâ pronuntiet. Neque tamen illi secretiores Congregationum istarum tabulas evolvere opus erat, ut ea de re disputatum disceret: satis illi, si

 Tho-

Thomam de Lemos legiſſet in editis, tomo 1. de læſione liberi arbitrii per peccatum originale cap. 22. ubi nedum eam Molinæ ſententiam prolixiùs oppugnat, verùm etiam quid de ea ſentiret Clemens VIII. quid in ejus defenſionem repoſuerit Societatis Actor, minutatim exponit; quæ certè vir probus, ſi nulla fuiſſet ea de re diſputatio, nuſquam ſcribere auſus eſſet. *Quæ omnia*, inquit, *cum coram felicis recordationis Clemente VIII. propoſita & examinata fuiſſent, idem Pontifex Maximus publicavit, quod notum Romæ ac manifeſtum fuit, ex ſententia Molinæ & ſectatorum ejus convinci ipſum non admittere, originale peccatum veram culpam in parvulis eſſe, nec veram rationem culpæ habere. Nec obeſt, ſi dicatur, ſicut aliquando Gregorius de Valentia dicebat, damnatam eſſe ſententiam promittentem parvulis, ſine baptiſmo decedentibus æternam vitam ſupernaturalem extra Regnum Cœlorum. Primo, quia Pelagiani nunquam dixerunt vel imaginati ſunt, dari ſine baptiſmo parvulis æternam vitam ſupernaturalem.* &c. Quidni ergo ea de re ex occaſione ſaltem diſputatum aſſeramus?

Ex occaſione dico; quippe ex inſtituto, ac præſcripto ab Summo Pontifice hujuſce concertationis themate, diſputatum non eſſe ſatis ſcio. Unde & effectum eſt, ut tantilla inter Dominum Armachanum & re-

reliquos Consultores in ordinandis erroneis propositionibus enata discordia sit. Armachanus enim, quòd de ea propositione disputatum esset ex occasione saltem, erroremque manifestum prę se ferret, hanc inter damnandas assertiones repositam voluit: alii, quòd nulla ex instituto, præscriptoque Pontificis ad illius examen Congregatio habita fuisset, missam illam contendebant. Cæterum (quod notare hic operæ pretium est, & retundendæ Leodiensis Scribæ dicacitati plus justo sufficit) illi ipsi Censores, qui eam idcircò assertionem omittendam existimabant, quòd singularis de illa tractatio ex instituto facta non esset, hanc tamen & esse Molinę, & esse manifestè erroneam declararunt in Animadversionibus Paulo V. die vigesima-quarta Junii datis, quibus suum de damnandarum propositionum Elencho per D. Armachanum digesto, judicium protulerunt. *Observarunt* (Consultores omnes) *ex suprædictis propositionibus, aliquas quidem esse Molinæ* ET MANIFESTE ERRONEAS; *sed neque in disputationibus anno* 1601. *neque in Concertationibus habitis primùm coram felicis recordationis Clemente VIII. postea verò coram S. D. N. Papa Paulo V fuisse agitatas*, videlicet ex professo. Ac tum postea tertiam illam, quæ de parvulis est, obelo notant, uti delendam ex ordine.

Exstat in vol. Actor. Cong. sub Paulo V.

Ut quid ergo illatam Molinę suo injuriam obtendit Leodiensis Epistolę consarcinator; cùm ea de re quæstio saltem ex occasione incidisset, ne inauditus damnari dici posset? Immò magnâ cum illo indulgentiâ actum fatebitur, si verè sapit, dum intelliget propositionem omnium Censorum judicio manifestè erroneam, ob id unum è damnandarum propositionum Elencho expunctam esse, quòd singularem de ea disputationem non indixisset Romanus Pontifex. Etenim misso illo, quem D. Armachanus digesserat, propositionum Indiculo, alter à Secretariis digestus (à quo ea de parvulis propositio procul abest) acceptus est, & meditato Pontificio Diplomati insertus.

Jam quod alteram, quæ juris est, quæstionem spectat, Num scilicet eam Molinę sententiam velut *manifestè erroneam* jure damnarint universi Censores; dicam hîc paulò fusiùs, ut & vanas criminationes eluam, & Illustrissimi Remensium Archiepiscopi Judicium, quod vanum illud Molinæ Paradoxum ne quidem ex Ecclesiæ tolerantiâ permitti nuperrimè pronuntiavit, in tuto ponam.

In Instit. Pastor.

Ac statim, ne de Purpurati Dissolutoris patrocinio superbiant Moliniani, absonumque illud Magistri sui figmentum in Purpuræ

puræ tutelam ac fidem receptum existiment; notare initio lubet, quàm acrem in illud censuram tulerint tria Purpurati Ordinis lumina, quibus recentem Dissolutorem, quod rerum Theologicarum peritiam attinet, conferendum nemo dixerit.

Prodit primus in ordine Robertus Bellarminus, cujus judicio non stare, Societati religio sit. Is tomo 3. Controversiarum lib. 6. de statu peccati, qui & tertius est de peccato originis, errorem hunc ab Ambrosio Catharino primò procusum, tribus primis Capitibus exagitat, uti Pelagianæ doctrinæ caput, atque etiam hæresim manifestam. *Altera sententia*, inquit cap. 1. *paulo quidem minùs liberalis, sed tamen valde mitis, fuit illorum qui parvulos non baptizatos excludebant à Regno Cœlorum, & vitâ beatâ Sanctis promissâ; tamen eis dabant vitam æternam & naturalem beatitudinem, sine ulla molestiâ aut dolore, extra Regnum Beatorum, & procul à carcere damnatorum; hoc est, in loco medio inter gehennam & Cœlum, qualis locus vix potest fingi alius, quàm terræ convexum. Ita sensisse olim Pelagianos, docet S. Augustinus in libro de hæresibus cap.* 88. Nam, *inquit*, etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra Regnum quidem Dei, sed tamen æternam & beatam quandam vitam suam. *Quòd autem per Regnum Dei intelligat Augustinus non solùm*

 domum

domum cœlestem , sed etiam visionem Dei ; & quòd Pelagiani non promiserint parvulis non baptizatis vitam æternam supernaturalem , quæ consistit in visione Dei , sed solùm vitam æternam , sive beatitudinem naturalem , perspicuum est , ex lib. 5. in Julianum cap. 8. ubi Augustino teste , Pelagiani alienabant parvulos non baptizatos à vita Dei , cùm alienarent à Regno Dei. Quid est autem vita Dei , nisi visio Dei ? Sed neque Regnum Cœlorum in Scripturis aliud significat , nisi felicitatem æternam , quæ in Dei visione consistit . . . . . Itaque Pelagiani non vitam æternam simpliciter , sed , ut Augustinus loquitur , quandam suam vitam infantibus non baptizatis promittebant. Ad quem errorem proximè accessisse videtur Ambrosius Catharinus , in libro De statu Puerorum sine baptismo decedentium , Albertus Pighius in prima controversia , & Hieronymus Savonarola in libro de Triumpho Crucis. Docent enim infantes sine baptismo morientes , futuros post Judicium beatos naturali Beatitudine , & in quodam veluti Paradiso terrestri , perpetuò feliciterque victuros.

Tùm initio Capitis secundi ita distinctiùs censuram distringit. *Ex enumeratis sententiis prima & secunda* (Pelagianorum scilicet & Catharini) *non solùm falsæ , sed etiam* HÆRETICÆ *existimandæ sunt. Et contrà , fide Catholicâ tenendum est , pueros sine baptismo decedentium-*

den-

dentes, *absolutè esse damnatos*; & *non solâ Cœlesti*, *sed etiam naturali beatudine perpetuò carituros.*

Quod Molinam cæteris hujus erroris atque etiam hæreseos, ut loquitur, Assertoribus non adnumerarit Bellarminus, non est cur miretur aliquis: nondum enim vulgatus erat CONCORDIÆ liber, dum suum ille Controversiarum Opus absolverat. Hæresim tamen ipsam notasse ac confutasse satis est. Mirandum longè minùs, quòd Alphonsum Salmeronem, alterum Societatis Theologum, inter eosdem fabulatores non adnotarit, tametsi is lucubrationes suas absolvisset jam ante annum 1585. quo diem suum obiit; cùm nonnisi longè post obitum, ac post vulgatas Bellarmini Controversias, publici juris esse cœperint, Coloniæ Agrippinæ typis editæ anno 1612. clariora quippe sunt Salmeronis verba, tomo 13. lib. 2. in Epistolam ad Romanos disp. 48. quàm ut Bellarminum latere potuissent, si dum is sua scriberet, Concellitæ sui opus vulgatum esset. *Resurgent*, inquit, *puri per Christum*: & *super beatitudinem naturalem*, *qua quotidie proficient in cognitione operum Dei*, & *substantiarum separatarum*, *visitationes habebunt Angelicas*, & *tanquam nostri rustici hanc terram incolent. Ut qui medii sunt inter gloriam & supplicium*, *sint etiam medio in loco*; & *ut appareat*

magnitudo & excellentia felicitatis naturalis. Tùm subinde objecto sibi Sancti Augustini testimonio, qui libro de Anima & ejus origine, necnon tract. 67. in Joannem ad hæresim Pelagianam spectare ait sententiam illam, *Quæ non baptizatis parvulis inter damnationem Regnumque Cœlorum, quietis vel felicitatis cujuslibet, aut ubilibet, quasi medium locum adpromittit*; Respondet excessisse hac occasione Augustinum, *nec ex Ecclesiæ Traditione* locutum, sed confidentiùs.

Roberto Bellarmino in co-explodendo & confutando errore, dat manus Emin. Cardinalis de Laurea disp. 27. de statu parvulorum, articulo 3. num. 40. *Parvuli*, inquit, *cum originali peccato decedentes, positivè damnandi sunt. Est communis & ex fidei principiis colligitur.* Sub finem verò articuli 7. controversiam illam ita concludit. *Fateor meam inscitiam, non potui aliquem Scripturæ locum, vel Sanctum antiquumque Patrem invenire, qui parvulos cum originali collocet extra infernum, in loco tertio. Libenter ei adhærerem, & maximè si loco Scripturæ esset innixus. Quod dicunt nostri moderni, huc usque censeo inane, novum, & ridiculum: nempè de statione, habitaculo & deambulatione super terram. Undè id habent? Quis eis revelavit? Tolerabilior mihi videretur sententia de Inferno superiori,*

viori, seu ut dicit Augustinus, orâ inferni, ac lymbo; quia minùs recedere videtur à Scriptura. Et si antiqui alicujus Patris, vel Ecclesiæ Doctoris mihi innuatur sententia, cui alii antiquiores non refragentur, libenter ei acquiescam. At neque in hoc puncto, superioris seu oræ ac lymbi inferni aliquid invenio apud antiquos Ecclesiæ Doctores. E contrà autem, Scripturam ubique de loco ignis & inferno, pro omni damnato loquentem observo, & Patres primæ notæ idem confirmantes, & Ecclesiam ipsam pro solo originali infernum decernentem. Ideò non possum in conscientia ab hæc, quam puto veram, sententiâ recedere; nisi aliud me doceat Sancta Mater Ecclesia, cujus Magisterio innotescit Principatibus & Potestatibus multiformis gratia Dei.

Duriore longè Censurâ insulsum illud Molinæ Paradoxum percellit Cardinalis Henricus de Noris, ac Pelagiano errore multò deterius pronuntiat in Vindiciis Augustinianis cap. 3. §. 5. ubi post relatum, multisque confutatum argumentis Pelagianorum errorem, quo pueris necdum sacro lavacro tinctis medium quemdam felicitatis locum concedebant, ita demùm in Scholasticos sermonem convertit: *Et tamen videmus plures Scholasticos beatitudinem naturalem perfectissimam, citra dolores & tristitiam parvulis promittere extra Regnum Dei: quorum sententia minùs*

 tole-

tolerari potest, quàm illa Pelagianorum: quia isti contendebant infantes esse innocentes, & nulla culpâ coinquinatos: unde non adeò grave absurdum videbatur, quandam eis felicitatem præparare; cum tamen Scholastici nec ignobiles asserant cum Ecclesia Catholica pueros esse originali labe infectos, sub potestate dæmonis; filios iræ; nec postea dubitent eisdem beatam quandam vitam promittere. Et postea, multis interjectis antiquæ Traditionis monumentis, quibus S. Augustini sententiam de pœnâ sensibili pueris infligendâ, vindicandam sibi sumit, ita demùm colligit: *Hæc itaque antiquæ Ecclesiæ ac Sanctis Patribus, de infantium pœnis sententia stetit, donec post ducentesimum supra millesimum annum Christianæ Epochæ, novæ opiniones à Scholasticis procusæ sunt. Qui si in Patrum voluminibus tantum studii ac laboris posuissent, quantum Aristoteli explicando impenderunt, profectò S. Augustini sententiam non obduxissent, neque eorum plerique Pelagianorum opinionem, quod naturalem illam puerorum beatitatem attinet, hominum mentibus tam altè infixissent.* Hæc Eruditissimus Augustinianæ doctrinæ Vindex, idemque sacri Senatus Lumen clarissimum.

Quam justè porrò de eo quorundam recentiorum Paradoxo pronuntiarint Eminentissimi Theologi, cæterique Congregationum istarum Censores ab Apostolica Sede con-

constituti, iis manifestum fore arbitror, qui quatuor Ecclesiasticæ Traditionis ac fidei capita, quibus error iste in antecessum obtritus est, animo defixerint.

Primum est, post extremum & universale Judicium, nullum præter Regnum Cœlorum & inferos Damnatorum, medium fore locum, ubi pueri sacro lavacro non abluti sedem figant, ubi vivant. Ita planè D. Augustinus Ecclesiæ contra Pelagianos partes agens, lib. 1. de peccat. meritis & remiss. cap. 28. *Nec est ullus medius locus, ut ipse possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus malè credentium, istam nescio quam medietatem, quam conantur quidam pueris non baptizatis tribuere, ut quasi merito innocentiæ sint in vitâ æterna: sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno ejus, definitivam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam; ubi ait,* Qui mecum non est, adversùm me est.

Rursùm Sermone 14. de verbis Apostoli, post relatam Christi judicantis sententiam, *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. . . . . Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum,* ita Pelagianos exagitat: *Hanc regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis & mortuis,*

tuis judicabitur, alii erunt ad dexteram, alii ad sinistram. Non novi aliud: qui inducis medium, recede de medio. . . . Qui non in dexterâ, procul dubio in sinistra: ergo qui non in regno; procul dubio in igne æterno. Quibus similia habet lib. 1. de peccat. meritis cap. 23. lib. 2. de peccato originali cap. 21. Epist. 105. ad Paulinum. lib. 5. contra Jul. cap. 8. in Enchir. cap. 93.

Hanc verò sententiam, quâ parvulos, secluso medio, ad partem alterutram collocandos, & cum reliquis extremo die judicandos asserebat, ut vel regnum obtineant, vel in æternum ignum abeant, non uti opinione liberam tuebatur, sed uti Catholicæ fidei dogma. Hinc lib. 1. de origine animarum cap. 9. *Non baptizatis parvulis*, inquit, *nemo promittat inter damnationem regnumque Cœlorum, quietis vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet, quasi medium locum: hoc enim eis etiam hæresis Pelagiana promisit.* Quo loco distinctiones omnes variarum felicitatum exclusit. Et libro De hæresibus ad QuodvultDeum, hoc inter cætera Pelagiani erroris capita collocat: *Etiamsi pueri non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam beatam quandam vitam suam.* Rursùm Epistola 107. ad Vitalem, dogma illud, à se toties contra Pelagianos vindicatum, inter eas sententias re-

reponit, *quas ad fidem Catholicam pertinere nemo negat.* Ac tandem Tractatu 67. in Joannem: *Respuendi sunt à corde Christiano, qui putant ideo dictum, multas esse mansiones, quia extra regnum Cœlorum erit aliquid, ubi maneant innocentes, qui sine baptismo ex hac vita emigrarunt, quia sine illo in regnum Cœlorum intrare non poterunt. Hæc fides non est fides, quoniam non est vera & Catholica fides.*

Jam quid ad hæc Scholastici quidam novelli, qui attrita & obsoleta Pelagianorum dogmata recudunt? Ita quidem Augustinum sensisse respondent, sed æstu disputationis abreptum, Traditionis & Ecclesiasticæ fidei limites prætergressum. Ita Ambrosius Catharinus primus hujus erroris architectus, ita Alphonsus Salmeron, qui spurium Catharini partum, & à Thomistica schola rejectum, statim atque lucem aspexit, avidè arripuit, fovit, novisque pigmentis obduxit. Benè profectò, benè: habemus hîc fatentes reos, qui se eodem cum Pelagio arasse vitulo, satis probant, dum ea suffugia quæritant. Verum quid, si Concilia Orbis veneratione consecrata, si supremi Ecclesię Hierarchæ Romani Pontifices, Augustini sententię calculum ponant, & Pelagianos, quòd oppositum dicerent, anathemate feriant? Isne justos Ecclesiæ limites prætergressus

gressus dici poterit? Sit ita, necne, videamus. *Novellos hæreticos Pelagianos*, inquit Augustinus lib. 2. de Origine animæ capite 12. *justissimè Conciliorum catholicorum, & Sedis Apostolicæ damnavit autoritas, eo quòd ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis & salutis locum, etiam præter regnum Cœlorum.* Augustini itaque sententiam, Pelagianæ hæreseos damnatione consecrârunt.

Ac ne quis fortè dicat Hipponensem Episcopum, ut sua efferret ambitiosiùs, fictitia Conciliorum atque Pontificum decreta venditasse (quod tamen vel imaginari sacrilegum est) fidem illi locupletissimam facit Concilium Generale totius Africæ, anno 418. celebratum, quo medius ille fictitiæ beatitudinis locus explosus est. *Si quis dixerit, ideò dixisse Dominum,* In domo Patris mei mansiones multæ sunt, *ut intelligatur, quia in regno Cœlorum erit aliquis medius, aut ullus alibi locus, ubi beatè vivant parvuli, qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum Cœlorum, quod est vita æterna, intrare non possint, anathema sit. Nam cum Dominus dicat,* Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu S. non intrabit in regnum Cœlorum, *quis Catholicus dubitet, participem fieri diaboli eum, qui cohæres esse non meruit Christi? Qui enim dextrâ caret, sinistram procul dubio partem incurret.*

Suffra-

Suffragantur quoque Romani Pontifices, qui nullum præter regnum Cœlorum & supplicium æternum, medium locum superesse sancivere; ac momenta ipsa ab Augustino ad id astruendum toties usurpata, Apostolicis definitionibus confirmarunt. Gelasius I. in Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos. *Tollant*, inquit, *de medio nescio quem ipsi tertium quem decipiendis parvulis faciunt locum. Et quia non nisi dextram partem legimus & sinistram, non illos faciant in sinistra regione sine baptismate remanere; sed baptizatos sinant ad dexteram salutarem sacra regeneratione transferri.*

Innocentius I. nedum Augustiniana Dogmata sua facit, verùm etiam rationum momenta, quibus hoc præsertim in capite Pelagianos exagitabat. Id mutuâ testimoniorum collatione videas. Ita adversùs Pelagianos disputabat Augustinus lib. 1. ad Bonif. cap. 22. *Datis eis extra regnum Dei locum salutis & vitæ æternæ, etiamsi non fuerint baptizati: nec adtenditis quod scriptum est:* Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur. *Propter quod in Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis ea quæ illis in Baptismo remittuntur peccata traxerunt. Nec illud cogitatis, eos vitam habere non posse, qui fuerint expertes Corporis & Sanguinis Christi, dicente*

dicente ipso : Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Aut si Evangelicis vocibus cogimini confiteri, nec vitam salutemque posse habere parvulos de corpore exeuntes, nisi fuerint baptizati; quærite cur compellantur non baptizati secundæ mortis subire supplicium, judicante illo qui neminem damnat immeritum, & invenietis quod non vultis, originale peccatum.* Ita quoque libro 1. de peccat. meritis & remiss. cap. 18. lib. de peccato originali cap. 18.

At non absimiliter Innocentius I. in Epistola ad Patres Concilii Milevitani, hoc idem dogma, idem & dogmatis fundamentum ponit: ut videas Augustinum ex Ecclesiæ sententiâ pronuntiasse, nec privatis præjudiciis plus justo dedisse. *Illud verò,* inquit, *quod Pelagianos vestra Fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, etiam sine baptismatis gratiâ posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis, & biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam æternam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum Baptisma velle cassare; cùm prædicant hos habere, quod in eos credunt nonnisi baptismate conferendum.*

Explicatiùs etiam, & ad præsens institutum magis appositè Gelasius I. Epistolâ mox lau-

laudatâ ad Episcopos per Picenum constitutos, eandem illam Augustini & Innocentii rationem usurpans, à regno Cœlorum, in quo fatentibus Pelagianis pueri non sunt, ad mortem æternam, in qua futuri sint necessariò, transitum facit, misso medio felicitatis naturalis loco. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, habebit vitam æternam; qui autem non crediderit, jam judicatus est, & ira Dei manet super eum. Illa utique, de qua dictum est,* Morte morieris. *Ipse Dominus Jesus Christus cœlesti voce pronuntiat,* Qui non manducaverit carnem Filii hominis, & biberit Sanguinem ejus, non habebit vitam in semetipso. *Ubi utique neminem videmus exceptum: nec ausus est aliquis dicere, parvulum sine hoc Sacramento salutari ad vitam æternam posse perduci: sine illa autem vitâ, in perpetuâ futurum morte, non dubium est.*

Ex hoc igitur primo Ecclesiasticæ doctrinæ & fidei Catholicæ Capite, ab Augustino, à Conciliis Africanis, à Summis Ecclesiæ Pontificibus constanter asserto, videas quàm æquè de tertia illa Molinę propositione judicium tulerint Congregationum istarum selecti Censores; quàm verè, quàm eruditè Illustrissimus Remensium Præsul, suâ nuper Institutione Pastorali pronuntiaverit, eam nequidem ex Ecclesiæ indulgentiâ permitti, tametsi Autor ex nomine damnatus non est.

Si

Si etenim ultra regnum Cœlorum, & damnatorum infernum æternumque ſupplicium nullus reſtat parvulis non renatis medius locus, nulla certè naturalis beatitudo relinquitur, quâ fruantur in terris, aliove ubi libuerit angulo, exſufflatur Moliniana felicitas; niſi fortè novo quis abſurditatis ac impietatis genere fabuletur, parvulos in ipſo damnatorum inferno, æternoque ſupplicio, naturali cum diabolo Beatitudine frui, omni mentis & corporis vitio prorsùs immunes: ut ita Molinæ figmentum cum Chriſti ſententiâ & Eccleſiæ Catholicæ fide componat.

Alterum fidei Catholicæ caput, quo Molinianæ beatitudinis paradoxum exploditur, errorisque manifeſti convincitur, illud eſt: Statum ſcilicet quo nunc verſantur infantes non abluti, æternum fore; mortem ac pœnam quâ plectuntur, æternam; ignem ſuppliciumque cui deputantur, æternum, cujuſvis tandem generis velis eſſe pœnam illam atque ſupplicium, juxta varias ſaniorum Theologorum opiniones. De pœnæ ſiquidem ignisque conditione litigare hîc non eſt opus, modò æternum, quo nunc detinentur, ſtatum aſtruamus. Ex hoc quippe uno Molinianæ aſſertionis error in aperto ponitur, quo pueros illos, poſt extremi judicii diem, ab omnibus moleſtiis & ærumnis ſuperna-

pernaturaliter liberandos, omnique mentis & corporis vitio immunes evasuros, feliciterque victuros existimat.

In eo asserendo dogmate totus est Augustinus lib. 6. contra Julianum cap. 12. *Parvuli baptizati eruuntur de potestate tenebrarum, ne ab eis trahantur in supplicium sempiternum.* Epistola 106. ad Paulinum, *Parvuli non baptizati vitam habere non possunt. Ac per hoc quamlibet tolerabiliùs omnibus, qui etiam propria peccata committunt, tamen æternâ morte multantur.* Quocirca relatâ Synodi Palæstinæ sententiâ, quæ Pelagium errorem illum retractare compulit, quo infantes etiamsi non baptizentur, vitam æternam habituros asserebat, ita demùm colligit S. Doctor: *Hac autem negatâ, quid nisi mors æterna remanebit?*

Ac ne fortè D. Augustinum ex privato sensu loquutum obtrudant Molinianæ Beatitudinis vindices, eumque uti minùs æquum Ecclesiæ ac Traditionis interpretem excipiant, ut puerorum supplicio ac damnationi finem ponant; adstipulantur Romani Pontifices, sacri Episcoporum Cœtus, cæterique Ecclesiæ Patres. Gelasius I. Epistolâ mox laudatâ, *Nihil ist ergo*, inquit, *quòd non renati infantes tantummodo in regnum cœlorum ire non valeant, non autem perpetuâ damnatione puniantur.* En ultra regni cœlestis ex-

exsilium, quod fatebantur Pelagiani, perpetuam puerorum damnationem agnoscit, quævis tandem illa dicatur esse, juxta varias probatorum Theologorum opiniones. Unde & addit: *Dicant igitur in morte perpetua constituti, si non æstimentur esse damnati? Tollant ergo de medio, nescio quem ipsi tertium, quem dicipiendis parvulis faciunt locum, &c.*

Quindecim Episcoporum Bysacenorum in Sardinia exsulum sacra Synodus, in libello de Incarnatione & gratia (quem sanctus Fulgentius Ruspensis Episcopus, communis omnium Amanuensis exaravit) Augustini sensum luculenter expressit, cap. 14. ubi hæ ex Pelagianorum personâ obmurmurationes referuntur. *Quæ justitia est, ut imago Dei, quæ nihil potuit per se ipsam delinquere, si non redimatur Sanguine Filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? Quò utique quisquis non ingredietur, interminabilibus ignis æterni cruciabitur pœnis. Qua igitur justitiâ Deus justus infantibus sine Baptismo nascentibus ingerit pœnam, in quibus pœnæ non invenit causam?* Et istæ rursùs cap. 30. *Quomodo Infantibus qui baptizantur, & in eadem infantia moriuntur, donat æternam salutem, quorum bonam non exspectat nec invenit voluntatem? Item alios quomodo sine baptismate mortuos æternis cruciatibus damnat, cum in eis*

nullam

nullam culpam malæ voluntatis inveniat? Quibus ita respondent, *Nonne istos inimicos gratiæ Dei, nec defensores humani, sed deceptores arbitrii, ad hoc sua perversitas cogit, ut Deum putent iniquum in omnium obitu parvulorum; ubi nulla interveniente vel bonitate vel malitia voluntatis, alios vident regno, alios interminabili deputatos incendio?*

Sed & Fulgentius ipse, lib. de fide ad Petrum; ubi certè non privatorum opiniones, sed quadraginta capita recenset, *ad veram fidem*, ut loquitur, *firmissimè pertinentia; fideliter credenda, fortiter tenenda, veraciter patienterque defendenda*; Augustinianum illud de pœnis puerorum sine baptismo decedentium capitulum ponit, numero decimum-quartum. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites; non solùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt & ibi moriuntur, sive jam de matribus nati, sine Sacramento sacri baptismatis, quod datur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, de hoc seculo transeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos. Quia etsi propriæ actionis peccatum nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem, carnali conceptione & nativitate traxerunt.* Quibus similia habet cap. 3. libri ejusdem. Rursùs lib. 1. de veritate Prædestinationis & Gratiæ cap. 14. *Reddet unicuique*, inquit,

Ult. ed. cap. 26. seu Reg. 14.

 secun-

ſecundùm opera ſua, ut non ſolùm pro originali peccato æternis ignibus ardeant, quibus arſuri ſunt ſine baptiſmate morientes etiam Parvuli, qui nihil boni aut mali egerunt; ſed etiam pro ſua voluntate mala, tanto deteriùs torqueantur, quanto ampliùs propriæ iniquitatis adjiciunt. En duplex tormenti genus, unum quidem deterius altero, utrumque tamen æternum.

S. Hieronymus, qui in Pelagianos ante Auguſtinum ipſum ſigna contulerat, eidem in illo aſſerendo dogmate prælusit lib. 3. Dialogorum. Ubi cùm Cretobolus Pelagianus Interlocutor, velut quid abſurdum Catholicis exprobraſſet puerorum cruciatus æternos, in hæc verba, *Peccare non poſſunt, & poſſunt perire? Genua labant, vagitus verba non explicant, balbutiens lingua videtur, & æterni cruciatus miſeris præparantur*: tantum abeſt ut eam ſententiam Catholicis affictam reſpondeat, qui Eccleſiæ partes agit: quin potiùs ea tormenta non injuſtè pueris infligi, ex divinis Scripturis oſtendit.

S. Gregorius Magnus lib. 9. Moralium, ad ea Jobi verba: *Multiplicabit vulnera mea, etiam ſine cauſa*, ita ſcribit: *Nonnulli priùs à præſenti luce ſubtrahuntur, quàm ad proferenda bona malave merita activæ vitæ perveniant. Quos quia à culpa originis Sacramenta ſalutis non liberant, & hîc ex proprio nihil egerunt,*

&

& illuc ad tormenta perveniunt : quibus unum vulnus est corruptibiliter nasci, aliud carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis justoque judicio, etiam sine causa vulnera multiplicantur. Perpetua quoque tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt. Et paulò infrà: *Illos districtus Judex in æternum percutit, quos reatus arbitrii non addicit.*

S. Prudentius libro de Prædestinatione cap. 16. *Extra baptismi gratiam morientes, non suo, sed Protoplasti peccato perpetuâ plectione damnantur.* Quod hîc perpetuam plectionem dicit, *Gehennam* paulò superiùs dixerat.

Cæteros quid appellem numero plures, qui tales perpetuò fore quorumcunque damnatorum pœnas, quales post obitum luunt, summâ consensione definiunt, & ex illo Ecclesiastici oraculo manifestè colligunt: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* *cap. 11.*

Jam si ea quibus nunc pueri deputantur supplicia, cruciatus, gehennæ, plectiones, ignes, miseriæ, tormenta, mors ipsa atque damnatio, æternùm & interminabiliter duratura sunt, Pontificum quidem, Synodorum ac Patrum judicio; an non justâ erroris censurâ petuntur, quotquot illorum statum immutatum tandem iri fabulantur;

ut suppliciis, cruciatibus, ac miseriis exsolutis, ipsaque etiam morte devictâ, meliorem in naturalibus vitam, vitio omni corporis & mentis immunem, in perpetuas æternitates ducant, quàm ullus unquam hominum duxerit?

Tertium Catholicæ fidei caput, unde justa Moliniani Paradoxi censura petitur, istud est: Pueros nempè solo originali peccato inquinatos, sub diaboli potestate esse, ac etiam perpetuò fore, donec salutaribus undis deleto chirographo; in Christi potestatem transferantur.

Probat id Ecclesiæ disciplina, quæ baptizandos exorcismis & insufflationibus eventilat, ut ab eis immundus Spiritus abigatur: quod adultis jam baptizatis; & in peccata mortalia prolapsis præstare non solet, dum ad Pænitentiæ sacramentum accedunt. Hoc argumento usus est Augustinus, ut Parvulos à diabolo possideri, æternùmque ab illo possidendos ostenderet, si absque regenerationis Sacramento rapiantur. Ita libro 3. Operis imperfecti, contra Julianum cap. 199. *Exsufflantur parvuli in Exorcismo, priusquam baptizentur. Exsufflantur igitur vivæ imagines, non Regis cujuscunque, sed Dei. Immò verò exsufflatur sed diabolus, qui contagione peccati tenet parvulum reum, ut illo forás misso parvulus transferatur ad Christum.*

Ex-

Exsuffletur itaque Juliani amentia, ne Majestatis rea in parvulorum mundatione & exsufflatione dicatur Ecclesia. Si autem non eruitur à potestate tenebrarum, & illic remanet parvulus; quid miraris in igne æterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur.

Hanc inter fidei capita veritatem ponit lib. 6. Operis prior. in eundem cap. 5. *Verumtamen est*, inquit, *quod antiquitùs veraci fide Catholicâ prædicatur & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios fidelium nec exorcisaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum & à Principe mortis erueret. Quod in libro meo, cui velut respondes, à me positum est. Sed id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab Orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua Princeps mundi & à parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses.*

Qua in re interpretem Ecclesiæ egisse Augustinum, nec privatas opinationes, ut Catholicas hæreticis objectasse, probant Capitula ex Pontificum & Conciliorum statutis deflorata, ac totius Orbis veneratione consecrata, quibus Ecclesiæ fides exponitur, ad calcem Epistolæ Cœlestini ad Gallicanos Episcopos. *Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo Sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemur intuitu. Cùm sive parvuli sive juvenes ad regenerationis*

veniunt Sacramentum, non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis & exsufflationibus Clericorum Spiritus ab eis abigatur immundus: ut tunc verè appareat, quomodo Princeps hujus mundi mittatur foras, & quomodò priùs alligetur fortis, & deinceps vasa ejus diripiantur, in possessionem translata victoris, qui captivam ducit captivitatem & dat dona hominibus.

Et verò dicat, amabo, Ludovicus Molina, quâ sorte futurum sperat, ut pueri non renati sua illa naturali felicitate fruantur? An durante tyrannide diabolicâ beatos illos futuros existimat, omni mentis & corporis vitio prorsùs immunes? Id si velit, erit ejus potiùs quàm Juliani amentia exsufflanda. An solvendam tandem tyrannidem putat? Id si dicat, Ecclesiæ fidem negat, quæ tandiu illam duraturam decernit, donec sacrâ regeneratione chirographum dissolvatur. Plus dico, pari hariolandi libertate garrire poterit, quosvis alios reprobos libertate donatum iri: una siquidem eademque damnatorum omnium (quantum pœnarum æternitatem attinet) causa vertitur. Cùm enim sub diaboli potestate detineantur parvuli non abluti, ob unum originale peccatum; tandiù illos detineri necesse est, quandiu originale peccatum, unde jus in illos obtinuit, non deletur. Nisi quis Deum justitię suę juribus cedere velit, ut id odio non habeat,

immò

immò & è diaboli potestate auferat, quod & hominem verè maculat, & iræ filium facit. *Causa majorum atque parvulorum*, inquit S. Fulgentius lib. 1. de veritate Prædestinationis cap. 14. *qui sine baptismate cursum vitæ præsentis in infidelitate consummant, quantum attinet ad communionem originalis peccati, una est; & ex hac utrique ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus; quia in eis chirographum, quo sibi eos deceptoris nequitia subdidit, Salvatoris gratia non delevit.* Diabolus uti fortis armatus custodit atrium suum, vinctosque carcere detinet; ut loquitur Evangelium. *Quis porrò intrare potest in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi priùs alligaverit fortem?* Aut quis fortem alligaverit, nisi sublato chirographo jus & potestatem ademerit? *Matth.* 12.

Ultimum, ex quo districtæ censuræ æquitatem discere liceat, fidei caput est; Pueros sacro fonte non ablutos, filios iræ reputari, in damnationem & interitum traditos, contumeliæ vasa, Deo exosos, gehennæ pœnæ & inferis destinatos, nullâque in altera vita compensatione fruituros. Quæ omnia à naturali illa Beatitudine, plenaque vitiorum tum corporis tum animæ immunitate procul absunt.

Iis passim loquendi modis abundant Scripturarum, Conciliorum ac Patrum codices;

ut illos non tam deflorare, quàm exſcribere neceſſe ſit. Apoſtolus ad Romanos 5. *Judicium ex uno in omnes homines in condemnationem.* Undè ſanctiſſimus Gratiæ Vindex lib. 1. de peccat. meritis cap. 16. *Poteſt perinde rectè dici, parvulos ſine baptiſmate de corpore exeuntes in damnatione omnium mitiſſima futuros, dicente Apoſtolo, Judicium ex uno delicto in condemnationem.* Et lib. 1. de Nuptiis & Concupiſcentia cap. 23. de natura originali peccato ſauciata ſermonem habens, *Non propter ſe ipſam*, inquit, *quæ laudabilis eſt, quia opus Dei eſt, ſed propter damnabile vitium, quo vitiata eſt, natura humana damnatur: & propter quod damnatur, propter hoc & damnabili diabolo ſubjugatur, quia & ipſe diabolus ſpiritus immundus eſt.*

Rursùs idem Apoſtolus ad Romanos 6. *Suſtinuit in multa patientiâ vaſa iræ apta in interitum.* Ad Epheſios 2. *Eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri.* Ex quibus meritò colligit idem Auguſtinus tractatu 44. in Joannem: *Si filii iræ, filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ.* Ac poſt illum Concilium Tridentinum ſeſſione 6. de Juſtificatione cap. 1. ſecundùm illud Apoſtoli oraculum decrevit, quòd *Omnes homines in prævaricatione Adæ innocentiam perdiderunt, facti immundi, &, ut Apoſtolus inquit, filii iræ.* Hanc autem iram in inferis ſuſtinendam

in-

decreverat in antecessum Concilium Florentinum, in decreto unionis, dum statuit *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, descendere mox in infernum, pœnis tamen disparibus puniendas.* Quapropter cum aliàs Augustinus, variis hinc inde difficultatibus lacessitus, subdubitanter affirmasset,. futuram parvulis illis nescio quam in altera vita bonam compensationem, ut Dei justitiam, quâ eos etiam in hac vita miseriis afficit, in tuto poneret adversùs Pelagianorum obmurmurationes; hoc ipsum in Epistola 28. ad S. Hieronymum retractavit. *Ego quidem*, inquit, *non de ingeniis, sed saltem de pœnis parvulorum. quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in libris meis De libero arbitrio, quod quale sit, & cur mihi in ista, quam habemus in manibus quæstione non sufficiat, intimabo. . . . . Nam quæ circa eos compensatia cogitando est, quibus insuper damnatia præparato est?* Suamque illam assertionem, *robustissimam ac fundatissimam Ecclesiæ fidem appellat.* *Lib. 3. de lib. arb. cap. 3.*

Quàm igitur longè aberat sanctissimus Doctor ab ea felicitate naturali, quam hic Molina comminiscitur, parvulis concedenda: quæ certè cumulatissimæ præsentium miseriarum compensationis loco esset.

At de his satis à nobis dictum, ut nullam Societati injuriam irrogatam obtendat

Leo-

Leodiensis Epistolæ Consarcinator, dum absonum Molinæ paradoxum manifesti erroris damnarunt Congregationum istarum Censores æquissimi. Neque verò Molinam juvare potuit, quòd Catharinum hujus suæ doctrinæ ducem habuerit. Virum nosse debuerat, quem Magistrum acciperet: ingenio tumidum, in statuendis paradoxis liberalem, & ab ipsa scholâ Thomisticа ob nimiam novandi pruriginem, summo consensu rejectum: de quo Prædicatorum Ordinis Theologi coram Paulo III. expostularunt anno 1546. ob quinquaginta ejus assertiones à communi scholarum sententiâ peregrinas.

Addam, nec addidisse pigebit, nihil errorem hunc à Pelagianorum systemate discrepare, nihilque illos, felicitatis & beatæ vitæ nomine, pueris concessisse, nisi naturalem illam Catharini & Molinæ Beatitudinem. Neque enim Pelagium, aliunde satis acutum, usque adeò stipitem fuisse putandum est, ut extra regnum Cœlorum, supernaturalem Beatitudinem in Dei visione positam, haberi perpetuò posse existimaret. Neque Augustinus Pelagianam illam Beatitudinem, velut ignoti cujusdam generis, & inauditę conditionis felicitatem derisisset. *Quærunt parvulis extra regnum Dei nescio cujus suæ felicitatis locum*, lib.

lib. de Prædest. Sanctorum cap. 13. *Promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam beatam quamdam vitam suam*, libro de hæresibus cap. 88. & alibi sæpiùs. Nec demùm Pelagius ipse eam ita subobscurè & ambiguè delineasset, ut quid re ipsa tandem esset, se nescire professus sit. *Sine Baptismo parvuli morientes quò non eant, scio; quò eant, nescio*, aiebat ille apud Augustinum lib. de peccato originali cap. 21. Næ ergo Molinam & Catharinum Pelagio ipso audaciores qui quò extra regnum Cœlorum & inferos, eant, tantâ confidentiâ definiunt!

Cæterùm quid de novo Dissolutore, qui tantos nuper Molinianis dedit animos, sentiendum veniat, docebit nos Apostolicæ Sedis Oraculum, dum de Nodo Prædestinationis dissoluto sententiam tulerit: eâque Magistrâ discemus; an cum illis quatuor fidei capitibus, ex Apostolicæ Traditionis fonte ad nos usque derivatis, conciliari satis possint, quatuor ista Novæ Solutionis Paradoxa.


1. *Parvuli qui sine baptismo decedunt, beati quidem non sunt, non tamen pereunt, nec damnantur.*

2. *Parvuli innocentiam personalem, quæ peccatis actualibus opponitur, illibatam servant.*

3.

3. *Qui solo originali peccato tenentur, nec dici possunt Deum deserere, nec à Deo deseri.*

4. *Infantes baptismo non tincti, ad aliquid quod gratiâ & vitâ æternâ melius sit, destinantur.*



FINIS.



Digitized by Google

5-5-1



Digitized by Google